Gray


NAZIONALE
13
22 H
40
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE

PRAXIS EPISCOPALIS

EA QVAE OFFICIVM, ET POTESTATEM EPISCOPI CONCERNVNT CONTINENS.

IN QVA VARIA SVMMORVM PONT. decreta ad vsum fori Ecclesiastici omnino necessaria ex probatis exemplaribus excerpta referuntur.

PAVLI PIASECII V.I.D. C.P.

Prothonotarij Apostolici studio & opera.

CVM PRIVILEGIO.



VENETIIS,

Apud Societatem Minimam. M DC XI.

SVPERIORVM PERMISSV.

BENIGNO LECTORI.



PROMETHEVM humana quæ è limo fingebat corpora, surrepto igni è cælo animare solitum fabulantur Poetæ. Ego quoque benigne lector praxim hanc, ipsam per se aridam, & exanguem, quo vsui tibi esse poßit, varijs Summorum Pontificum declarationibus, & decretis illustrare, et quasi animæ viuentis infusione viuificare volui. Enim vero ista vsqueadeo sunt necessaria, vt eis omißis, aliunde praxis Ecclesiasticæ præcepta quærere, nil sit aliud, nisi fonte relicto, riuos sectari; eorumque ignaro, varijs sæpè difficultatum, quæ in exercenda iurisdictione Episcopali paßim occurrunt, nexibus illaqueari, & in obscuros controuersarum apud doctores opinionũ scopulos impingere sit necesse. Reliquum etiam libelli huius qualis qualis ille sit, non omnino superuacuum arbitrere, nam licet multi huius sæculi erudi-

tissimi viri circa idem argumentum elaborarunt, quibus me fateor non posse comparari, ne quidem æquari, illi tamen aliis scribendi facultatem non præripuerunt, quinpotius præbuerunt: præsertim in tam copiosa Episcopalis potestatis messe, vt quam plura adhuc volumina comprehendere vix sufficerent. Quod tumetipse iudicabis, cum quædam apud diuersos sparsa hic in vnum recollecta, quædam omnino prætermissa, hic pro virium tenuitate, summa (ausim dicere) breuitate, annotata, æquo iudicio ponderaueris. Quidquid id est tuæ vtilitati, si seruit, accommoda. Vale.

SVMMARIA PRAECIPVARVM materiarum, quæ hic tractantur.

CON-

CONSTITVTIONES SVMMORVM Pontificum singulariores quæ hic continentur.

Pij. V. De

C O P I A

LI Eccellentiss. Sig. Capi dell'Eccellentiss. Consilio di X. infrascritti hauuta fede dalli Signori Reformatori del Studio di Padoa, per relatione à loro fatta dalli due à questo deputati cioè del Reuerendo Padre inquisitor, & Circ. Secretario del Senato Gioan Merauiglia con giuramento che nel libro intitolato Praxis Episcopalis, & quæ officium, & potestatem episcopi concernunt continens Pauli Piasecij I. V. D. che non si troua cosa contra le leggi, & è degno di stampa; concedono licentia, che possa essere stampato in questa città.

Dat. die 5. Iulij. 1611.

D. Costantin Renier.
D. Zuane Marcello. } Capi dell'Eccellentiss. Consil. di X.
D. Lorenzo Gabriel.

Illustriss. Consilij X. Secretarius.


Bartholomeus Cominus.

1611. adi 6. Luglio.

Registrato in libro à carte 82.

Ioan. Baptista Breatto officij.

Contra Blasphemiam. &c.



PRAXIS EPISCOPALIS

PAVLI PIASECII V.I.D.

PROEMIVM

De electione, & electi potestate.

SVMMARIVM.

1 *Electiones Capitulorum liberæ sublatæ.*
2 *Electos examinandi, & promouendi modus.*
3 *Electo quodnam ius acquiratur.*
4 *Electus expedire tenetur litteras suæ promotionis.*
5 *Electus confirmatus antequam consecretur, quæ possit.*
6 *Capitulum sede vacante potest ea, quæ sunt iurisdictionis.*
7 *Electus confirmatus intra tres menses consecrari debet.*
8 *Beneficia electi non nisi habita possessione vacant.*
9 *Coadiutoris titulo aliquando assumitur, qui ad episcopatum.*
10 *Coadiutor, quæ possit.*
11 *Limina Apostolorum, quomodo visitanda.*



E Potestate, & officio Episcopi tractaturis, expedit de ipsius Canonico ingressu pauca præfari; hinc etenim tanquam è fonte quodam tota Episcopalis deriuatur authoritas, per tex. c. nosti, de elect. & non nisi post electionem, & confirmationem Canonicã inter sponsum Episcopum, & sponsam Ecclesiam, coniugium spirituale contrahitur, ca. inter corporalia, de translat. §. sicut autẽ. Nec immerito quidem, oportet enim vt Pastor intret per ostium, & non ipse sibi assumat honorem, sed vocetur tanquam Aaron, cap.

A qualiter

qualiter; tit. cit. de electio. Non ideo tamen vniuersam electionis materiam tractabimus, sed eam tantum, quæ vsu nostrorum tempo-
1 rum obseruatur: libera etenim Capitulorum Electionis amissa prærogatiua, omnes illæ antiquæ circa electionem difficultates euacuatæ sunt, eas qui volet videre potest apud summistas, & præcipuè apud Host. in sum. eod. tit. Hodie autem omnes Ecclesiæ Cathedrales, & Metropolitanæ, reseruatæ sunt dispositioni sedis Apostolicæ per secundam Regulam Cancellariæ. In aliquibus vero Reges, vel Principes iurepatronatus prætenso, nominant pro libitu eligendum, & capitulum super huiusmodi persona nominata, fingit electionis suæ processum, libera electione, vix alicubi reliqua. Quoad indagandam tamen personæ promouendæ sufficientiam, mores, doctrinam, & seruandū in examine, confirmatione modum, salubriter prouidit Conc. Trid. sess. 22. cap. 2. & sess. 24. cap. 1. de ref. cuius ordinationem deinde, Gregor. XIIII. renouauit, & in multis ampliauit, vt in eius Bulla, quæ sequitur.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

2 *ONus Apostolicæ seruitutis, ad quod nuper nos dignatio Diuina prouexit, assidue admonet in eam potissimam curam nobis esse Pastorali sollicitudine incumbendum, vt quæ à sacris Oecumenicisq; Concilijs pro communi totius Christiani populi salute, piè, prudenterq; statuta sunt, nulla aut temeritate violentur, aut negligentia deserantur, ea præsertim, quæ ad bonos idoneosq; Pastores, Cathedralibus at superioribus Ecclesijs gubernandis præficiendos pertinent, nam si in quibusuis Ecclesiæ gradibus, & ministris curandum est tales eligi, qui Religione, & sanctitate fideles ædificent, multo certè magis elaborandum est, ne in eius electione erretur, qui supra omnes gradus constituitur, cui tanquam seruo fideli, & prudenti, totius familiæ cura traditur, qui ad omnem virtutem, & mandatorum Dei obseruantiam, aliorum forma esse debet cum certum sit, gregis salutem magnopere pendere ex boni pastoris præstanti vita, & doctrina, Sane Venerabiles Patres, qui ex toto terrarū orbe ad sacrum generale Tridentinum Concilium à summis Pontificibus prædecessoribus nostris euocati, magna frequentia conuenerunt, cum in alijs rebus multis præclarum studium ad corrigendos deprauatos mores, & collapsam Ecclesiasticam disciplinam restituendam ostenderunt, tum in eo potissimum insigni zelo, magnaque cum laude laborarunt, vt rationem inuenirent, qua viri doctrina, pietate, prudentiaque excellentes, & in Ecclesiasti-*

clesiasticis functionibus, diu multumque versati, Ecclesijs cathedralibus præficerentur. Nos igitur, qui cum in minoribus constituti Cremonen. Ecclesiam regeremus, in eodem Concilio cum sanctis, & egregijs illis Patribus interfuimus, & Concilio absoluto ad Ecclesiam nostram reuersi magno semper desiderio flagrauimus, vt tam salubria generalis Concilij decreta executioni debitæ mandarentur, atque, ut id fieret pro virili parte curauimus. Multo rũ magis, cum disponente Domino omnium Ecclesiarum cura, & sollicitudo, nos premit, summo desiderio tenemur, vt Pastores ij præficiantur Ecclesijs, qui opus suũ, & ministerium impleant, & de ouium salute nos in Domino lætificent. Illud autem in hoc saluberrimo, & pernecessario negotio, quod est de Episcopis eligendis, & præficiendis, videtur esse præcipuum, vt instructio, examen, & inquisitio de fide, vita, moribus, doctrina, & prudentia promouendorum tam accuratè, fideliter, ac seriò instituatur, vt omnis fallaciæ fuco semoto certo confidere valeamus, tales à nobis Christi gregi pascẽdo esse præpositos, quales tãtum onus, Angelicis videlicet humeris formidandum, exigit, & quales ille expetit, qui pro iisdem ouibus redimendis propriæ vitæ ac sanguini nõ pepercit, & quidem in hac parte prouidentia dicti Concilij Tridentini, minime defuit, cum statuerit ac mandauerit, vt in Prouinciali Synodo per Metropolitanum habenda præscriberetur, quibusque locis, & Prouincijs, propria examinis seu inquisitionis aut instructionis faciendæ forma Rom. Pontificis arbitrio approbanda, quæ magis eisdem locis vtilis atque oportuna esse videretur. Verum neque id hactenus nisi à paucissimis factum est, neque spes est nisi longissimo temporis spatio, vt ab omnibus fiat, atque interim dum certa examinis, siue inquisitionis ratio à Prouincialibus Concilijs expectatur, perit vber ille fructus, qui ex tam vtilibus Concilij generalibus decretis, sperari posse videbatur, & experientia ipsa docuit, per tot annos à publicatione Cõcilij prædicti elapsos, quid in vnaquaque Prouincia opus sit, quid ve possit fieri. Habita igitur cum venerabilibus fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, matura deliberatione, ac de eorum vnanimi consilio, & assensu, præsenti nostra perpetuo valitura constitutione decernimus. Vt cum extra Rom. Curiam examen, instructio siue inquisitio facienda erit, nemo omnino cuiuscumque status, gradus, conditionis vè fuerit, inquisitionem prædictam sibi arrogare præsumat, sed integrum hoc negotium ijs, qui à prædicto Triden. Conc. designantur. Apostolicæ videlicet, sedis legatis, seu Nuncijs Prouinciarum, aut eius de quo inquisitio fit Ordinario, eoque deficiente ordinarijs vicinioribus relinquatur, nisi iustis de causis nobis aut pro tẽpore existenti Rom. Pontifici per speciale mandatum alicui alteri hoc munus quandoque committendum esse visum fuerit. Quod si forte aliquis

prædictorum consanguinitate, aut affinitate vsque ad tertium gradum inclusiuè promouendum contingeret, vt omnis suspitio carnalis affectus à tam sancto negotio repellatur, ille quidem eo casu censeatur exclusus, atque ad eum, qui proximè sequitur, hoc est si legatus excludendus erit ad Nuncium, si Nuncius, ad ordinarium, si ordinarius, ad viciniorem ordinarium, inquisitionis officium deferatur. In curia vero, hac functio spectet, vel ad eos Cardinales qui à nobis, vel pro tempore existente Rom. Pontif. deligentur, vel ad Cardinales earum Prouinciarum, seu Regnorum, apud nos, & sedem Apostolicam Protectores, in quibus Ecclesia ipsæ consistūt, si tamen ad ipsos huiusmodi vacantium Ecclesiarum relatio pertinebit. Quod si de Episcopo, vel Metropolitano extra Rom. Curiam degente ab vna Ecclesia ad aliam ex aliqua graui, & iusta causa transferendo agetur, hoc munus deficientibus legato, vel nuncio Apostolico eius Prouinciæ aut Regni vbi Ecclesia ipsa à qua transfertur, sita erit, ad Metropolitanum, si Episcopus, ad suffraganeum vero antiquiorem residētem si Metropolitanus transferendus erit, pertinere declaramus. Deinde, quia sacrū Trid. Conc. non sine magna ratione eminentes personas, & quæ negotij magnitudinem probè intelligerent ad hoc officium nominauit, declaramus & statuimus tam legatos siue nuncios, quam ordinarios, vel alios ab hac sancta sede forte delegandos, non per Auditores aut Vicarios aliosvè ministros, sed per seipsos inquirendi munus exercere debere, quamuis ab huiusmodi personis alijsque viris peritis adiuuari possint, & si Prælatus inquirens, per se non posset ob locorum distantiam testes examinare circa articulum aliquem, vt legitimos natales, vel ætatem, aut aliquid eiusmodi, licebit ei articulum illum alteri personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ subdelegare, non autem vniuersam inquisitionem. Quod si forte contingat, aliquem supradictorum legitimè impediri, vt per se hoc munus præstare non possit, ad alios ea cura trāsferatur, qui sunt ab eodem Conc. Trid. ad hoc officium designati, vt supradictum est, de ijs, qui ob consanguinitatem, vel affinitatem ab hoc munere excluduntur. Ad hoc, vt mens eiusdem sacri Concil. rectè ac fideliter debitæ exequutioni mandetur, & tale sit examen quale requiritur in negotio tanti ponderis, declaramus ac statuimus, non esse in vita ac doctrina promouendi inuestiganda, eam rationem adhibendam, vt ab ipso promouendo articuli offerantur, ac testes producantur, sed oportet, vt Prælatus, qui munus inquirendi suscepit, articulos conscribat, atque ipse ex officio suo illos testes vocet atque examinet, quos de rebus inquirendis sincerum ac fidele testimonium daturos esse existimet. Verum, vt inquisitio prædicta facilius, ac plenius perfici, atque expediri queat, vtile erit si prælatus, qui inquisitionem facturus est, vel à promouendo, vel ab aliquo alio confici curet schedulam,

in qua

in qua sint ordine descripta, nomen promouendi, cognomen, patria, parentes, ætas, ordo, gradus, professio, functio si quam is fortè exercuit, loca in quibus aut Theologiæ, vel iuri Canonico operàm dederit, aut longo tempore versatus fuerit, denique amici ac familiares, qui tā ipsum, quam parentes eius intimè norint. Quod si promouendus documentum aliquod exhibere voluerit, vnde ipsius ætas, gradus, dignitas, sacri ordines, functio, officia, muneraque, aut aliquid eiusmodi comprobetur, admittēdum, ac processui inserendum erit, modo documentum publicum seu authenticum fuerit. Illud quoque prohibendum censuimus, ac expresse prohibemus, ne ad testimonium dicendum de fide Catholica, vita moribus, doctrina, atque aptitudine ad regendam Ecclesiam, quilibet homines admittātur, sed viri tantum graues, pij, prudentes, docti, qui de qualitatibus promouendorum rectum iudicium ferre valeant, ac vt supra diximus sincerum ac fidele testimonium dare velint. Proinde tam cognati ac nimium familiares, quam inimici atque æmuli excludendi erunt. Porro testes eiusmodi Prælatus, qui examen seu inquisitionem habiturus erit seorsum ac sigillatim examinabit, & si quando iudicauerit expedire, eis ad memoriam reducet, tum iuramenti vim, tum periurij grauitatem, eosdem etiam serio, & grauiter admonebit, ipsos reos futuros apud omnipotentem Deū eorum omnium quorum, vel committendo, vel omittendo rei erunt, qui promouebuntur, si vel falsa narrando, vel retinendo vera, in causa erunt, vt homines indigni, vel minus idonei eiusmodi Ecclesijs præficiantur. Diligenter etiam testium qualitates cognoscere studebit, ac potissimum, quam sint ad promouendos affecti, vt inde conijciat, vtrum ex affectu, an ex veritate testimonium dicant. Denique cum testes de qualitatibus promouēdi interrogabit, dabit operam, vt quoad eius fieri poterit, omnia & singula, quæ ad prædictā inquisitionem facere videbuntur per ipsos exprimantur. Quamuis autem qualitates omnes promouendorum, quæ in generalium synodorum decretis alijsque Canonicis sanctionibus cōtinentur, probe cognitæ esse debeant ijs quibus inquisitionis officium demandatum est, quales sunt natum esse ex legitimo matrimonio, atque ex parentibus Catholicis, annum trigesimum iam expleuisse sacris ordinib. saltem ante sex menses initiatū esse, gradū Doctoratus aut licentia, in Theologia, vel iure Canonico, aut certe publicum alicuius Academiæ testimonium obtinuisse, quo ad alios docendos idoneus esse declaretur, ad hac in Ecclesiasticis functionibus diu esse versatum, innocentia vitæ, prudentia, vsu rerum, integra fama, doctrina denique præditum esse; tamen quia circa doctrinā plures fraudes cōmitti solent, & sepe contingit, vt nonnulli scientia vacui, de solo Doctoris titulo aut priuilegio glorientur, volumus vt de eorum etiam doctrina diligenter inquiratur, qui vel Docto-

Ctora-

Etoratus, aut licentiæ titulis, & priuilegijs gaudent, vel etiam à publicis Academijs testimonium habuerunt, quod idonei essent ad alios docendos; nisi forte aliquorum insignis doctrina ex publica ipsorum functione notoria esset. Ita vero inquisitio facienda erit, vt quibus in locis, quanto tempore, & quo fructu Theologiæ, vel iuri Canonico, promouendus operam dederit cognoscatur. Et quoniam in quibusdam prouincijs nulla sunt studia generalia, neque vllę publicæ scholæ, neque vsus habet, vt qui studijs operam nauant, vllis Doctoratus aut licentiæ insignibus decorentur, declaramus in eiusmodi locis sufficere, si testimonio virorum grauium, & sacræ Theologiæ, vel iuris Canonici peritorum constet, promouendos ea sciētia Theologiæ, vel Canonum verè pollere, vt idonei sint ad ea docenda, quæ populum Christianum, scire oportet, ac muneris sibi iniungendi necessitati valeāt satisfacere. Testes præterea deponant se de scientia promouendorū, certos redditos esse ex eo, quod prædictos promouēdos, specimen suæ doctrinæ, publice, vel priuatim dedisse cognouerint. Quod autem ad Regulares pertinet cum ad Ecclesias Cathedrales promouendi fuerint, ne fraus vlla subrepere possit in eo, quod idem Trid. Conc. statuit, vt regulares à suis superioribus sufficientis doctrinæ testimonium habeant. Declaramus nomine superiorum, eos duntaxat intelligendos esse, qui nullum sui ordinis superiorem agnoscunt, siue ij cuiusuis ordinis Abbates, magistri, aut ministri, aut præpositi generales, aut quarumlibet Congregationū præsidentes siue definitores, aut visitatores, Capitulum generale repræsentantes, siue alij quocunque vocabulo nominentur, & in eorum absentia, ipsorum Vicarij, seu commissarij generales, vel in Rom. Curia Procuratores ordinum aut congregationum generales in hac parte succedant. Et nihilominus præter superiorum testimonium, quia fidem faciant eiusmodi regulares ad alios docendum idoneos esse, volumus ea seruari, quæ de ijs diximus, qui publicum suæ doctrinæ ab aliqua Academia testimoniū habēt, vt videlicet serio, inquiratur, an regulares ad Cathedrales Ecclesias promouendi eos progressus in studijs fecerint, qui in futuro Antistite requiruntur. Post inquisitionem vero de fide, vita, moribus, doctrina, & prudentia promouendi, necnon informationem de statu Ecclesiæ, alijsque necessarijs rebus, quæ pariter coram superius expressis Prælatis iuxta eiusdem Concilij decreta fieri debet, professio fidei Catholicæ à promouendo facienda erit, quam quidem ab eo duntaxat recipiendam esse declaramus, ad quem inquisitio pertinebit, nisi fortè, qui professionem emissurus est à prælato inquirente longè distet, tunc enim is Prælatus ex subdelegatione inquirentis professionem admittere debebit, cui promouendus vicinior erit, quod idem intelligatur de informatione de statu ecclesiæ accipienda, si quando contingeret, vt in alia Prouincia siue Regno esset ecclesia, in alio promouē-

dus.

dus. Recipiet autem Prælatus professionem promouendi præsente Notario publico ac testibus atque eam à se admissam, ac receptam propriæ manus subscriptione, testabitur. Is quoque qui professionem eiusmodi fecerit, in eo loco vbi proprium nomen profitentis exprimi solet, nomen suum manu propria adscribet. Denique his peractis Notarius publico instrumento fidem faciet de professione prædicta adhibitis testibus, vt præfertur. Vbi vero totum examen seu inquisitio de persona promouenda perfecta fuerit, ea in instrumentum publicum redacta cum toto testimonio ac professione fidei emissa, ad hanc sanctam sedem, vt Concilium statuit, quam primũ clausa, & obsignata in forma authentica transmittenda erit. In qua re obseruari volumus, vt professio fidei iisdem omnino verbis descripta sit, quæ in ea forma continentur, quam fel. rec. Pius Papa IIII. prædecessor noster statuit obseruandam, & vt prælatus, qui instructionem, examen, & inquisitionẽ fecit, vel per litteras separatas, simul tamen cum processu mittendas, vel per subscriptionem dicti processus significet, quanta fides testibus examinatis eorumque dictis, & scripturis productis suo iudicio habenda sit: simul etiam, quid de promouendo ipse sentiat, processus autem sic formati, & ad curiam transmissi, à Cardinale cui promouendi munus incumbit, & à tribus prioribus ordinum Cardinalibus, vt moris est, iuxta formam concilij prædicti subscribentur, & expedientur. Volumus autem vt Cardinalis relator moneat promouendum, si præsens in curia fuerit, vt iuxta Concil. Lateranen. nouissime celebratum, omnes Cardinales siue maiorem partem Collegij adeat, antequam ecclesiam proponat, vt quæ à referente collega sint audituri, occulta fide quantum ad personam promouendi attinet, cognoscere possint. Hæc porro omnia, quæ de promouendis ad ecclesias cathedrales dicta sunt, ad eos etiam pertinere atque in eorũ promotione seruanda esse declaramus, & decernimus, qui nominati, præsentati aut electi fuerint ad dignitates Abbatiales, ac prioratus seu præpositatus, monasteriorum regimina, aut alias Regularium cuiusuis Ordinis aut etiam sæcularium præfecturas, de quibus consistorialiter prouideri contigerit, atque eos præsertim quibus præter curam, & regimen Monachorum, aut canonicorum clericorumque Regularium vel secularium annexa est in populũ iurisdictio spiritualis, vel temporalis: excepta tamen ætate circa quam nihil innouamus. Quo vero ad doctrinam, cum generalia concilia, nõ statuãt vt persona promouendæ ad Regulares dignitates Doctoratus siue licẽtiæ gradum suscipere, vel publicum testimonium, ab Academia aliqua habere teneantur, & tamen æquum sit vt ea doctrina polleãt, qua onus sibi imponendum sustinere valeant, declaramus, & statuimus, vt prælati, qui inquirendi munus suscepturi sunt, studiose ac diligenter inquirant super doctrina eiusmodi personarum iuxta modum, & formam superius præscriptam,

ptam, vt nos, & pro tempore Romani Pontifices habita de illis vera informatione per processum, qui ab inquirente transmittetur, certo statuere ac iudicare possimus an persona promouenda vere sit talis, qualem dignitas illa ad quã prouehenda est, exigit, & requirit. Hortamur vero in visceribus Domini nostri Iesu Christi, ac paterna charitate monemus eos omnes, qui ab hac sancta sede nominandi, præsentandi, vel etiam eligendi futuros Episcopos, & Abbates ius habent, vt serio apud se cogitent, quanti momenti sit hoc negotium, ex quo salus animarum, tranquillitas Reipub. incolumitas Religionis, propagatio fidei aliaquæ permulta, & maxima bona dependent. Illud etiam sæpe, & sæpius, ad mentem reuocent, quod sãcta Trid. Synodus admonet. nihil se ad Dei gloriam, & populorum salutẽ utilius posse facere, quam si bonos Pastores, & ecclesiæ gubernandæ idoneos promoueri studeant, eosque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores, & ecclesiæ magis vtiles ipsi iudicauerint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium cupiditatibus, sed eorum exigentibus meritis præfici diligenter curauerint. De nominandis vero, præsentandis, vel eligẽdis ad regulares dignitates, præter ea quæ superius obseruanda esse declarauimus illud quoq; paternis his nostris hortationibus, & monitionibus adiiciendum censuimus, vt nominationis, presentationis, vel electionis ius habentes, eos deligere studeant, atque omnino conentur, qui non modo eum ordinem sint ante professi, sed in eodẽ etiã satis diu laudabiliter versati, neque enim decet vt magistri aliorum esse incipiant, qui non fuerint ante discipuli, & subditis imperare præsumant, qui prius, non didicerint superioribus obedire. Eos denique, qui vel examinando, & inquirendo, vel testimonium ferendo, operam suã in hac re præstabunt, seriò admonemus, vt ea fide ac diligentia in negotio tanti momenti, uersentur, ut à Deo, & à nobis laudem pro bono opere expectare ualeãt. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ prohibitionis voluntat s, declarationis, decreti, statuti, hortationis, & monitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autẽ hoc attẽtare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli, Apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Romę in monte Quirinali. Anno Incarnat. Dom. 1591. prima May. Pont. nostri anno primo.

3 Electus autem præsentatus seu nominatus acquirit ius ad rem, sed non in re. Cassad. consil. 18. nume. 4. de preben. vnde antequam à superiore fuerit confirmatus in administratione spiritualium, vel temporalium Ecclesiæ ad quam assumitur, neque titulo electionis, neque titulo procuratoris, vel Æconomi, nec in toto, nec in aliqua parte, ingerere sese debet, alioquin ius acquisitum, per electionem amittit ipso facto, & amplius eligi non potest ad illam ecclesiam,

cap.

cap. nosti. cap. qualiter, de elect. c. auaritię. eod. titu. in 6. Tenetur itaque intra vnum mensem à die habitę notitiæ, vel dati consensus electioni, in persona, vel legitimè impeditus, per procuratorem pro confirmatione obtinenda ad sedē Apostolicam iter arripere, alióquin amitteret ius quęsitum per electionem, nisi causam rationabilem diuturnioris morę habuerit, c. cupientes, loco citato in 6.

4 Et quidem in scripto suę confirmationis testimonium à sede Apostolica obtinere debet, nec ecclesia vel capitulum absque litteris cōfirmationis huiusmodi ipsum recipere, vel de prouentibus ecclesiæ aliquid ipsi dare teneretur, imo recipientes ipsum hoc modo absq; litteris efficerentur suspensi à suis beneficijs, extrauagan. iniunctæ, de elect. comm. quam postea Iulius. III. renouauit, & ampliauit cōstitutione sua vt sequitur, relata per Quar. verb. beneficiorum possessio.

SAnctissimus, in Christo Pater, & Dominus noster, Dominus Iulius Diuina prouidentia PP. III. Cui nuper innotuit, quod licet alias fe. re. Greg or. X. in generali Conc. Lugdun. sua generali constitutione sanciuerit, qđ nullus ex tunc de cętero administrationem dignitatis, ad quam electus esset, prius quam celebrata de ipso electio confirmaretur, sub æconomatus, vel procurationis nomine, aut alio de nouo quæsito colore, in spiritualib. vel temporalibus per se, vel per alium, pro parte vel in totum gerere, vel recipere, aut illis se immiscere præsumeret, omnes illos, qui secus fecissent, iure si quod illis per electionem quæsitum foret, decernens, eo ipso priuatos, & piæ me. Bonifac. VIII. etiam sua perpetuo valitura constitutione sāciuerit, vt Episcopi, & alij Prælati superiores, necnō Abbates, priores, & cæteri monasteriorum regimina exercentes, quocunque nomine censerentur, qui apud sedem Apostolicam promouerentur, aut confirmationis, cōsecrationis, vel benedictionis munus reciperent, ad cōmissas eis ecclesias & monasteria, dictæ sedis litteris eorum promotionem, confirmationem, consecrationem, seu benedictionem huiusmodi continentibus, non confectis, accedere, vel bonorū ecclesiasticorū administrationē accipere non præsumerent, nullique eos absque dictarum litterarnm ostensione reciperent, aut eis parerent, vel intenderent, quod si forsan contra præsumptum fuisset, quod per episcopos, prælatos, Abbates, Priores, & alios monasteriorū regimina exercentes prædictos, medio tempore actum foret, irritum haberetur, nec quicquā interim ijdē episcopi vel Prælati, Abbates, Priores, vel regimina exercentes, de Ecclesiarum vel monasteriorum eorundem prouētibus perciperent, & re. me. Paul. III. Rom. Pont. prædecess. nostri, quibuscunque tabellionibus publicis, sub excommunicationis latę sententię pœna inbi-

na inhibuerit, ne ex tunc de cætero, de transumptis supplicationum, præterquam habentium clausulam, quod earum sola signatura sufficeret, ac decreto, & concessione litterarum seu mandatorum, possessionem beneficiorum ecclesiasticorum vigore supplicationum huiusmodi apprehendi, rogari deberent, neuè illa scribere, vel subscribere, aut quouis modo authẽticare, vel partibus tradere præsumerent, volens, & Apostolica auctoritate statuens inter cætera, quod partes transumptis, seu litteris, aut mandatis huiusmodi ex tunc deinceps vtentes, ac illorum prætextu possessionẽ huiusmodi apprehendentes, fructus quos ex illis pro tempore perciperent, suos non facerent, quinimo ad beneficia in eisdem transumptis, & litteris ac mandatis expressa, efficerentur ipso facto perpetuo inhabiles, & ad restitutionem fructuum ex illis pro tempore perceptorum, in vtroq; foro tenerentur. Decernentes sic iudicari debere, ac irritum, &c. & successiue sanctitas sua attendens quod ante confectionem litterarum gratia Apostolica est informis, inter alia voluerit, statuerit, & ordinauerit, quod iudices in Rom. Curia, vel extra pro tempore existentes, etiamsi essẽt, S.R.E. Cardinales, vel causarum palatij Apostolici auditores, aut quicunque alij, nõ iuxta supplicationum super impetratione signatarum tenores, & formas iudicare deberent, etiam decreto irritanti adiecto. Nihilominus diuersi episcopi, & alij prelati superiores, & Abbates, litteris super dispẽsatione retinendi beneficia, per eos antequam promouerentur, aut eorum electiones confirmarentur obtenta, per prædictam sedem pro tempore concessis, minimè confectis, beneficia per eos obtenta prædicta retinere, & diuersa aliæ personæ ecclesiasticæ, possessionem beneficiorum ecclesiasticorum eis dicta auctoritate conferri, seu commẽdari, vel in eorum fauorẽ vniri, aut aliàs disponi, consueta, litteris Apostolicis desuper non expeditis apprehendere præsumunt, inhabilitatem, & alias pęnas in sanctionibus, & inhibitione, ac voluntate, & statuto prædictis contentas damnabiliter incurrendo in animarum suarum periculum: Volẽs periculis animarum huiusmodi occurrere. Sanctiones, & inhibitionem ac volũtatem, & statutum huiusmodi, quorum tenores sanctitas sua acsi de verbo ad verbum insererentur, haberi voluit pro expressis, approbans innouans ac perpetuo obseruari debere decernens, & sanctiones ipsas ad inferiora beneficia ecclesiastica quęcunque quomodocunq; qualificata amplians, & extendens, hac sua in perpetuum valitura constitutione statuit, & ordinauit, quod omnes, & singulæ personæ ecclesiasticæ tam seculares, quam quorumcunque ordinum Regulares, cuiusuis status gradus ordinis, vel conditionis existant, etiãsi episcopali, vel Archiepiscopali aut Patriarchali, vel alia maiori dignitate præfulgeant, quod de cætero litteris super dispensationem retinendi beneficia per eos antequam promoueantur, aut eorum electiones confirmentur

obtenta

obtenta eis per sedem eandem pro tempore concessis minimè confectis, beneficia ipsa retinere, aut possessionem alicuius, seu aliquorum beneficiorũ Ecclesiasticorum cum cura, vel sine cura, secularium vel quorumuis ordinum regularium, quæcunque, & qualitercunque qualificatorum eis dicta authoritate Apostolica conferri seu commendari, aut in eorum fauorẽ, ac commodum vniri, seu alias disponi concessionem litteris Apostolicis super collatione, seu commenda, aut vnione, seu alia dispositione huiusmodi non expeditis, per se vel per alium, seu alios eius nomine etiam supplicationum, seu sumptorum, vel transumptorum huiusmodi aut collationũ eis post modum de ipsis beneficijs tanquam etiam tunc certo modo in supplicatione expresso vacantibus, ordinaria vel alia quauis authoritate factarum prætextu, apprehendere præsumpserint, aut per alios apprehensam ratam, & gratam habuerint, ipsorum beneficiorum non possessores, sed meri, & nudi detentores, ac violenti sine aliquo titulo in eis intrusi censeantur, & pro talibus habeantur, & reputentur, nec fructus suos faciant, sed ad illorum restitutionem vt præfertur teneantur, & obligati existant, constitutiones seu dictę cancellariæ Regulæ de annali, & triennali possessore in illis locum non habeant, nec eisdem detentoribus, & intrusis in aliquo suffragentur, quinimo beneficia per eos tempore promotionis suæ, aut eorũ electionis, confirmationis, obtenta, litteris super dispensatione ea retinendi sibi concessa nõ expeditis retinentes, aut possessionem beneficiorum litteris Apostolicis super illis non confectis apprehendentes, seu per alios apprehensam ratam, & gratam habentes, beneficia sic retenta aut apprehensa, & omne ius, quod in illis vel ad illa pro tempore quomodolibet habuerint, eo ipso amittant, illisque, & illo priuari, ac ad illa de cætero obtinenda perpetuo inhabiles, nec illa vlterius, & prætextu noui tituli aut nouæ commẽdæ vel vnionis seu alterius dispositionis etiam authoritate Apostolica factæ assequi valeant, sed beneficia ipsa tanquam de iure, & facto vacantia alijs conferri, seu commendari, & per quosuis tam ab eorum ordinarijs collatoribus quam à sede prædicta libere impetrari possint, & si beneficia ipsa litigiosa fuerint, collitigantes in omni iure, & ad omne ius, qđ beneficia retinentibus aut possessionem apprehendentibus huiusmodi in eisdem beneficijs vel ad illa quomodolibet competebat, aut competere poterat, eo ipso absque iuris aut hominis ministerio surrogentur, & surrogati esse censeantur, ac in eorum fauorem causa desuper pendens aduocata, & lis extincta fuisse, & similiter esse censeantur. Quodque de cætero supplicationes etiam manu nostra, & motu proprio signatæ, nisi habuerint clausulam, quod earum sola signatura sufficiat, nullam aliam, quam pro litterarum super illis confectione, fidem aut probationem faciant, seu præstent, nec vlla eis in aliquo alio casu fides adhibeatur, & adhiberi possit. Decernens

nens sic,& non aliter,tam in eadem curia,quam extra eam, & in partibus,per quoscunque iudices ac commissarios,quauis etiam Apostolica auctoritate prædicta fungentes,etiam causarum palatii huiusmodi Auditores,& ipsius,R.E.Card.in quauis causa,& instantia,sublata eis, & eorũ cuilibet quauis aliter iudicandi,& interpretandi auctoritate, & facultate,iudicari,& definiri debere,ac irritum.&c.

Placet publicetur.

Lecta,& publicata Romæ in Cancell. Apost. An.Incarn.Dom.1553.die 17.Maij.Pont.an.4.

Solent itaque expediri Bullę super promotione seu confirmatione. Aliquando tamen ,ex causa ne ecclesia vacans patiatur propter moram, quę intercurit in expeditione Bullarum,post propositionẽ pro mouendi in consistorio,solet concedi Breue ad capiendam possessionem,antequam Bullæ expediantur. Staph. de rescrip.in forma breuis.tit.2.num.3.& est praxis curiæ vulgatissima.

5 Accepta vero possessione siue vigore breuis,siue vi bullarum,plena administratio competit confirmato,etiamsi nondum fuerit consecratus,& statim ea omnia exercere potest quæ episcopalem potestatem Iurisdictionis concernunt,vt iudicare,excommunicare,corrigere,iuramenta à Vasallis recipere,beneficia conferre, instituere, c.transmissam,de elect.iun.gl.ver.de talibus. Indulgẽtias quoq; cõcedere potest,quia concessio indulgentiarum sequitur Iurisdictionem. Arm. verb. indulgentia,num.4.Syl.ibi. nu.13.Imo etiamsi nõdum fuerit sacerdos indulgentias dare potest.ijdem,& Ang.ib.nu-
6 mero 6.Zab.in Clem.2.q.3.de pœnit. & remiss. Has tamen capitulũ sede vacante vel eius Vicarius concedere nõ potest,licet omnia alia possit quæ sunt iurisdictionis.Zab.cit.Quar.verb.cap. sede Vac. nu. 12.sicut neque illa possunt,quę Episcopo competunt ex priuilegio. Vt illa,cap.vlt.de pænit.& remiss.c.quod nonnullis, de priuileg. c. vlt.eo.ti.in 6.neque illa quę ex delegatione,cõueniũt episcopo.Fel. in cap.eam te.à num.17.de rescrip.Zbroz.de Vicar.lib.1.quæst.16. Ea autem quæ sunt Ordinis Episcopalis,non potest confirmatus facere ante consecrationem suam,vt Ordines conferre. Sed infra tres menses a die promotionis, debet, consecrationis munus suscipere,
7 alioquin teneretur ad fructuum perceptorum restitutionem. Et si intra alios tres menses neglexerit facere se consecrari , ipso iure esset priuatus Ecclesia sua.Conc.cit.sess.23.de ref.c.2.

Conse-

Consecratur autem à tribus Episcopis, duobus codicem Euangeliorum super caput ipsius tenentibus, & manus ipsi imponentibus, tertio autem benedictionem super ipsum fundente. cap. Episcopus. 23. dist. Vngitur chrismate in capite, & in manibus, cap. cum venisset, de sacr. vnct. aliæque ceremoniæ mysteriorum plenissimę adhibentur, quæ in Pont. Rom. videri possunt. & qui volet apud Socolouium, qui sacrarum scripturarum, & Doctorum authoritatibus easdē eruditissimè explicauit, edito de consecratione Episcopi libello.

8 Vacant autem beneficia omnia ante possessa suscepta consecratione, & libere cōferri possunt, per eum ad quem pertinet, cap. cum in cunctis, de elect. & etiamsi nondum elapsis tribus mensibus consecretur, vacant tamen, si habet liberam administrationem Episcopatus; alioquin licet fuerit consecratus non censerentur vacare, si non habuerit possessionem, nec per ipsum steterit quominus habuerit: ad vacationem enim vtrumque requiritur, & consecratio, & adepta possessio. cap. si qui Episcopi. 92. dist. Innoc. in cit. c. cum in cunctis. Staph. de vacat. per promot. num. 2. imo etiamsi labantur tres menses non vacant beneficia, nisi habuerit administrationem bonorum. Innoc. loco citato.

9 Nonnunquam assumitur quis ad Episcopatum viuente alio, cum illi datur in Coadiutorem cum futura successione ex causa. Et tum datur ipsi titulus alicuius Episcopatus in partibus infidelium, quo vtitur viuente Coadiuto. Paris. de resign. lib. 7. quæst. 20. talis tamen in administrationem aliquam ingerere sese non potest, nisi in quantum ipsi fuerit à Coadiuto concessum, cum & in litteris suæ promotionis semper addatur clausula, ne se intromittat in administrationem. Imo etiamsi detur coadiutor dementi, non amplius ipsius potestas extēdetur, quam fuerit in litteris expressum. Nau. de Cle. ægr. consil. 2. & 3. Thom. Campeg. in suo tract. de Coad. Episcop. & de ipsius facultatibus cōsulta S. Cong. Rituū. reddidit hęc respōsa relata per Quar. verb. Archiep. Auth. quas nos ad maiorem communicatio-
10 nem hic quoque inserendas putauimus, vt sequuntur.

Die Iouis. 31. Ian. 1591. Congregatio. Illustriss. DD. Card. super sacris Ritibus, ad dubia nomine Illustriss. DD. Card. Paleotti, & Veronen. proposita, sic respondendum censuit.

Ad primum dubium censuit Coadiutori cum futura successione non licere ingredi ciuitatem Pontificaliter, quia licet sit Coadiutor cum futura successione, ex quo tamen non habet ius in re, sed ad rem, non debet recognosci tanquam superior, & caput, sed vti Coadiutor, & eo magis, quia contiu-

ta 93.distinct.imo hoc iurant, vt in forma iuramenti Episcoporum, cap.ego. de iureiur. circa, quam visitationem liminum emanauit quoque constitutio Six.V.cuius verba sequuntur.

Sixtus Episcopus seruus seruorum Dei Ad perpetuam rei memoriam.

Romanus Pontifex, Beatissimi Petri Apostolorum Principis successor, in altissima militantis Ecclesiæ specula Diuina dispositione collocatus, ex credito sibi Apostolicæ seruitutis officio, omnium Ecclesiarum sollicitudinem habere, totiusque Dominici gregis, qui vnius sanctæ catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ, per vniuersum orbem terrarum diffusæ, sacro ouili concluditur, curam gerere tenetur. Huius vero tam grauis, & ingentis oneris Angelicis plane humeris formidandi, magnitudinem, vt facilius ferre posset, venerabiles fratres suos catholicos Episcopos, in partē suæ sollicitudinis aduocauit, qui tanquā seniores in populo Dei, pleni sapientiæ spiritu, in sua quisque pastorali vigilia excubantes, illius supremi in terris pastoris, immensos labores sublenarent, in quo vno, Deo auctore plenitudo residet potestatis. Nimirum, vt Episcoporum opera, & adiumento, vbique locorum gregis sibi commissi vultum agnosceret, & spiritualium ouium morbos intelligeret, curationesq; adhiberet, atque ex sui muneris officio, perdita requireret, abiecta reduceret, cōfracta alligaret, infirma consolidaret, pinguia, & fortia custodiret, denique assiduis pastorum vocibus admonitus, de toto Ecclesiarum singularum statu certior redderetur, ne quicquam omnino illum lateret earum rerum, quas ad Dei gloriam augendam, ad Christianam Religionem propagandam, ad animarum salutem procurandam, necessario eundem scire, atque intelligere oportet, vt omnibus cognitis, & examinatis, pro ea, quæ sibi à Christo Domino tributa est, summa potestate, alia in vinea Domini Sabaoth euellat, alia plantet, alia ædificet, alia destruat, quemadmodum ex rerum & temporum conditione salubrius in Domino viderit expedire. Ob quas sane causas iure optimo, & Spiritus sancti instinctu, à sanctissimis Pontificibus Prædecess. nostris, iam ab antiquissimis temporibus institutum est, & per multas ætates magno Ecclesiæ Dei commodo obseruatum, vt singuli Episcopi, Archiepiscopi, primates, & Patriarchæ, certis præscriptis temporibus, per se ipsos, vel per certum eorum nuncium, omni occasione seposita, Beatissimorum Apostolorum Petri, & Pauli, qui hanc almam Vrbem suo sanguine consecrarunt, limina, tanquam fidei petram, & totius sacerdotalis vnitatis fontem, iure iurando se visitaturos pollicerentur, atque ita S.R.E. matris suæ complexu recreati, & paterno summi Pō-

tificis

tificis colloquio roborati, ad ecclesias suas regendas alacriores, & instructiores redirent. Cæterum hæc tam salutaris atque necessaria constitutio, partim hominum negligentia, partim antiqui humani generis hostis astutia, varijs etiam insurgentibus temporum calamitatibus valde refriguit, aliis alia, atque alia impedimenta prætexentibus, in graue animarum suarum periculum, & quibus præsunt ecclesiarum detrimentum. Nec vero dubitandum est, quod sine maximo animi mærore commemorare non possumus, perniciosissimas hæreses, quibus multis iam annis, hominum peccatis ita promerentib. ecclesia vexatur, & Christi Domini vestis dilaceratur, ex eiusmodi saluberrimæ visitationis intermissione, partim ortas esse partim latenti progressione, magnum incrementum accepisse. Nam si celeriter in ipso nascentis mali initio ab ipsis episcopis pro rei grauitate ad Roman. Pont. relatum esset, sane illius prouidentia, & auctoritate, statim venenatæ stirpes ex agro Domini euulsæ essent, & diabolici ignis scintillæ subito oppressæ atque restinctæ, in tot flammas, & luctuosa incendia non erupissent. Hæc atque alia grauissima incommoda, cum primum ad summi Apostolatus apicem, meritis licet imparibus; Deo ita volente vocati sumus, attentius considerantes, non solum ex intimis animi sensibus indoluimus, sed statim de adhibendo remedio Diuina gratia adiutrice cogitare cæpimus. Vrget enim nos Dei timor, & acres animo nostro stimulos dies noctesque subijcit, quemadmodum in tremendo illius iudicio, administrationis nostræ rationem reddamus. Nam si huic tanto malo, quod magis quotidie ingrauescit, non occurramus, non possumus nobis ipsis nõ valde timere, cum crebro in mentem veniant, & quasi aures nostras personent sacræ illæ voces comminationis, & terroris plenæ: Fili hominis speculatorẽ dedi te domui Israel, & sanguinẽ eius de manibus tuis requiram. Et quod Petro à Domino dictum est: Confirma fratres tuos. Et illud Apostoli Pauli, quod tanto magis ad nos pertinet, quanto maiorem præter cæteros, pastoralis officij curam sortiti sumus. Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Quocirca eorundem prædecessorum nostrorum vestigijs inhærentes, simulque modum, & temporum spatia ecclesiarum earundem præsulibus, pro cuiusque interuallo, & locorum distantia, moderantes.

H*Ac perpetua constitutione sancimus decernimus, & mãdamus, vt oẽs Patriarchæ Primates, Archiepisc. Episc. per vniuersum orbem terrarum constituti à nobis deinceps ordinandi, etiamsi Cardinalatus honore præfulgeant, antequam munus consecrationis suscipiant, seu eis consecratis pallium de B. Petri corpore sumptum tradatur, aut si ad aliam ecclesiam*

clesiam transferantur, antequam illius regimini, & administrationi se immisceant, si quidem præsentes in curia fuerint in manibus S.R.E. Diaconi Cardinalis ordine prioris, si vero absentes, in manibus Antistitis, qui ad impendendū munus prædictum, aut ad tradendum pallium huiusmodi à sede Apostolica delegabitur, iurent iuxta formulam in libro cancellariæ Apostolicæ. Quinterno appellato, nuper descriptam, se Beatissimorum Apostolorum Petri & Pauli, limina statutis in hac nostra constitutione temporibus, personaliter ac per se ipsos visitaturos, ac nobis, & successoribus nostris pro tempore existentibus Romanis Pontificibus rationē reddituros de toto eorū pastorali officio, deque rebus omnibus ad ipsarum qui bus præsunt ecclesiarum statum, ad cleri & populi disciplinam, animarū denique, quæ illorum fidei creditæ sunt salutem, quouis modo pertinentibus, & vicissim mandata Apostolica humiliter recepturos, & quam diligentissime exequuturos. Quod si legitimo impedimento detenti fuerint, iurent se prædicta omnia adimpleturos per certum nuncium ad illa speciale mandatum habentem, de gremio suorum capitulorum, aut alium in dignitate ecclesiastica constitutum, seu alias personatum habentem, aut si huiusmodi hominem ecclesiastica dignitate, & personatu præditum nō habeant per Diœcesanū sacerdotē, & si clero careant, oīno per aliū aliquē presbyterum sæcularē, vel regularē spectatæ probitatis, & religionis de supradictis oībus plene instructū. De huiusmodi autē impedimento docere debeant per legitimas probationes, ad dictum primum Diaconum Cardinalem per supradictum nuncium transmittendas. Quin etiam Principes temporales si quid pro eorum pietate, & erga hanc Apostolicam sedem obseruantia Rom. Pont. voluerint significare, eosdem siue Episcopos, siue alios, qui ab eis mittentur fidos habebunt nuncios ac relatores, quorū operę ab eadem sede pro illorum Dominijs Ditionibus, & rebus firmādis ac stabiliendis, & cum Dei, & Sanctæ religionis causa sine qua tuto consistere haud possunt coniungendis, oportuna sinceræ charitatis officia, consilia, atque subsidia expectare certo poterunt. Adhoc autem debitum visitationis officium commode explendum supradicti omnes Patriarchæ primates, Archiepiscopi, & episcopi Itali videlicet, vel ex Italicis insulis, vnde in Italiam cōmodius traijci potest, veluti Siculi, Sardi, Corsi, & alij adiacentium prouinciarum Italiæ ac etiam Dalmatiæ, & Græcarum, quæ è regione ipsis Italię, & Siciliæ oris sunt, tertio anno: Germani vero, Galli, Hispani, Belgæ Bohemi, Vngari, Poloni, Angli, Scoti, Iberni, & cęteri omnes, qui in Europa sunt citra Mare Germanicū, & Belticum, ac omnium Insularum Maris Mediterranei, quarto anno, & qui intra Europæ fines sunt his prouincijs remotiores, ac etiam Africani littoribus nostris aduersi, ac insularum Maris Oceani Septentrionalis, & Occidenta-

tis Europæ, & Africæ, citra continentem noui orbis tam, qui nunc sunt, quam qui ad catholicam fidem per miserioordiam Dei aliquando redierint, quinto anno, Asiatici vero, & qui extra Asiam, & in alijs nouis terris Orientalibus, Meridionalibus, Occidentalibus, & Septentrionalibus, tam in insulis, quam in continentibus, & denique in quibuslibet mundi partibus, decimo anno iter suscipiant, & Deo concedente perficiant, idẽque institutum, tertio quoq;, quarto, quinto, & decimo anno repetant, & obseruent. Hæc autem annorum spatia à tempore suscepti muneris consecrationis, vel pallij traditionis, aut translationis, vt præfertur incipiant. Quæ ne longius differatur, volumus, quod tempus qualecumq; excursum alicui ex supradictis præsulibus, qui siue morte præuentus, siue alia quacumq; de causa ob non finitum tempus ei præscriptum dicta limina non visitauerit, ita illius successori effluxisse, & excurrisse intelligatur, vt termino ipso iuxta prædecessoris sui iusiurandum completo, debitam tunc visitationem quamprimum conficere teneatur. Hi vero ex supradictis antistitibus, qui hactenus ab hac sancta sede ordinati sunt, aut dictum pallium ab ea susceperunt, aut ad aliam ecclesiam translati sunt, prout cuiq; distantia locorum, & temporum interualla præscripta sunt, ad supradicta omnia obseruanda à die publicationis præsentis constitutionis omnino teneantur. Iubemus igitur in virtute sanctæ obedictiæ supradictis omnibus Antistitibus præsentibus, & futuris, vt visitationem prædictam sibi suisque ecclesijs adeo vtilem ac necessariam, iuxta præscriptam formulam omnino conficiant. Si vero quod absit non egerint, eos ab ingressu ecclesiæ ac etiã ab administratione tam spiritualium, quam temporaliũ, necnõ à perceptione fructuum suarum ecclesiarum, à capitulis eorum omni exceptione, & mora cessante interim libere exigendorũ, & in opus fabricæ seu ornamentorum ecclesiæ emptionem prout maior exegerit necessitas insumendorum, ipso facto tamdiu suspensos esse volumus, donec à contumacia resipiscentes relaxationem suspensionis huiusmodi à sede prædicta meruerint obtinere. Non obstantibus &c. Dat. Romæ, Ann. Incarnatio. Dom. 1585. 13. Kalend. Ianuarij.



PRAXIS

PRAXIS EPISCOPALIS

PARS PRIMA

De Poteſtate ordinis Epiſcopalis.



Oteſtatem Epiſcopi duplicem conſiderat, gloſ. in capitu. tranſmiſſam. verb. de talibus, de electio. ibique Innocent. & alia ſimilis gloſ. in capit. 1. de translat. verbo, confirmaſſe, nimirum poteſtatem Ordinis Epiſcopalis, & poteſtatem Iuriſdictionis. Sub eadẽ itaque diſt. nos quoque eã proſequemur, ab ea quæ eſt Ordinis vt pote nobiliori incipientes.

Caput Primum.

De conferendis Ordinibus.

SVMMARIVM.

1 *Ordo eſt ſacramentum.*
2 *Ordinis ſacram. quid ſit.*
3 *Ordines ſunt nouem.*
4 *Ordines alij maiores, alij minores.*
5 *Materia, & forma Sacram. ordinis, quæ.*
6 *Sacramenti ordinis miniſter, proprie, eſt Epiſcopus.*
7 *Abbas benedictus quatuor minores conferre poteſt.*

PRimum occurrit tractanda Ordinis Epiſcopalis functionum nobiliſſima, q̃ in ordinatione Cleri verſatur poteſtas. Quã nos quo facilius exequamur, pauca ea nimirum quæ non tam præſentis instituti ſunt, quam illorum qui de ſacramento Ordinis ſpeciales tractatus faciunt, tanquam materiam non noſtram, ad intelligentiam tamen propoſitæ quæſtionis neceſſariam, indiſputata ſupponamus.

1 Et primo ſupponendũ ſacramẽtũ Ordinis eſſe vere, & proprie ſacramentum in Eccleſia Dei, à Chriſto Domino noſtro inſtitutum,

ita Conc. Floren. in decreto Armenis tradito. & Conc. Trid. sess. 23. cap. 3. & Can. 2. & 3. Victor. de sacr. Ord. num. 226. communiterque Theologi, & Canonistæ, in cap. ad abolendam, de Hæret. ita vt contrarium sentire Hæreticum sit.

2 Secundo supponamus cum Nau. in suo man. cap. 22. num. 17. sacramentum Ordinis esse signaculũ Ecclesiæ quo traditur character, & potestas consecrandi Eucharistiam, vel in id ministrandi.

3 Tertio supponamus cum Canonistis hoc communiter docentib. quorum opinio præsenti tractatui magis conueniet, Ordines esse in Ecclesia nouem. Primam tonsuram, Ostiariatum, Lectoratum, Exorcistatum, Acolytatum, Subdiaconatum, Diaconatum, Presbyteratũ, & Episcopatum, ita Host. in sum. de Ord. ab Epis. qui renun. num. 1. Ang. verb. ordo. 1. num. 1. & testatur de hac communi Canonistarum, Nau. loco cit. num. 18. Et quidem quantum ad septem intermedios attinet, concordant tam Theologi quam Canonistę, eos esse Ordines, De vltimo etiam videlicet Episcopatus satis clare probat Angel. & Nau. loc. cit. & tex. in c. cleros. 21. & c. 1. 32. dist. c. vn. de ord. ab Epis. qui renun. Concil. Trid. loco cit. can. 7. Quo ad primum autem, seu primam tonsuram probant communiter Doctores, in c. cũ contingat. de ætat. & qual. & gl. in c. nullus de temp. Ord. in 6. verb. tonsuram. Et magis confirmat, quod iura participare volunt, ordinatos ad primam tonsuram ex priuilegijs Cler. vt gl. in cit. c. cum contingat, dicit eos gaudere priuilegio Canonis. si quis suadente, & c. 2. de institut. docentur esse capaces beneficiorum Ecclesiasticorum, à quibus excluduntur laici. Imo & in pœnalibus huiusmodi clerici primæ tonsuræ includuntur ęque cum alijs clericis, vt aperte. Conc. Trid. cit. sess. 14. cap. 2. de ref. suspendit ordinatum ad primam tonsuram ab alieno Episcopo, & sess. 23. c. 4. & c. 6. de ref. eadem prohibitione ligat istos qua & ordinatos ad maiores, similiter textus, c. nullus. cit. de temp. ord. in 6.

4 Quarto. Ordines prædictos diuidi in minores, qui sunt quinque primi, & maiores, qui sũt quatuor reliqui a subdiaconatu inclusiue.

5 Supponamus, & Quinto in sacramento Ordinis requiri materiã, & formam. Materia est illud instrumentum per cuius traditionem confertur Ordo, vt de singulis infra dicetur. Forma sunt verba quib. in traditione instrumenti materialis vtitur Ordinator. Victor. loco cit. num. 229.

6 Vltimo supponamus Sacramenti huius verè, & proprie Episcopum esse dispensatorem, & ministrum. Vict. loco cit. num. 234. Concil. Trid. cit. ses. 23. c. 4. & can. 7. Et licet Abbas si fuerit benedictus, & pres-

& presbyter, suis monachis Ordines minores conferre possit, c. vlt. 69. dist. c. Abbates, de priuil. in 6. quod & congr. Reg. declarauit cõsulta super dubio simili ab Abbat. Cassinen. in anno. 1594. in hęc verba.

7 *Cong. censuit, quod Abbas benedictus possit Regularibus sibi subditis conferre primam tonsuram, & quatuor minores, ac etiam benedicere calices, & paramenta sine vnctione olei sancti, necnon omnes benedictiones facere sine aliqua licentia.*

Licet etiam Papa simplici sacerdoti vt conferat minores committere soleat. Victor. loc. cit. nume. 234. tamen cum hoc casu non ex vi officij, sed potius ex priuilegio speciali potestas ista illis cõpetat, nihil impedit, quominus ordinandi officium solis dicatur cõuenire Episcopis.

Et his ita præsuppositis difficultates quæ circa ordinationes occurrunt articulatim videamus. Et primo.


De Subditis Ordinandis.

SVMMARIVM.

8 *Subditos tantum suos ordinare debet Episcopus.*
9 *Subditus quomodo efficiatur quis.*
10 *Domicilium quomodo acquiratur.*
11 *Dimissoriales habens ordinari potest a non suo Diœces.*
12 *Dimissoriæ quomodo sint concedendæ.*
13 *Dimissoriæ à quo concedi possint.*
14 *Regulares quoque dimissorias habere debent à suis superioribus.*
15 *Familiaris triennalis ordinatur absque dimissoriis.*
16 *Episcopus titularis ratione familiaritatis ordinare non potest.*

8 NOn nisi subditos, & Diæcesanos suos dẽt ordinare Episcopus, c. cum nullus, c. nullus, de temp. ord. in 6. cap. primates, 71. dist. Host. cit. de temp. ord. num. 5. Conc. Trid. cit. sess. 14. c. 2. & sess. 23. c. 8. de ref. vbi ordinatorem qui contra fecerit à collatione Ordinum in quibus peccauerit per annum, & sic ordinatum ab exercitio ordinis suscepti ad beneplacitum proprij Episcopi suspendit.

9 Tripliciter autem quis efficitur subditus, & Diæcesanus Episcopi.



pi. Ratione Originis, ratione domicilii, & ratione beneficij, cap. cũ nullus, cit. Et hoc ad effectum susceptionis ordinum, nã quo ad alios effectus plures possent enumerari modi quibus quis efficitur de iurisdictione alterius.

Ratione Originis, vbi nimirum quis natus est, glos. in c. 1. de vsuris, in 6. ver. alienigenas, & l. qui ex vico. ff. ad municip. Vbi etiãquis baptizatus fuit, inde trahere originem dicitur, & per librum baptismi probari posset origo. Bald. consil. 183. Rebuff. in tract. de pacif. poss. num. 217. Gonzalez. super, 8. Reg. Canc. gl. 9. §. 1. à num. 105. ad 115.

Ratione domicilij, vel parentũm, liberi enim domicilium parentum sequuntur. l. assumptio. §. vlt. l. filij. §. 1. ff. loco. cit. Et quidem domicilium patris non matris, l. filios. C. de municip. & origin. nisi sit vulgo quæsitus, talis enim matrem sequetur, l. cum legitimæ, ff. de statu hom. vel si desit patris domicilium, maternum erit sequendum Gonz. loc. cit. à nu. 14. ad 20.

Vel sui, si illud in aliquo loco legittimè constituit. Constituitur autem domicilium, cum quis in locum aliquem maiorem partẽ bonorum transfert, & ibi contrahit, dies festos celebrat. aliter enim sola emptio domus vel alicuius partis bonorum domicilium non facit. c. dilectus, de rescript. c. si Episcopus, de Paroch. c. cum nullus, in 6. cit. iunctis, gl. Host. in sum. cit. de foro comp. nu. 4. Ang. Arm. ver. domicilium. Quod si bona nõ habeat, acquirere dicetur quis domicilium, vbi habitat longo tempore, & continuè cum animo seu aliquo adiuncto actu vel signo assumpti domicilij. Abb. in c. fi. de paroch. Ang. loco cit. Si vero nullus adsit externus actus assumpti domicilij, ex decem annorum habitatione præsumetur assumptum domicilium, nisi adsit aliquod indicium illum nõ habere animum permanendi ibidem, quod accidit in scholaribus, ita Felin. in cit. c. dilectus, de rescript. num. 11.

Ratione beneficij, vbi nimirum quis Canonicè obtinet beneficium Ecclesiasticum siue illud sit simplex siue curatum, c. cum nullus, cit. Ioan. Andr. Franch. ibid. Genue. tamen in sua praxi, c. 48. nu. 3. testatur seruari in curia Neap. vt aliquis non ordinetur absque dimissorijs, ratione beneficij simplicis. Beneficium autem debet esse sufficiens ad sustentationem iuxta arbitrium Episcopi, vt obseruat. Quaranta. verb. ordo. cit. Et caueri debet ne beneficium conferatur in fraudem, quo quis extrahatur ex aliena Diœcesi, talis enim fraus nõ prodesset, c. eos qui. de temp. ord. in 6. iun. gl. ver. figmẽto. Quar. loco citato.

Et ex

Et ex ista diuersitate rationum quęrendæ Diæcesis, non absurdè inferri potest, de plurium Episcoporum Diæcesi aliquem esse posse. Imo, & ratione solius domicilij hoc idē cōtingere potest, nihil.n. obstat, quominus quis pluribus in locis, plura domicilia constituat. glo. in cap. cit. cum nullus, & l. senatores, ff. de senatoribus, in n. glo. verb. adiectionem, & l. in adoptionem, C. de adoptionib. imo & plura beneficia residentiam requirentia obtinens, totidem domicilia habere censetur. Felyn. loco cit. num. 3. In dubio autem Diæcesis appellatione illa potius est intelligenda, quæ est domicilij, vt testatur. Nau. de constitut. cons. 4.

Ampliatur autem nostrum principale dictum, quod non sit ordinandus nisi subditus, vt procedat etiam in minoribus Ordinibus, iura enim prohibitoria etiā de istis expressè loquūtur, vt patet ex text. citatis. Quinimo magis peccatur in ordinatione ad minores, quia tum, & à spirituali, & à sæculari potestate ordinatus subtrahitur, & ponitur fundamentum sine quo reliqui ordines dari non possunt, quod notat Rebuff. de litt. dimiss. num. 16. & Quar. loco cit.

Ampliatur secundo, vt neque ille ordinari debeat, qui domicilium acquisiuit, si prius ab alio episcopo ad alicuius ecclesiæ seruitium fuerit ordinatus, talis enim inconsulto priore episcopo locū suū primum deserere non potest. Conc. Trid. cit. sess. 23. cap. 16. de ref. Quar. loco cit.

Ampliatur tertio etiamsi persona esset bene cognita, & sufficiēs. Dec. cons. 455. nu. 7. Quar. loco cit.

Quarto extende etiam ad Regulares, isti enim debent etiam ordinari ab ordinario loci in quo situm est monasterium, licet in ipsis non requirantur alij modi quæsitæ Diæcesis, vt ex decreto Cong. Conc. infra referendo, patebit, & ordinatum fuit à Leo. X. in Conc. Later. in Bulla moderationis priuileg. Religiosorum, quę infra ponetur: ab hac tamen obligatione excepti sunt patres Soc. Iesu, quibus Gregor. XIII. indulsit, vt à quocumque Antistite Catholico ordinari possint, vt ex ipso priuilegij tenore infra referēdo patebit.

Quinto ampliari potest, vt neque ille ordinari possit, qui nullius est Diæcesis, Conc. Trid. cit. sess. 14. c. 2. de ref. Vicinior tamen episcopus quem semel locus ille carens suo Diæcesano elegerit, tales ordinare, & dimissorias ipsis concedere posset, vt etiam respōdit cong. Conc. Episcopo Cauen. 5. Maij, Ann. 1587.

Ampliatur vltimo, vt neque Archiepiscopus sui suffraganei subditum, vel in ipsius Diæcesi sine speciali ipsius voluntate ordinare possit, cap. saluo, & sequ. 9. q. 3. Host. cit. in sum. de offic. ord. nu. 7.

Limi-

11 Limitari tamen posset. Primo. vt non procedat in illis, qui literas commendatitias, vel dimissorias habent à proprio ordinario, isti enim licite à quouis ordinari possunt. Conc. cit. sess. 23. cap. 8. & session. 6. cap. 5. de ref. quod in tantum operatur, vt cum huiusmodi dimissis etiam dispensari possit à non Diœcesano ordinatore in casibus per episcopum dispensari consuetis, concessa enim ordinandi facultate, videntur concessa ea quoque sine quibus ipsa ordinatio expediri non posset, ca. præterea, de off. deleg. Hostiens. cit. de scrut. in ord. in fine. Super interstitijs tamen temporum ad suscipiendum ordines à Conc. præscriptis, cit. sess. 23. ca. 13. de ref. dispensare non posset, nisi hoc in dimissorijs expresse concedatur, vti responsum fuit à S. cong. episc. episcopo de Alesse. die 9. Aug. Ann. 1593. & communiter seruatur in praxi.

Differunt autem commendatitiæ à dimissorijs, quia illæ ad effectum tantum susceptionis ordinum dantur, dimissoriæ vero etiam à iurisdictione dimittunt, Sylu. Tinto, in tract. de ord. quæst. 8. artic. 12.

12 Concedēdæ sunt dimissoriæ ex iusta causa, & prius examinari debet, super habilitate ad suscipiendum ordines ille, qui petit dimitti Conc. cit. sess. 23. cap. 3. de ref. idque in litteris exprimi debet, nihil tamen obstat quominus dimissus iterum examinari possit ab ordinatore si ipse examinare voluerit; idem Conc. sess. 7. c. 11. de ref.

Et concedit illas Episcopus Diœcesanus vt ex iuribus & Cōc. cit. patet. Nisi fuerit excommunicatus, vel suspensus, declaratus, tunc
13 enim dimissoriæ ipsius non valerent, sed subditi possent se facere ordinari à viciniori episcopo; incumberet tamen ipsis onus probandi episcopum fuisse excommunicatum. cap. 2. de temp. ord. in 6. Rebuff. de dimiss. nu. 19.

Concedit dimissorias, & Vicarius generalis episcopi si habeat ad hoc speciale mandatum ita quod etiam in casu, cap. cum nullus, cit. in 6. tutius sit, vt habeat expressum ad hoc mādatum. Sbroz. de vic. episc. lib. 2. quæst. 41. Rebuff. de for. vic. num. 47. Quar. loco cit.

Capitulum quoque sede vacante anno vacationis elapso dimissorias cōcedere potest, & ante annum elapsum illis tantum, qui ad suscipiendos ordines beneficij receptione arctantur, & illis, qui præsentantur ad beneficium ecclesiasticum, ad effectum suscipiendi minores quo capaces fiant beneficij suscipiendi, Conc. cit. sess. 7. c. 10. de ref. Capitulum quoque sede vacante ante lapsum anni vacationis sedis obtinenti facultatem à Sede Apostolica de suscipiendo ordines, cum licentia sui ordinarij huiusmodi facultatem subordina-

tam

tam concedere potest.Nauar.de temp.ord. conf.19.in antiq.Quar. loco cit.Et insuper eodem anno durante Capitulum concedere potest Episcopo extero exercitium Pontificalium,& ordinationē pro priorū subditorum non tñ subditorū vacātis sedis.Henriq.in sum. lib.10. de ordin.c.22.Quar.cit.ver.Capitulum sede vac. q.11. Genuen.in prax.cap.87. num.33. eadem omnia Vicarius capituli sede vacante potest,imo ad ipsum spectat,nisi sibi Capitulum hoc particulariter reseruauerit,aliqua enim sibi reseruare potest.Quar. cita. ver.capitulum.dubitatur 4.

Dimissorias etiam cōcedunt regulares superiores suis monachis, iuxta modum,& formam traditam in hac ordinatione, Clem. Papę VIII.vt sequitur.

De mandato S.D.N. Clementis Diuina prouidentia Papæ Octaui tenore præsentium mandatur omnibus & singulis quorumcumque Regularium superioribus,vt de cætero obseruent,& obseruari faciant, ea quæ in decreto sacræ cong.Conc.Trid.continentur,cuius tenor est talis.

Congregatio Conc. censuit superiores Regulares posse suo subdito itidem Regulari, qui præditus qualitatibus requisitis ordines suscipere voluerit, litteras dimissorias concedere:ad Episcopum tamen Diæcesanum nempe illius monasterij in cuius familia ab ijs ad quos pertinet is Regularis positus fuerit,& si Diæcesanus absfuerit, vel non esset habiturus ordinationes,ad quemcumque alium episcopum,dum tamen ab eo episcopo, qui ordines contulerit examinētur quoad doctrinam, & dum ipsi Regulares non distulerint de industria concessionem dimissoriarum in id tempus quo Episcopus diæcesanus, vel absuturus, vel nullas habiturus esset ordinationes.Verum cum à superioribus Regularibus Episcopo Diæcesano absente,vel ordinationes nō habente litteræ dimissoriæ dabuntur, in eis vtique huiusmodi causam absentiæ Diæcesani Episcopi,vel ordinationum ab eo non habendarum,exprimendam esse.Quod qui non fecerint, officij, & dignitatis seu administrationis ac vocis actiuæ, & passiuæ priuationis,ac alias arbitrio eiusdem S.D.N.Papæ reseruatas pœnas incurrent.In quorum,&c. Dat.Romæ,die 15.Martij, Ann.1596.

Semel autem concessæ dimissoriæ semper durant, nec expirant morte ciuili,vel naturali concedentis,nisi per successorem reuocentur.Card.in clem.fin.quæst.5.de elect.Nau.in cap.placuit,de pœni. dist.6.num.34.& 163. Neque concessæ à capitulo expirant finita sedis vacatione,Imol.in cap.2.ne sede vacan.Rebuff.de for.dimissor. num.43.Quar.ver.cit.Capitulum,dubitatur secundo.

D Limi-

Limitatur secundo nostra propositio de subditis ordinandis, vt
15 non habeat locum in familiari triennali, familiarem enim huiusmodi ordinare potest episcopus licet fuerit ex alterius Diæces. Concil. cit. sess. 23. cap. 9. de ref. Ita tamen, vt beneficium sufficiens ipsi statim cōferat. Conc. ibi. Et quidem etiam ordinando ad minores, tenetur promoto prouidere de beneficio hoc casu, quia nimirum facultas promouendi familiarem fundatur in collatione beneficij, ita declarasse sac. Cong. Conc. testatur Paris. de resig. lib. 4. quæstio. 2. num. 92. Dicitur autem familiaris, qui præsens semper assistit episcopo, nō qui in longinquo moratur, etiamsi ibidem sumptibus episcopi viuat, Maiol. lib. 4. de irreg. cap. 2. num. 5. Lopez ad Diaz. cap. 26. rationemque dant ijdem Doctores, quia in longinquo mores talium Episcopus cognoscere non potest, ob quem respectum Concil. videtur dedisse hanc facultatem Episcopis. Quar. cit. ver. ordo.

Sublimitari tñ debet hæc limitatio, vt licet possit Episcopus familiarē ordinare, dispensare tñ cum ipso non potest in casibus in quibus licitè alias posset dispensare cum suis subditis; neque circa interstitia in promouendo seruanda, nisi arctetur intra certum tempus ad suscipiendum ordines propter beneficium acceptum requirens certum ordinem, Nau. de temp. ord. consil. 12. 23. & 28. in antiq. Quar. loc. cit. Zerol. p. 1. ver. ordo ad 7. Sublimitatur secundo, vt nō habeat locum in Episcopis titularibus, isti enim ratione familiaritatis neminem ordinare possunt, textus expressus Conc. Trident. sess. 14. c. 2. de ref. in illis verbis (*etiam prætextu familiaritatis continuæ commensalitatis suæ*) & hoc, quia non habet Diæcesim in qua familiaris fiat domiciliarius, cum neque ipsi dicūtur esse in do-
16 micilio proprio, neque habent beneficia de quibus prouideant ordinatis. Quar. loco cit. Imò Pius V. decreto suo Consistoriali ordinauit, ne tales Episcopi titulares Pontificalia exercere possint, absque expressa licentia sedis Apostolicæ, nisi in Diæcesi ad quam fuerint dati suffraganei, & quod de cætero non dentur nisi ecclesijs Cardinalium, & illis, quæ solitæ fuerunt eosdem habere, & cum assignatione certi stipendij ad minus Ducatorum auri ducentorum de camera, quos propria authoritate percipere possint, vt testatur Fran. Leo in sua prax. c. 39. num. 17.

De fœminis Gentilibus, & Infidelibus Iudæis non Ordinandis.

SVMMARIVM.

17 *Fœmina si ordiantur non recipit characterem.*
18 *Hermaphroditus ordinari non debet, & quando recipiat characterem.*
19 *Baptismus est ianua sacramentorum.*
20 *Baptismum, vel alia sacram. iterantes quomodo efficiantur irregulares.*
21 *Neophyti, Apostatæ, ordinari non debent.*

17 FOeminæ non possunt ordinari, & si ordinentur, non recipiunt characterem, cap. noua. de pœnit. & remiss. S. Thom. in 4. distin. 25. quæst. 2. art. 1. Arch. in cap. Diaconissam, 27. quæst. 1. Hostiens. in sum. de temp. ordin. nu. 31. §. sed & præter, & omnes communiter Theol. & Canonistæ. Hermaphroditus etiã, si in fœmineum sexum magis declinet, vel dubium sit ad quem declinet magis, ordinari nõ
18 potest, & ordinatus non reciperet characterem, Ang. verbo ordo 3. num. 21. ad quod citat tex. cap. illiteratos 26. dist. Arm. ver. Hermaphro. nume. 2. & communiter interpretes, in cap. si testes, §. Hermaphroditus 4. quæst. 2. Quod si in virilem sexum magis declinet, ordinatus reciperet characterem, ordinari tamen non debet. Authores citat.

Gentiles quoq; Pagani Iudæi. Cathecumeni, & vno verbo, qui nõ sunt baptizati non debent ordinari, & ordinati non reciperẽt cha
19 racterem. Quia nimirum Baptismus est ianua, & fundamentum omnium sacramentorum, cap. 1. & 3. de presb. non bapt. ibique Abb. Innoc. Hos. in sum. tit. eo. Nau. in man. cap. 27. num. 207. Viuald. de irreg. num. 36.

Rebaptizati etiam seu bis baptizati siue à Catholicis siue ab Hæreticis, scienter, vel ignoranter, maximè vero si post factum ratam habuerint iterationem, sponte etiam, vel metu, qui non cadit in constantem licet ordinati characterem recipiant, ordinari tamen prohibentur, cap. qui bis ignoranter de consecr. dist. 4. Nau. loco cita. num. 246. Viuald. loco cit. num. 39. Arm. verb. irregularitas, nu. 84. Ang. ibid. 1. nu. 24. hacque eadem irregularitate ligari dicit ipsum rebaptizantem, & rebaptizationis ministrum.

De illis tamen, qui ignorantia probabili, vel metu cadente in cõstantem, fuerunt rebaptizati, omissis diuersis diuersorum distinctionibus, securior videtur sententia, Arm. loco cit. qui dicit cum tali-

 bus per

bus per episcopum dispensari posse, ita quod in casu simili quo non videretur sequi irregularitas ad maiorem cautelam petenda sit ab
20 episcopo dispensatio, præsertim in tanta Doctorum discrepantia, quorum plurimi nullã ignorantiam, vel aliam rationem, tenent excusare posse in tali casu rebaptizationis quominus sequatur irregularitas, ad hoc facit Host. in sum. de sacram. non. iter. circa finem.

Iterantes autem alia sacramenta characterem imprimentia, vt Ordinis, Confirmationis, licet peccent iuxta modum iterationis, irregularitatem tamen huiusmodi non contrahunt, ita tenet Scot. in 4. distinct. 7. quæst. vlt. Victor de sacram. confirma. num. 45. Angel. Arm. loco cit. qui citta. ad hoc Host. cũ tamen ipse contrarium prorsus teneat loco cit. in fine. Hanc etiam opinionem esse communem, & iuribus magis consonam testatur. Nau. loco cit. num. 247. licet ipse teneat contrarium ductus consuetudinis authoritate, de qua tamen non constat, nec auditur aliquis in simili casu dispensationem petijsse.

Huc reducendi sunt Neophiti, Apostatæ, & fidem abnegantes, quod ordinari non possint etiam postquam ecclesiæ fuerint recon-
21 ciliati, recipiunt tamen characterem si ordinantur: de Neophitis est text. cap. 1. dist. 48. Hostiens. cit. in sum. de temp. ordin. num. 30. ne videlicet effetantur superbia. Intelligendum tamen de recenter conuersis, non de illis qui à multis annis facti sunt Christiani. Feli. in cap. eam te. de rescript. num. 12. Nau. loco cit. num. 205. De Hæreticis est tex. c. quicunque, & c. statutum, de Hæret. in 6. vbi pæna huiusmodi extenditur ad filios, & secũdam generationem paternam, & primam maternam. De Apostatis vide tex. cap. placuit, & cap. hi qui. dist. 50. In hæresi præterea baptizati, siue ab hæreticis baptizati arcentur ab ordinibus, cap. qui in aliquo. 51. dist. cap. qui in quali bet. 1. quæst. 7. Et qui differunt baptismum vsque ad adultam ætatem, vel ægritudinem, cap. si quis, 57. dist. Ang. verb. irregularitas, num. 55. Ab Episcopo Hæretico, Apostata, excommunicato, suspenso, interdicto, Simoniaco declarato, vel intruso, ordinati, licet characterẽ recipiant, ad superiores tamen ordines non sunt promouendi, & in susceptis absque dispensatione ministrare, non possunt, cap. gratia, cap. si qui. & seq. & cap. constat multos, 1. q. 1. Arm. verb. irreg. num. 78. vbi distinguit de talibus, nimirum, si id fecerint scienter, non nisi per Papam dispensandos esse, si vero ignoranter, vel metu cadente in constantem, posse cum illis per Episcopum dispensari.

Ordinati autem ab Hæretico, qui non fuit Episcopus, vltra, id qđ sunt inhabiles ad ordines, etiam illa ordinatio nullum ipsis impressit

sit characterem,ita quod si ex gratia Papæ fuerint dispensati, iterũ debeant ordinari,cap.Daibertum,& seq.1.quæst.7.Ipsi etiam ordinandi,dum fuerint excommunicati,suspensi, ordinari non debent. Nau.loc.cit.Ang.lo.cit.num. 22. similiter, & violatores interdicti Ecclesiastici si illud violent in ordinibus existentes,actum aliquem ordinibus deputatum exercendo,ad superiores ordines promoueri, non possunt,si autem violent existentes laici, licet peccent,non tamen incurrunt prohibitionem ab ordinibus.Nauar.cit.nu. 243.

De requisitis ætatis, Confirmationis, Natalium.

SVMMARIVM.

22 *Aetatem requisitam non habens ordinari non debet.*
23 *Aetas requisita quæ sit in quibusque ordinibus.*
24 *Bulla Pij. II.contra malè promotos.*
25 *Illegitimi ordinari prohibentur.*
26 *Legittimitas secundum canones,non secundum ius ciuile consideratur, quoad ordines.*
27 *Infantes vulgo expositi an pro legittimis sint habendi.*

22 ORdinandi præterea non sunt qui non habent ætatem requisitã. Quæ prohibitio non est quidem de necessitate Sacramenti,'nã quo ad hoc nulla ætas certa requiritur, ita vt etiam in cunis puer ad Sacerdotiũ vel Episcopatum si ordinetur,recipiat characterem, licet ipsi nõ generetur inde præiudicium,quo minus reclamare possit factus adultus,nisi ratum habuerit in ætate legittima. Host. in sum.cit.de temp.ord.num.31.§.sed & præter.Arm.verb.ætas, num. 1.Est igitur prohibitio hæc de necessitate præcepti,authores. citat. Est autem ætas requisita,quo ad primam tonsuram, & tres primos minores,annorum ad minus septem,ad Acolytatum,annorum duodecim,cap.nullus,de temp.Ord.in 6.cap.in singulis,77. distinctio. hæc enim moderanda est ex præscripto iuris communis,vt declarauit.S.Cong.verbis.

Cong.Conc.respondit nullam esse à Trid.Conc.præstitutam ætatem tonsuræ,& quatuor minoribus ordinibus,sed eam attendendã quæ à sacris canonibus præscribitur.

De re-

23 De reliquis vero ordinibus post iura antiqua disposuit Concil. Trid.cit.sess.23.ca.12. de ref.assignando ad subdiaconatum annos, Viginti duos,ad Diaconatum annos viginti tres,ad Præsbyteratum annos viginti quinq;,& sufficit,quod annus sit inceptus, nisi in Episcopatu in quo requiritur annus trigesimus completus, capitulo cum in cunctis,de elect.iun.glos.clem.generalem.de ætat. & qual. Host.cit.eod.tit.num.1.

Pœna autem ante ætatem requisitam ordinari sese faciētium est, quod ipso facto efficiuntur suspensi.c.vel non est compos. de temp. ord.& extat ordinatio Pij II.quam hic propter frequentem eius vsũ inserendam duximus, vt sequitur.

Cum ex sacrorum Ordinum collatione character inuisibilis animæ im-
24 *primatur,sacra misteria dispensentur,& ipsarum cura tribuatur animarum; in eorum susceptione excessus graues tanto magis plectendi sunt, quantò ex illis maiora in mentibus fidelium scandala generantur . Cum itaque sicut fide dignorum relatione,non nisi molestè accepimus,non nulli clerici extra tempora à iure statuta,quidam ante ætatem legittimam,ali qui vero sine dimissorijs litteris,contra sanctiones Canonicas se faciāt ad sacros ordines promoueri.Nos eorundem temeritatem tali castigatione re primentes vt alijs in posterum cōmittendi similia aditus præcludatur,authoritate Apost.præsenti constitutione perpetuo valitura statuimus, & ordinamus,quod omnes,& singuli,qui absque dispēsatione Canonica,aut legittima licentia,siue extra tempora à iure statuta, siue ante ætatem legittimam,vel absque dimissorijs litteris etiam Citramontani à Citramontanis,(prꝛterquam si in hoc vltimo casu per Cameram Apostolicam iuxta ipsius stylum ordinati fuerint) ad aliquem ex sacris ordinibus se fecerint promoueri,à suorum ordinum exequutione ipso iure suspensi sint . Et si huiusmodi suspensione durante in eisdem ordinibus ministrare præsum pserint,eo ipso irregularitatem incurrant, præterea vltra alias pænas in tales generaliter à iure inflictas,beneficijs Ecclesiasticis quæ obtinēt,possint iure priuari.Volumus autem quod præsens nostra constitutio in Rom. Curia existentes post quindecim dies;absentes vero Italicos post duos mēses,alios vero Vltramontanos post sex menses ab ipsius in audientia cōtra dictarum,& Cācel.Apost.publicatione,& affixione,ligare incipiat.Nulli,ergo &c.Dat.Romæ.anno Incarn.1461. 15.Kal.Decem.*

Ad minores tamen ordines si quis ordinetur contra ordinationē præmissam,non incurret suspēsionem huius extrauag.Nau.cit.c.25. num.70.De Episcopo vero ordinante ante ætatem debitam,cum ne

que

que Conc. neque dicta extrauag.quicquã disponant,recurrendum erit ad iura antiqua vt videlicet possit suspendi à collatione Ordinum per superiorem,non tamen erit ipsofacto suspensus,c.vel nõ est compos.cit.Creditur autẽ in materia ætatis,dicto parentum,vel testiũ,l.de ætate ff.,de minoribus Rebuff. de litt.primæ tons.num.13.

Ordinari prohibentur qui confirmationis Sacramentum prius non susceperint. Conciliũ loco citato. sess. vigesimatertia, cap. 4. si tamen ordinentur,dummodo non faciant ex contemptu, nullam incurrunt censuram.Victor.cit.de sacr.ord.nume.232. & plus dicit Nau. in tali casu nec ordinatum nec ordinantem peccare mortaliter.in man.c.22.num.9.ad quod citat.Sot.in 4.distinct.14.quæstio. 1.artic.4.

25 Requiritur præterea in ordinando vt non sit illegitimus, c. 1.de filijs præsb.& tales dicuntur,qui ex parentũ coniunctione, sacris canonibus reprobata,nascuntur,& de horum diuersitate,tradit Host. cit.in S.tit.qui filj sint legit.Ang.verb.filius.Nau.cit.cap.22. à num. 19.dum tractat de impedimẽtis matrimonij,ratione quorum,vltra conceptos,ex adulterio,incestu,fornicatione,sequitur prolis illegitimitas.

Ampliatur hoc requisitum,vt procedat etiam in illo qui secretè scit se esse illegitimum,quoad forum enim cõscientiæ,ordines susciperenon deberet,nisi obtenta dispensatione quam sufficeret obtinere secretè.Nau.cit.cap.27.num.201.licet non teneatur credere matri dicenti eum esse ex adulterio conceptum.Panor.in cap. per tuas. de probat.& communiter Doctores,in l.si vicinis.C.de nuptijs.Imo etiamsi ambo parentes negarent eum esse suum filium, nõ teneretur stare ipsorum assertioni,dummodo probare possit aliquibus argumentis se esse filiũ,vt aperte tex.in c.trãsmissa,qui filij sint legit.iun. glo.& l.si posthumus,ff.de lib.& posth.§.siquis.l. Lucius,ff. de condit.& demonstrat.Patris enim dictum filio non præiudicat,l.1. ff.de Carb.Edict.neque matris.l.imperatores,ff.de probatio.licet è contra confessio parentum,multum prosit filijs,arg.l.1.§.Iulianus,ff.de lib.agnoscen.

26 Ampliatur secundo,vt procedat,etiamsi natus esset quis ex matrimonio licito secundum ius ciuile, secundum Canones vero prohibito, in ordinibus enim legittimitas canonica est attendenda,non ciuilis,ca.per venerabilẽ qui filij,sint legit.Host.in S.ibid.num. 11.

Ampliatur & vltimo,vt huiusmodi illegitimi,ordinari non possint, etiamsi legittimentur per Imperatorem, seu alium Principem sęcularem:legittimatio enim huiusmodi illis non suffragatur,nisi in foro

foro sæculari,& in terris tantum illius qui legittimat.c.lege.10.dist. Panorm.in cap.per venerabilem,cit.Ang.verb.legittimatio,num.4. secus de legittimatis per Papam,vt infra. Limitatur autem Primo, vt non habeat locũ in natis ex soluto & soluta,qui postmodũ legittimè contraxerunt, filij enim ante nati legittimantur per hoc subsequẽs matrimonium,& sunt habiles ad ordines, c. tanta. qui filij sint legitti.si nimirum tempore quo geniti fuerint, nullum ad fuerit impedimentum, quominus contrahi posset matrimonium, alias si ad fuerit impedimentum,licet postea dispensentur super impedimento ad effectum contrahendi,& contrahant,filij tamen ante nati manebunt illegittimi,nisi in dispensatione cum illis quoque expresse dispensetur.Ang.loco cit.& verb.legittimatio.num.7.vbi Panorm.& Ioan.And.in cap.per venerabilem,cit.tenentes contrarium, dicit intelligi debere,& loqui de matrimonio stante impedimento contracto,& in eo prole suscepta,nam tum si postmodum tollatur impedimentum per dispensationem,dispẽsatio hæc retrotrahetur,quoad filios ante genitos,arg.l.cum mihi decem,ff.de solu.

Sublimitari etiam debet hæc nostra limitaito,vt si illegitimus ordinetur,& post facto ipsius parentes contrahant,licet ipse legittimetur per hoc subsequens matrimonium,ordinum tamen susceptio nõ conualidatur,& manet suspensus ab ordine suscepto,donec cum ipso dispensetur.Viuald.de irreg. num.119.

Limitatur secundo dictum principale,vt non procedat, in casu cum parentes stante impedimento contraxerint prolemque susceperint,sed impedimentum alter eorum vel vterque ignorauit, proles enim sic suscepta habilis erit ad ordines,cap.ex tenore.qui fil.sint legitt.& in tantum quidem vt etiamsi lite iam mota ante sententiam concipiatur proles,& propter impedimẽtum vir,& mulier postmodum separentur,adhuc ista proles gaudebit iure legittimitatis,cap. cum inter.& cap.ex tenore.iun.glo.verb.legittimũ,loc.cit. Limita tertio in illis,quorum parentes in infidelitate existentes,in gradu canonibus prohibito contraxerunt,sic enim nati post conuersionem legittimi habentur,& ordinari possent,nisi ex alia causa prohibeantur,cap.vlt.loc.cit.Host.in S.ibid.num.11.

Limita quarto,in illegittimis ingredientibus Religionem, Iura enim Religionis fauore cum talibus dispensarunt,c.1. de fil. præsb. Prohibuerat tamen Six.PP.V.illegittimos,ad Religiones recipi,ordinatione sua.incip.cum de omnibus,de anno.1587.publ. die. 27. Nouem.sed eam prohibitionem postmodum Greg.XIIII.alia sua ordinatione,incip.circunspecta de anno.1590.idib.martij, relaxauit, permit-

permittens arbitrio superiorum Regularium susceptionem illegittimorum.

27 Limitatur quinto, vt non procedat in infantibus vulgo expositis, isti enim pręsumūtur pro legittimis, & possunt ordinari, c. cum deputati, de Iudic. Ibique. Felin. num. 10. In dubio enim, semper pro fauore prolis iudicatur, cap. ex tenore. cit. qui fil. sint legit. Quinimo tales, etiamsi de seruili essent conditione, consequuntur plenam libertatem, l. nemini. C. de Episcop. audie. l. 3. & vlt. ibidem de infant. exposit. cap. si expositis, 87. dist. iun. gl. c. vnico. de infan. expos. Ibique Ana. Gabr. Palleot. de spurijs, cap. 65. a num. 3. ad finem, vbi hāc sententiam multis probat, & communem esse testatur. Host. quoque in S. tit. cit. qui fil. sint. legitt. num. 8. refert eandem opinionem, licet magis inclinet in contrariam, ex ratione, quod vulgo non exponantur nisi illegittimi; quod eo magis verum esset vbi constaret euidentibus coniecturis sic expositum esse spurium. Et hæc secunda opinio magis practicatur, vidique sæpius in similibus dispensationes expediri in Rom. Curia.

De honestate vitæ, & morum in ordinandis requisita.

S V M M A R I V M.

28 *Infames non debent ordinari.*
29 *Infamia triplex.*
30 *Seruitus quænam impediat susceptionem ordinum.*
31 *Homicidæ non possunt ordinari.*
32 *Abortum procurans quam irregularitatem incurrat.*

28 Vitæ probatæ sunt ad Ordines assumendi. Concil. loco citat. sess. 23. capi. 5. 7. & 12. de ref. ca. hinc etiam. 49. dist. Vnde infames, criminosi, non sunt ordinandi. Et infamis dicitur, cuius status, vita, & moribus, est reprobatus. Angel. verb. infamia, in princip.

Triplex autem numeratur infamia. Facti, iuris, & Canonica, Canonica est, quæ propter quodlibet peccatum mortale incurritur, c. infames, 6. quæst. 1. & cap. vlt. 25. distinct. cap. quoniam 48. distin. sed hęc infamia, sola pęnitentia tollitur, vt docet Pan. in c. ex diligē ti, de Sim. Viual. de irreg. num. 105. nec de ea, quis iudicari potest in foro exteriori, cum sit occulta, tenetur tamē in conscientia, habens

peccatum morale, confiteri prius, antequam ordines suscipiat.

Facti infamia est cum aliquis apud bonos, & graues viros infama tur vel frequentatione criminum, quæ non vno actu, sed pluribus inducunt infamiam, vel vno crimine patrato, si ita iure sit definitū. Prioris generis possunt esse exempla, aleatores, cap. inter dilectos, de excess. prælat. Vinolenti, & delicatè viuentes, cap. ante omnia, c. ecclesiæ Principes 25. distinct. seditiosi, cap. seditionarios, 46. dist. concubinas, seu fornicarias habentes, cap. qui in aliquo. 51. distinc. Conuiuia facientes, cap. multis, 44. dist. tabernarum frequentatores, mimis, & histrionibus attendentes, vel eadem exercentes, in scena ludentes, cap. clerici, de vita & honest. cler. cap. maritus, 33. dist. Item vsurarij, cap. 2. loco cit. de vita & hon. Item & sordidas artes exercentes, clem. 1. eodem titu. sed hæc infamia cessat arte relicta. Actus et frequentatus requiritur, & assuefactio, vt ex ea talis vilitas personæ sequatur, aliter enim vnus actus, seu plures, sine assuefactione, non sufficerent ad infamiam contrahendam Innoc. in c. cum decorem, tit. cit. de vita, & hon. cler. licet Abb. ibid. teneat contrarium, argum. text. in cap. ita nos. iun. glo. ver. vsum 25. quæst. 2. & Arch. in c. illud dist. 12. qui dicunt binum actum sufficere, ad contrahendam hanc infamiam.

Secundi generis infamiæ facti, exempla sunt, periurium, c. querelā, de iureiuran. homicidium hæresis, simonia, adulterium, c. qui in aliquo, 51. dist. 1. q. 1. per totum. Et qui contrahit cum duabus, vel habet duas sponsas, l. quid ergo, ff. de his, qui not. infam.

Qui lenocinium exercuit, filias, vel neptes prostituit, l. athletas, §. ait prætor, ibid. qui pugnauit cum fera, l. 1. §. item senatusconf. ff. de postulando. Diximus autem apud bonos, & graues viros debere infamari, nam dicta paucorum, & leuium personarum, non inurerent infamiam, Ang. loco cit. num. 2. Et requiritur, quod sit infamatus ex vero delicto, si enim solum fama spargatur, purgare se poterit, & ordinari.

Iuris vero infamia est, cum quis Iudicis sententia, vel ex genere delicti, vel ex genere pœnæ, vel simul vtroque infamis efficitur, vt cum pronuntiat iudex aliquem esse adulterum, l. palam, §. in adulterio, ff. de ritu nupt. vel vsurarium, cap. infames. 3. quæst. 7. Cum princeps mittit quem in exilium seu aliam pœnam infligit, qua inducitur infamia. l. quod ait, ff. de his qui notan. infam. cit. euidétior enim est infamia, quæ ex pœna procedit, quam, quæ ex sententia. Innoc. in cap. qualiter, de accus. Et cum quis publica pœnitentia crimina defleuit, c. maritum, 33. dist.

Qui

Qui vero fustibus ceduntur, siquidem ob crimen à superiore, fiũt infames si vero non ob crimen nullam incurrunt infamiam, l.ictus, ff.de his, qui notantur.cit.

Et contrahitur hæc infamia iuris, etiamsi non ferat iudex sententiam, dummodo reus confiteatur delictum, cap.testimonium, de testibus. Vel si ob crimen, quis à testimonio repellitur, l.eos, ff.de decurion.& notat. glo.in cap.ipsi Apostoli, 2.quæst.7. Arbitri tamen sententia non induceret infamiam, l.quid ergo, §.ex compromisso, iun.glo.ver.non facit, ff.de his, qui notantur cit. Collegimus autem hic infamias iuris ciuilis, & canonici, quia ad paria iudicãtur, & infamis in ciuili est etiã infamis in canonico, c.oẽs, 6.q.1.Inn.loco cit. de accus. Et infamis, restitutus ab Imperatore seu Principe nõ recognoscente superiorẽ, dũmodo pœnituerit, non eget alia dispensatione, sed potest promoueri, Abb.in cap.cum re.de sent. & re iud.Arm. verb.infamia, num.7.

Omnes itaque prædicti infames, prohibentur ordinari, c.vlt.iuncta glo.25.dist.c.omnes, 6.quæst.1.c.vlt.iun.gl.ver. notorium, & verb.iudicio comprobatum.de temp.ord.

Status, & conditio personarum in ordinandis etiam cõsideratur. Vnde serui prohibentur ordinari, 56.dist.per totum, Host.in s.de seruis, non ord. Ang.ver. seruitus. Dicitur autem seruus, qui iure gentium contra naturam subijcitur Dominio alterius, Instit.de iure personarum, §.seruitus, sed quoniam seruitus huius generis in tota ferè Europa his temporibus non seruitur, plura de ea congerere esset superfluum, alia genera seruitutum si quæ sunt videamus.

Et primo occurrũt serui originarij, & adscriptitij, qui videntur ab ordinibus repellendi, Ang.loco cit.num.2.sed iura municipalia, vt plurimum, talibus concedunt licentiam, ad statum Ecclesiasticum aspirandi, vt in multarum Prouinciarum statutis videre licet.

Aliud genus seruitutis est voluntarium, cum quis voluntariè seruitijs alienis mancipatur. Et quidem, vel publicis, vel priuatis. Si publicis, & in causis sanguinis, vt iudex criminalis, Notarius, lictor, miles, apparitor, procurator, & de istis est diuersa, & grauior prohibitio, vt infra, si in causis ciuilibus, & perseuerat in officio, quod est miserabilium personarum, vt pupillorum cura, tutela, legibus, vel à iudice imposita, & talis promoueri potest etiam non deposito officio cap.peruenit, 86.dist.si vero officium non sit miserabilium personarum, promoueri non debet, nisi officium deponat, cap.1.2.& cap.sed nec procuratores. Ne cler.vel mon. Vltra etiamsi officium deposuerit, sed remanet obligatus ad ratiotinia, promoueri non de-

E 2 bet,

bet, nisi redditis ratiotinijs, cap. præterea, 51. dist.

Priuati alicuius seruituti deditus, si perseuerat, promoueri non debet, 21. quæst. 3. per totum, si autem non perseuerat, sed remanet obligatus ex dolo, vel perfidia, de quo ipsi quæstio mouetur, vel esset publicè infamatus, promoueri quoque non debet, cap. omnipotens. de accus. Host. in sum. de oblig. ad ration. num. 3. Quod si obligatus remanet ex culpa tantum, vel ex mutuo, seu alia obligatione ciuili ordinari potest. Host. loco cita. Inn. ibid. in cap. magnus. Ang. verb. ratiotinia.

Et licet de criminosis in genere supra dixerimus, in specie tamen de homicidis aliqua adhuc, dicenda sunt, cum isti maiore prohibitione teneantur.

Vnde Homicidæ non possunt ordinari, cap. 1. c. continebatur, c. de cætero, de homic. & communiter Doctores. Et sub hac prohibitione, quo ad incurrendam irregularitatem, continetur non solum homicidium ipsum ex quo mors sequitur, sed etiam abscissio membri ita quod abscindens membrum hominis afficiatur irregularitate huius generis. Dicitur autem membrum pars hominis distinctum officium habēs vt manus, pes, non autem digitus, qui potius est pars membri, cap. vlt. de homic. in 6. iun. glo. magna, clem. vn. de homic. iun. glo. ver. mutilet. Nau. loco cit. num. 206.

Ampliatur, vt procedat huiusmodi prohibitio in homicida tam iniusto, quam iusto: iustus autem dicitur, qui dum homicidium facit licitè facit, vt est iudex, qui fontem ad mortem condemnat, & omnes illi, qui lege permittente occidunt, vt occidens bannitum, paganum in bello, adulterum deprehensum cum vxore, matre, sorore, cap. clericum, 50. dist. Sylu. verb. homicidium, 1. quæst. 3. Viual. de irreg. num. 204.

Amplia secundo ad illos, qui non per se, sed per alium exequuntur homicidium, vt qui mandat, cap. periculosè. de pœniten. dist. 1. vel qui auxilium, consilium dat homicidio, cap. sicut dignum, de homicid. cap. si quis viduam, 50. dist. sola tamen voluntas non inducit irregularitatem, Arm. ver. irregularitas, nu. 10.

Amplia tertio ad illum, qui causam dat homicidio, vt si quis venenum præbet, maleficijs inficit, abortum procurat fætus animati, canem incitat, ex cuius morsu mors, vel mutilatio sequitu .
Causa tamen debet esse proxima, & directa ad homicidium immediatè, non autem remota, vt si quis præbeat arma eunti ad bellum, licet ibi homicidium committatur, non tamen dans arma fit irregularis, quia præstatio armorum non directè tendebat ad eum finem.

Secus

Secus in illo,qui defendere ſe non valenti, in ipſo periculo pugnæ, arma ſubminiſtrauit,ſequuto enim homicidio incurrit ille, qui arma ſubminiſtrauit,irregularitatem, Nauar. cit.cap.27.à num.206. ad 218.

Amplia quarto ad illum,qui caſualiter,& nolens occidit,ſed rei illicitæ operam dando,cap.continebatur,de homic.

Amplia Quintò ad conſiliarios,Notarios Aduocatos, Procuratores, qui impugnant reum, qui postea ad mortem condemnatur. Item & lictores, apparitores, cuſtodes, & omnes, qui iudici ſiue in ferenda,ſiue in exequenda ſententia ſanguinis,operam præſtant,ſeu aſſiſtunt cum quis iuſticiatur,ad eum effectum, ne effugiat. Nauar. loco cit.num.217.De iſtis tamen,qui aſſiſtunt ſeu comitantur iuſticiandum,Vict.de Sacr.Ord.num.239.dubitat, quod incurrant irregularitatem, niſi ſic aſſiſtant, quod non ſequeretur mors niſi ipſi aſſiſterent.

Amplia ſexto ad illos,qui furem, ſeu alium malefactorem iudici tradunt,vel detinent,donec apprehendatur, iſti enim irregularitatem incurrunt ſi ſequatur mors,niſi fuerint proteſtati,ſe nolle mortem ipſius,cap.prælatus.de homicid.in 6.ſimiliter,& qui circa executionem Iuſtitiæ, aliquem actum facit, quo facilius mors ſequatur, vt ſi hortatur quis miniſtrum Iuſtitiæ,vt mortem acceleret,enſem acuit,ſcalam,funes, vel alia inſtrumenta,quibus mors paratur, ſubminiſtrat.Nau.loco cit.ad num.238. Victor. loco cit.qui etiam tales excuſat ab irregularitate, ſi faciunt actum aliquem bona fide, & non intendendo accelerationem mortis.

Ampliari poſſet ſeptimo ad illum, qui ira vel deſperatione ductus,violentas manus ſibi iniecerit,& membrum aliquod ſibi abſciderit,cap.qui partem,cap.ſiquis abſciderit, cap.hi qui.55. diſtinct. Non tamē fieret irregularis,huius generis qui hoc faceret ex neceſſitate,ob vitandum morbum ex conſilio medici, hoc enim caſu excuſatur,tam ipſe,quam medicus, & chirurgus abſcindens membrū, cap.ſi quis à medicis,cap.ſi quis in infirmitate,diſt.cit.

Limitatur autem primo, vt non habeatlocum hæc irregularitas in caſu cum aliquis occidit in defenſione vitę propriæ, clem. vnic. de homic. ſeruato ſcilicet moderamine inculpatæ tutelæ,ita quod occidat,eo,quod nec fugere,nec alio quouis modo effugere poſſit. Nau.loco cit. Viuald. de irreg.nu.225. qui notat defenſionem tum excuſare ab irregularitate, ſi illam præceſſerit periculum.In defenſione autem bonorum,vel vitæ patris, matris,vxoris,non excuſaretur ab incurrenda irregularitate,licet ſecundum leges licitè defendat,

dat, & sine peccato, cum irregularitas etiam sine peccato incurratur.glo.vlt.in cit.clem.de homicid.& cap.suscepimus, de homicid. Arm.ver.irregularitas,num.41.

Limitatur secundo, vt non incurratur irregularitas, si infans occidat,vel existens in frænesi, vel dormiens, clem.cit.

Limita tertio in illo, qui occidit antequã fuisset baptizatus,post baptismum enim non remanet talis irregularitas, cap.si quis viduam.iun.glo. ver. post baptismum, 50. distinctione. Nau. Victor. loc.cit.

Limita quarto in illo,qui debilitauit membrum alterius,ita vt illo amplius vti non possit,non tamen sit abscissum,nam licet sic debilitatus ex defectu membri efficiatur irregularis, debilitans tamen non incurrit irregularitatem,Nau.lo.cit.

Limita vltimo,vt non procedat,si occidatur homo non completus, vt si quis procuret abortum antequam fætus, anima rationali
32 informetur (quod accidit in mare post dies quadraginta, in fœmina post dies octuaginta à conceptionis die) non incurrit enim talis irregularitatem, licet peccet grauiter, cap.sicut ex literarum, de homicid.cap.quód vero,cap.Moyses,32.quæst.2.& si dubitetur num fuerit masculus an fœmina,præsumẽdum esse de masculo,vult Nau.cons.22.de homicid.in antiquis.

Et licet Six.V.constitutione sua incip. Effrenatam. procurantes abortum etiam fętus inanimis , vltra alias pœnas, irregularitatem incurrere decreuerit hæc tamen constitutio cum suis pœnis,quoad fætum huiusmodi in animatum moderata fuit,& reducta ad terminos iuris communis, à Greg.XIIII. Quæ constitutiones cum vltra dispositionem iuris antiqui,aliquas pęnas de nouo contra causantes abortum, contineant, & in multis vsui esse possunt, eas hic subiunximus,ea Sixti V. est vt sequitur.

EFrenatam perditissimorum hominum, & infra. *Omnes.& quoscunq; tam viros,quam mulieres,cuiuscunque statu,gradus,ordinis, ac cõditionis, etiã clericos sæculares,vel cuiusuis ordinis regulares,quauis dignitate,& præeminentia Ecclesiastica vel mundana fulgentes,qui de cætero per se,aut interpositas personas,abortus,seu fætus immaturi,tam animati,quam etiam inanimati,formati,vel informis,eiectionem procurauerint,percussionibus,venenis,medicamentis,potionibus, oneribus, laboribusque mulieri prægnanti impositis,ac alijs etiam incognitis,vel maximè exquisitis rationibus, ita vt reipsa abortus inde secutus fuerit, ac etiam prægnantes ipsas mulieres,quæ scienter præmissa fecerint, pęnas tam diuino*

uino quam humano iure, ac tam per canonicas sanctiones, & Apostolicas cõstitutiones, quam ciuilia iura, aduersus veros homicidas, qui homicidiũ voluntarium, actu, & re ipsa patrauerint, propositas, & inflictas (quorũ omnium tenores his nostris litteris pro expressis, & ad verbum insertis habemus) eo ipso incurrere; hac nostra perpetuo valitura, constitutione statuimus, & ordinamus, ipsasque pœnas, leges, & constitutiones, ad casus præfatos extendimus. Eos vero qui Clerici fuerint, omni priuilegio, officijs, dignitatibus, & beneficijs Ecclesiasticis, quæ sic vacatura nostræ, & sedis Apostolicæ dispositioni perpetuo reseruamus, ipso facto priuamus, & in futurũ inhabiles ad ea suscipienda decernimus: adeo vt illi qui hoc delictum commiserint, non secus, atque ij, qui sua voluntate homicidium, perpetrauerint, iuxta Concilij Trid. decreta, etiam si crimen id nec ordine iudiciario probatum, nec alia ratione publicum, sed occultum, fuerit, ad sacros ordines promoueri, aut in susceptis ordinibus ministrare nullo modo possint, nec illis aliqua Ecclesiastica beneficia, etiamsi curam non habeant animarũ, conferri liceat, sed omni ordine ac beneficio, & officio perpetuo careant; necnon & illos, qui clerici non fuerint; & talia perpetrauerint, non solum pœnas incurrere supranarratas, sed etiam inhabiles ad ordines, & alia prædicta, decernimus, & declaramus. Volentes quod hi, qui foro Ecclesiastico subiecti, vt præfertur, deliquisse comperti fuerint, per iudicem Ecclesiasticum depositi, & degradati, curiæ & potestati sæculari tradantur, quæ de eis illud capiat supplicium, quod contra laicos vere homicidas, per diuinas leges, ac ciuilia iura est dispositum. Præterea, eisdem pœnis teneri omnino statuimus eos, qui sterilitatis potiones, ac venena mulieribus propinauerint, & quominus fœtum concipiant, impedimentum pręstiterint, ac ea facienda, & exequenda curauerint, siue quocunque modo in his consuluerint, ac mulieres ipsas quę eadem pocula sponte ac scienter sumpserint. Quocirca mandamus vniuersis, & singulis iudicibus ordinarijs, & delegatis, tam Ecclesiasticis, quam secularibus, quibus contra criminum reos, etiam quo ad causas huiusmodi de iure, vel ratione delicti aut personarum, legittimè competet iurisdictio, ita tamen vt inter eos pręuentionis locus sit, vt in his delictis quę vt plurimum occulto perpetrantur, contra quoscunque non solum per accusationem, & delationem, verũ etiam per inquisitionem, & simplicem denunciationem procedant, ac ad illa probanda testes alias de iure inhabiles, eorundem tamen iudicum arbitrio habita ratione personarum, causarum, & qualitatum illarum, ac circumstantiarum quarumcunque admittant, ac in eos qui culpabiles fuerint prout per nos sancitum est, demum animaduertant. Insuper vt immanissimi huius delicti grauitati, non solum temporalibus, verum etiam spiritualibus pœnis prospiciamus, ac prouideamus: omnes & singulos cuiuscunque

que

que status, gradus, ordinis vel cōditionis existētes, tā laicos, quā clericos sæculares, & cuiuscūq; ordinis regulares, necnon mulieres sæculares, vel quęcunq; ordinē professas qui, vel quæ, vel vti principales, vel vt sociæ, consciæ vè, ad tale facinus committendum, opem, consilium, fauorem, potionem, vel alia cuiuscunque generis medicamenta scienter dederint, ac etiam scribendo litteras priuatas, vel apochas, vel alias verbis, aut signis iuuerint, aut consuluerint, vltra supradictas pœnas, ipso facto, nunc prout ex tunc excommunicamus, & pro excommunicatis declaramus. Decernētes, ac declarantes, quod per quæcunque iubilæa, & indulgentias per nos & successores nostros etiam anno iubilæi aut alio quouis tempore, etiam Cruciatæ sanctæ, Iubilæi, vel quouis alio titulo concessas, & concedēdas, necnon per quascunque litteras Apostolicas, quibusuis Principibus, seu ad eorum instantiam, per nos, & successores nostros pariter concessas, & concedendas, ac etiam vigore priuilegiorum mare magnum, vel alias quomodolibet nuncupatorum, quibusuis congregationibus Regularium, aut Episcopis vigore Cōcilij Trid. vel alias per nos, & prædecessores nostros, quomodocumque concessorum, vel in futurum concedendorum, nec personæ sic vt præfertur delinquentes, & excommunicatę præterquam in mortis articulo, absolui valeant, nec cum ijs clericis qui huiusmodi delicta perpetrauerint, etiamsi eorū crimē occultum fuerit, super irregularitate præmissorum occasione contracta, nec per locorum ordinarios, nec per alios quauis auctoritate fungentes, quam per nos, & Rom. Pont. nostros successores, & tunc non nisi vrgentissimis de causis, dispensari possit. Ac tam absoluendi, quam dispensandi facultatem huiusmodi, etiam quoad forum conscientiæ, in casibus superius expressis, nobis, & successorib. nostris duntaxat reseruamus: statuentes sic in præmissis vniuersis, & singulis, per quoscunque iudices ordinarios, & delegatos etiam causarū Palatij Apost. & S.R.E. Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet, quauis aliter iudicādi, & interpretandi facultate, & auctoritate, in quauis causa, & instantia iudicari, & definiri debere. Irritumque, & inane. &c. Non obstantib. &c. Dat. Romæ in monte Quirinali. Ann. incarnat. Dom. 1588. 4. Kalen. Nouemb.

Tenor autē Greg. XIIII. constitutionis qua moderatur præmissa Six. V. constitutio, est vt sequitur.

S*Edes Apostolica*, & infra. *Dudum siquidem fel. recor. Sixtus Papa V. prædecessor noster, iustitiæ zelo accensus, contra procurantes abortum fœtus, tam animati, quam inanimis, eiusque grauissimi sceleris participes, & adiutores, necnon contra eos, qui mulierum fœcunditatem impedirent, & sterilitatis potiones, seu veneni præberent, constitutionem edidit*

edidit, sub Dat. 4. Kal. Nouemb. Pont. sui ann. 3. per quam vltra diuersas spirituales, & temporales pœnas, etiam inter alia excommunicationis sententiã contra eos promulgauit, sibique, & successoribus suis tantum, absoluendi facultatem reseruauit, prout in eadem constitutione plenius continetur. Cum igitur postmodum experientia docuerit, ex remedio huiusmodi, non eam, quæ sperabatur vtilitatem, & fructum prouenisse, verum potius multis sathanæ malitia ad peccandum inauctis, difficiliori ob soli sedi Apost. reseruatam absoluendi facultatem, reddito ad pœnitentiam aditu, eos à nefarijs huiusmodi flagitijs perpetrandis, non solum non retraxisse, sed etiam plurimorum sacrilegiorum, grauissimorumque peccatorum, & scelerum occasionem dedisse. Nos igitur animaduertentes gladium Ecclesiasticæ disciplinæ, præsertim quoad censuras, & pœnas spirituales, ita exercendam esse, vt ad medicinam tendat, non ad perniciẽ animarum, verumque Pastorem cuius vices in terris gerimus, quantum diuina eius gratia adiutrice possumus, imitari volentes, qui venit animas hominum saluare nõ perdere, neminique quantumcumque grauiter, & enormiter deliquerit, viam salutis præclusit, quin potius ad eam assequendam copiosè remedia adhibuit, ac nobis reliquit, & simul vtilius censentes vbi nec de homicidio, nec de animato fætu agitur, pœnas non imponere duriores his, quæ per sacros Canones, & leges prophanas sunt inflictæ. Habita super hoc cum venerabilibus fratribus nostris, S.R.E. Cardinalibus super negotijs, & consultationibus Episcoporum deputatis, matura deliberatione, de eorum consilio, constitutionem prædictam sic duximus moderandam, vt à peccato, & excommunicatione contra personas ibi expressas lata, tam quoad eos, qui hactenus deliquerunt, quam quoad illos, qui post nostram constitutionem in eisdem casibus deliquerint, quilibet præsbyter, tam sæcularis, quam cuiusuis ordinis regularis, ad Christi fidelium confessiones audiendas per loci ordinarium approbatus, plenam, & liberam in foro conscientiæ tantum, absoluendi habeat facultatem eandem prorsus, quam idem Six. prædecessor sibi ac suis successoribus reseruauit. Quo vero ad pœnas procurantium abortũ fætus inanimis, aut exhibentium mulieribus, vel sumentium venena sterilitatis, aut quocumque modo auxilium, vel consilium eis dantium, in prædicta constitutione contentas, Constitutionem præfatam in ea parte vbi de his agit, ad terminos iuris communis, ac sacrorum Canonum, & Concilij Trid. dispositionem auctoritate Apostolica, tenore præsentium, tam quoad præterita, quam quoad futura, perpetuo reducimus, perinde ac si eadem constitutio in huiusmodi parte nunquam emanasset. Non obstantibus eadem prædecessoris nostri constitutione quam quoad reliqua omnia, præter contenta in hac nostra constitutione, in suo robore omnino permanere volumus, cæte-

risque contrarijs quibuscumque. Volumus autem vt præsentium transumptis Notarij publici manu subscriptis, & sigillo Prælati Ecclesiastici munitis, eadem prorsus fides habeatur in iudicio, & extra illud, quæ eisdem originalibus haberetur exhibitis, vel ostensis. Nulli ergo, &c. Dat. Romæ, in monte Quirin. Ann. Incarnat. Dominic. 1591. prid. Kalen. Iun. Pontif. anno primo.

De corpore vitiatis Bigamis, Inuitis non ordinandis.

SVMMARIVM.

33 *Corpore vitiatus quis dicatur.*
34 *Cæcitas, quæ impediat ordines.*
35 *Auditus seu aliorum sensuum, vel membrorum officio carens non ordinatur.*
36 *Deformitas corporis insignis, quomodo impediat ordines.*
37 *Bigami non ordinantur.*
38 *Bigamia triplex.*
39 *Inuitus nemo debet ordinari.*

CORpore vitiati ordinari non debent. Tales autem sunt, qui toto corpore, vel aliqua eius parte ita sunt affecti, vt commodè celebrare non possint, vel notabilem deformitatem præseferant. Sed quia hęc descriptio non ita late patet, vt omnia sic vitiatorum genera comprehendat, quinimo vix tradi potest, neque ab authoribus affertur, ideo potius exempla corpore vitiatorū in iure expressa, quo facilius, hæc prohibitio sciatur, adferamus. Vnde primo cæcus promoueri non potest, cap. hinc etiam 49. dist. Monoculus etiã seu vno oculo videns altero cæcus non ordinatur, cap. si euãgelica,
34 55. dist. Et quidem si oculus sit erutus cum hoc casu præter cæcitatem inducatur deformitas, difficulter dispensatur si autem sit sola cæcitas ita vt oculus sit integer, nec deformis appareat, isque sit oculus dexter dummodo sinistro sufficienter videatur, nullam causat irregularitatem, & potest promoueri. Nau. loco cit. num. 199. Ang. ver. corpore vitiati, num. 2. si autem oculus affectus, sit sinister, cum iste vocetur oculus Canonis, & sine ipso non posset legi Canõ sine indecora ad populum conuersione, causat irregularitatem Nauarr. loco cit.

Albo-

Albuginem in oculo habens arcetur ab ordinibus, cap. hinc etenim 49. dist. secus de habente maculam, quæ non sit adeo deformis De lippis autem, & habentibus assiduè lachrimantes oculos, dicendum est, quod si inde non sequatur notabilis deformitas, ordinari possunt, Viuald. de irreg. cit. num. 143.

Auditus etiam sensu carens promoueri non debet, si tamen in vna auricula tantum hunc defectum patiatur, vel non omnino sit surdus, sub hac prohibitione non cadit.

Auriculam seu cartilaginem supereminentem, qui amisit, si hoc inducat notabilem deformitatem promoueri quoque non debet, tanto magis si hoc fuerit passus ex opere illicito. Ang. Viuald. loco cit.

Mutus item, seu qui officio linguæ caret, aut impeditam habet pronuntiationem, ita vt vix intelligi possit, non promouetur.

Similiter, & claudus enormiter, ita vt sine scipione ad altare accedere non possit, non promouetur, secus si claudicet aliquantum, & sine adminiculo possit ambulare, & si non ex illicito opere malum contraxit, cap. si quis iun. glo. 55. dist.

Manu carens, vel digito necessario ad fractionẽ Eucharistiæ non promouetur, ca. exposuisti de corp. vitiat; cap. presbyterum de cler. ægrot. Parte tamen digiti carens, vel vngulam ab ipso auulsam habens, ita vt commodè possit frangere eucharistiam, licite promouetur, cap. 1. & vlt. loco cit. de corp. vitiat.

Habens aliquam in corpore deformitatem, quæ scandalum, vel horrorem generet, non promouetur, vt gibbosus, dentes habens nimium prominentes, vel digitos plures, seu compactos, ita vt sine periculo in fractione, celebrare non possit, partes tamen superfluas, vt digitos plures, abscindere posset, & sic promoueri, glo. in ca. qui partem, cit. 55. dist.

Nasum truncum, vel deformiter tortum habens, vel labiorum graui deformitate laborans, enormibus citatricibus, vel maculis in facie signatus, similiter non promouetur. Viuald. de irreg. nu. 147.

Hic ponendi sunt, qui aliqua alia infirmitate corporis perpetuò laborant, vt qui morbum Epileuticum seu caducum patiuntur, maleficiati in toto corpore, non tamen si in aliqua parte tantum essent maleficiati, quæ nihil impediret actiones debitas, Viuald. loc. cit. num. 186.

Aenergumeni quoque seu à Dæmone obsessi, non ordinãtur, cap. cum in litteris. 7. quæst. 2. nisi ab vno ad minus anno vexari desierint, cap. communiter 33. dist. & tum ad minores tantum ordines;

non vero ad maiores promoueri possent Nau. de temp. ord. cõs. 35.
Qui etiam simulant se dęmoniacos, eadem pœna puniendi vi. é-tur. Viuald. loc. cit. nu. 187.
Similiter & deliri, frænetici, nisi à multo tempore pati hũc morbum desierint, non ordinantur, c. quamuis. 7. q. 1.
Leprosi quoque, scabiem perpetuam enormem habentes, non ordinantur. cap. hinc etenim, 49. dist.
Inter vitiatos corpore non immerito ponendi quoque sunt, qui vinum sine nausea bibere non possunt, tales enim non esse ordinandos propter periculum in celebratione censet Nau. loc. cit. 204.
36 Et circa istam materiam generaliter obseruari debet. Primo irregularitatem huius generis non sequi ex imbecillitate, vel defectu membri, sed ex deformitate, vel impotentia ad celebrandum, tum & culpa ex qua natus fuit defectus, vnde abscissus à medicis, ab hostibus, vel à parentibus puer, vel ita natus, seu alio membro carens, aut deformitatem habens, quæ extrinsecus non apparet, non prohibetur promoueri, secus tamen si ex opere illicito esset abscissus, nam tunc non ordinaretur.
Secundo huiusmodi vitia corporis, melius ex re oculis subiecta diiudicari, quam scripto exprimi posse, glo. in ca. presbyterum, ver. deformitatem de cler. ægrot. vnde semper hic defectus pendebit ex iudicio ordinatoris, cap. communiter, 33. distinct. cap. 1. de corp. vitiat. ibique Innoc. Ang. ver. corp. vitiat. nu. 5.
Tertio & vltimo hoc vitium aliter cõsiderandum esse, si accidat iam ordinato ad aliquem ordinem, aliter vero in illo, qui nunquam fuit ordinatus, iste enim si defectum patiatur, oĩno est repellẽdus ab ordinibus, ille vero licet factus sit inhabilis ad celebrationẽ, posset tamen alia officia clericalia exercere, vt prædicare, confessiones audire, ministrare, & ita promoueri, vel saltem tolerari in susceptis. Nau. loc. cit. num. 200. Ang. cit. num. 4. Host. in sum. de corp. vitiat. num. 3. potest enim esse vt aliquis sit irregularis, ne promoueatur ad superiores, nõ tamen sit irregularis vt ministret in susceptis Innoc. in cap. ad audientiam, de homic.
37 Item Bigami prohibẽtur ordinari. cap. 1. & 2. de Big. non ord. in tantum autem hæc prohibitio extenditur, vt etiamsi quis ante baptismum cõtraxerit bigamiam, seu vnam vxorem habuerit ante baptismum, alteram post baptismum, tamen durabit prohibitio, bigamiæ enim impedimentum per baptismum non tollitur, cap. acutius iun. gl. 26. dist. Host. in sum. cit. de Big. num. 5. & 6. vbi multas rationes colligit propter quas bigami non ordinantur.
Triplex

38 Triplex autem est bigamia.glos.in c.2.de bigam.Vera, cum quis duas vxores veras, alteram mortua altera, habuit,& cognouit. cap. si quis,33.dist.nec sufficit quod contrahat, sed etiam quod cõsumet matrimonium, multominus sufficerent sola sponsalia, etiam cũ pluribus, nullam enim hæc inducunt bigamiam. Arm.verb.bigamia, nume.2.Nau.loc.cit.nu.195.

Interpretatiua bigamia dicitur, cum quis contrahit cum vna vidua.cap.maritum, cit.33.dist. Et quidem corrupta per alium, nam si fuerit desponsata tantũ, vel si matrimonium ex aliqua causa non fuerit consummatum cum primo, nulla sequetur bigamia . Mulierẽ meretricem publicam, seu per alios corruptam, accipiẽs in vxorem vel vxorem propriam cognoscẽs, quam scit cõmisisse adulterium, simili genere bigamię ligatur, corruptam vero per se ipsum si ducat, vel ipsemet, siue ante matrimonium, siue stante matrimonio plures cognoscat, nõ efficitur bigamus. Scurrilem præterea seruam, vel publicam fabularum actricem ducens, tanquam de bigamia huiusmodi suspectus, promoueri non debet, cap.si quis viduam, 34.dist.

Similitudinaria bigamia est, cum aliquis in sacris Ordinibus constitutus, vel post votum solenne Religionis, castitatis, contrahit de facto,& consumat matrimonium, tunc enim vltra quod nullum est matrimonium, cap.1.de cler.coniug.cap.omnium, 32.dist.etiam bigamia huius generis incurritur, cap.à nobis, de big.non ord.Nauar. loc.cit.Ang.Arm.verb.bigamia.

39 Inuitus quoque nemo debet ordinari,& ordinans inuitum, ab officio suo per annum suspenditur, cap.1.74.dist. Distinguendum est autem de inuito. Nam aut non reclamauit voce vel signo.& tũ præsumitur voluntarius, nec ordinator incurret pœnam, ordinatusque obligatur sacramento ordinis.cap.si seruus.54.dist.si vero reclamauit. Et tum adhuc distingui potest, quod coactio illa aut fuit conditionalis, videlicet adhibito terrore, minis pœnarũ,& metu qui posset cadere in constantem,& tum imprimitur quidem character, non tamen præiudicat ordinato, quin possit reclamare,& liberari voto continentiæ, cap.perlatum, cap.cum dilectus, de his quæ vi metus vè.cap.veniens.2.de spons. nisi postmodum in libertate existens, ratum habuerit: si vero coactio fuit conditionalis, terrore vel metu adhibito qui non cadit in constantẽ, licet,& hoc modo non debeat quis ordinari, tamen si ordinetur,& character imprimitur,& ordinatus tenebitur voto castitatis, c.cum dilectus, cit. Quod si coactio fuerit mera,& absoluta, vt accidit in amente, dormiente, vel omnino reclamante, etiam dum ordinatur, nec character imprimitur, nec ordi-

ordinatus recipit ligamen Ordinis. capitul. de Iudæis. 45. distinc. cit. cap. vbi iste. 74. distinct. cap. maiores, de Baptismo.

[ ]De amente tamen, & dormiente, quod diximus intelligendũ est, si ante amentiam vel dormitionem, nullus præcesserit in eo actus, vel signum voluntatis, suscipiendi ordines. Et causa tamen possit quis cogi ad suscipiẽdos ordines, vt si habeat beneficiũ, quod requirit aliquem ordinem specialem, talis enim cogi potest saltem subtractione fructuum, vel priuatione beneficij, ad susceptionem. Ordinum beneficio annexorum.

De illiteratis, & non habentibus certum titulum non ordinandis.

SUMMARIUM.

40 *Doctrina quæ requiritur ad ordines.*

41 *Ministrans in ordine quem non habet non debet ordinari.*

42 *Beneficij Ecclesiastici titulus requiritur in ordinando.*

43 *Regulares non professi non ordinantur sine titulo beneficij.*

44 *Soc. Iesu patres censentur religiosi professi, post emissionem votorum simplicium.*

45 *Seruitio Ecclesiæ deputatus tanquam habens prouisionem, ordinari potest.*

ILliterati ordinari prohibentur, cap. fin. de ætat. & qualit. c. illiteratos, 36. dist. diuersa autem litteratura secundum ordinum di-
40 uersitatem requiritur. Et ad primam tõsuram quidem ordinandus, sufficit si sciat fidei rudiméta, legere, scribere. Conc. Trid. sess. 23. c. 4. de ref. Ad alios minores promouẽdi, latinam linguam intelligere debent. ibid. cap. 5. & 11.

Ad sacros maiores ordinandi, scire debẽt ea quæ exercendo eorũ ordini conueniunt, ibi. c. 13. Ad præsbiteratum talis scientia requiritur, vt ordinatus Sacramenta administrare, & populum in his quæ ad salutem scitu necessaria sunt instruere valeat, ibid. cap. 14.

Non præsumitur autem esse quis sciens nisi probetur. cap. si forte iun. gl. verb. scientiæ, de elec. in 6. Menoch. de præsumpt. lib. 6. præs. 91. num. 18. Paris. de resig. lib. 10. quæst. 3. num. 64. Gonzalez. super. 8. Canc. gl. 4. num. 105.

Non

Non debent item ordinari qui in Ordinibus malè susceptis vel nondum susceptis ministrarunt, cap. 1. & 2. de cler. non ord. ministr.
41 si nimirum ministrauerit quis solemniter, & in actu propriè, & specialiter illi ordini deputato, alias enim si hoc fecerit non tanquam in illo ordine constitutus, sed quia actus ille in alio minori ordine, vel etiam per laicum exerceri consueuit, non cadit sub prohibitionem. vt cum Subdiaconus Euangelium cantat sine manipulo, in defectu Diaconi, vel ministrat quis ad altare tanquam nudus minister. talis non efficitur irregularis. Ang. verb. irregularitas, nu. 38. Quar. cit. verb. ordo. limit. 2. super extrauag. Pij. II.
42 Titulum seu beneficium Ecclesiasticum sufficiens ad sustentationem non habentes ordinari prohibentur, idem. Conc. sess. 21. cap. 2. de ref. Quam autem pœnam incurrant facientes se ordinari sine titulo, controuersum est inter authores. Nau. enim. consil. 1. q. 16. de const. Maiol. lib. 4. de irreg. cap. 15. dicunt talem incurrere ipso facto suspensionem, authoritate tex. cap. 1. & 2. 70. distinctione. Ea tamen iura correcta fuerunt per cap. cum secundum, de præb. vt testatur, gl. vlt. in cap. 2. ibi. de præbent. & per Conc. Trid. loc. cit. non fuerunt innouata alia iura, præterquam cit. cap. cum secundum, vt declarauit. S. Cong. Conc. verbis, relatis apud Gonzal. cit. glos. 5. §. 10. num. 24. de quo etiam annotatur apud Nau. de constit. consil. 1. nu. 45. declarationis huius verba sunt.

Concilium renouat tantum pœnas, cap. cum secundum, extra de præb. in hoc capite.

Et iterum.

Ordinatus contra formam huius decreti sine beneficio aut patrimonio, non est per hoc suspensus, nec aliquam pœnam incurrit, sed cogendus est ordinarius ei prouidere iuxta, cap. cum secundum, ext. de praben. & hic solus Canon nō alij à Concilio renouatus est, † nisi ordinatus imposuerit ordinatori asserendo falsè se habere prouisionem.

Propter huiusmodi itaque declarationes intrepidè tenēdum est, non suspendi ipso facto sic promotum, sed ordinator tenebitur ipsi prouidere de beneficio. iuxt. cit. cap. cum secundum. si nimirum ordinator sciens illum nō habere beneficiū, ordinauit; alioquin si dolose ordinatus asserit se habere prouisionem, non teneretur prouidere ipsum Episcopus, sed posset ipsum suspendere à susceptis ordinibus, ita tenet Paris. lib. 2. de resig. quæst. 6. num. 18. & testatur de prædicta declaratione Cong. Conc. Tolet. in sum. lib. 1. cap. 48. Hēriquez.

riquez.in sum.lib.13.de excomm.cap.37.

Si autem Ordinator aliquem ordinaret accepta ab eo promissione de non petenda prouisione,iam hoc casu ordinatus ab ordine suscepto,& Ordinator à collatione ordinum ipso iure efficerentur suspensi,c.penultimo de sim. Similiter & quilibet præsentās aliquem ordinādum ad suam prouisionem,recepta ab eo promissione de nō petenda prouisione,ipso facto incurrit suspensionem ab exequutione suorum ordinum donec à Papa fuerit absolutus,tex.cit.

Ampliatur autem dictum principale,vt neque Regulares nō professi,sine titulo possint ordinari, quinimo isti maiore prohibitione ligantur,& contrauenientes ipso facto incurrunt suspensionem propter ordinationem Pij V.vt sequitur.

43 *Romanus Pontifex sacrorum Cōciliorum author,& interpres,illa quæ in huiusmodi Concilijs à prudentibus patribus in Spiritu Sancto legittimè congregatis salubriter sancita sunt,pro sui pastoralis officij debito, dū æquitas,honestas,& decus suadet,sicuti declarare,& moderari,ita etiam ad alios casus extendere consueuit.Sanè cum non deceat Diuino ministerio adscriptos cum ordinis dedecore mendicare,aut sordidū aliquem quæstum exercere,Sac.Trid.Concilio inter alia decretum fuit, ne quis deinceps clericus sæcularis,quamuis alias moribus,scientia,& ætate esset idoneus,ad sacros ordines promoueretur,nisi prius legittimè constaret, eum beneficium Ecclesiasticum,quod sibi ad victum honestè sufficeret,pacificè possidere,vel alias ordinari non posset,nisi iuxta decreti ab ipso Concilio desuper editi formam,& tenorem.*

Cum autem nulla in huiusmodi decreto religiosorum clericorum mentio facta fuerit,ac proptérea nonnulli (vti molestè accepimus) certorum ordinum Religiosi,seu Canonici,vel clerici,intra claustra monasteriorū, seu domorum,more Regularium in communi viuentes,qui nunquam, seu nō nisi ad certum tempus professionem emittunt,& ex claustro exire, vel dimitti,ad sæculum redire liberè,& licitè possunt, Religionis prætextu, absque titulo sufficientis beneficij,nec iuxta dicti decreti tenorem ad sacros ordines se promoueri prætendunt,& à nōnullis Episcopis passim promoueantur,atque inde plerumque illud inconueniens eueniat, vt sic promoti,& à claustro exeuntes,& per sęculum vagantes,vel mendicare,vel sordidum quæstum exercere,non sine ipsorum dedecore,ac ordinis vilipēdio,& quamplurimorum Christi fideliū scandalo cogātur.Nos igitur qui singulorum,Dei ministrorum honorem,& decus (quantum in nobis est) sinceris exoptamus affectibus,motu proprio,& ex certa nostra sciētia,deque Apostolicæ potestatis plenitudine,hac perpetuo valitura sanctione,

decre-

decretum prædictum de Clericis sæcularibus loquens, ad omnes, & singulos etiam cuiuscunque ordinis Clericos religiosos, siue sæculares more religiosorum viuentes in communi non professos, harum serie extendimus & ampliamus, ac religiosis, & alijs prædictis non professis, vt ad sacros ordines promoueri, necnon omnibus, & singulis venerabilibus fratribus nostris Patriarchis Archiepiscopis, & Episcopis gratiam, & communionem sedis Apostolicæ habẽtibus, vt ordines ipsis huiusmodi religiosis personis impẽdere, nisi obseruata forma dicti decreti in virtute sanctæ obediẽtiæ, & sub indignationis nostræ pæna, interdicimus, & prohibemus, ac cõtrafacientes per annum à præstatione talium ordinum suspendimus. Statuentes, & decernentes promotiones quarumlibet religiosarum personarũ prædictarum ad ordines huiusmodi contra ipsius decreti Conc. Trid. formam, etiam cuiusuis licentiæ illis ab Apostolica sede, vel illarum superioribus cuiuscunque dignitatis, status, gradus, & præeminentiæ existant, etiamsi Pontificali dignitate fungantur, vel Cardinalatus honore præfulgeant concessæ, prætextu factas, executione prædictorum ordinum omnino carere, nullasque prorsus & irritas existere, sicque promotas personas in altari ministrare non posse. Quinimo ministrantes priuilegijs exẽptionibus, immunitatibus, & alijs gratijs clericis concessis, omnino priuari, & irregularitatis, aliasque in dicto decreto contentas pœnas eo ipso incurrere, à quib. nisi à Rom. Pont. vel in mortis articulo, minimè absolui possint. Non obstantibus, &c. Dat. Rom. prid. Id. Oct. An. 1568.

Nomine autem religiosorum professorum comprehenduntur ẽt patres Soc. Iesu, & vere sunt religiosi professi licet tantum simplicia vota emiserint, & ordinari possunt non obstante constitutione huiusmodi, vt declarauit. Greg. XIII. Const. sua incip. Ascendente, An. 1584. 8. Kal. Iun. & Greg. XIIII. Const. incip. Ecclesiæ Catholicæ, an. 1591. kal. Iulij. Verba autem Constitutionis huius Greg. XIIII. quo ad propositum sunt.

Quo vero ad reliqua quæ in controuersiam vocata erant, sic statuimus, nomen Societatis Iesu, quo laudabilis hic ordo nascens, à sede Apostolica nominatus est, & hactenus insignitus, perpetuis futuris temporibus in ea retinendum esse, ac Religiosos huiusmodi post emissa vota, etsi simplicia, ad sacros etiam præsbyteratus ordines, iuxta summorum Pontificum concessiones, promoueri posse, eisdemque emissis huiusmodi votis, ad quemuis alium ordinem mendicantium, vel non mendicantium (Chartusiensium duntaxat excepto) transire minimè licere: laicos vel alios nõ sacerdotes, ad sacerdotium, vel eosdem, aut qui sacerdotes sunt ad professionem, au cu

in suis alterius gradus mutationem aspirare non debere. potestatem quoque à societate dimittendi quosuis non professos, ab hac sede Apost. sepius approbatam, eosque ab omni obligatione votorum iuxta constitutiones, & diplomata huiusmodi emissorum, per dimissionem ipsam, per quam vota prædicta cessant, liberandi, tanquam rem magni momenti, ad societatis puritatem, & conseruationem retinendam omnino ratam intactam & illibatam esse volumus &c.

Quod annotare placuit, quia à plerisque harum costitutionum ignaris, hoc vocari in dubium consueuit.

Ampliatur itē vt neque ij qui in seminarijs morantur promoueri possint sine prouisionis titulo. Zerol. in praxi, p. 1. ver. seminarium, vbi hoc idem refert fuisse responsum à sacr. Cong. Conc.

Ampliari posset præterea, vt sic ordinatus beneficiū ad cuius titulum fuit ordinatus resignare non possit, nisi habito alio sufficienti beneficio. Conc. cit. ibid. & facta resignatio de tali beneficio non facta mentione, quod ad illud fuit promotus, esset omnino nulla, & resignāti competeret actio spolij, vt fuisse declaratum à S. congreg. Conc. & decisum fuisse in Rota coram Millino. 19. Nou. 1602. in vna Aterin. testatur Gonz. cit. glo. 5. §. 10. nu. 35.

Limitatur autē vt non procedat instante necessitate, vel vtilitate ecclesiæ, nam tum licet non habuerit beneficium, ad patrimonium tamen si illud habuerit sufficiēs ordinari potest, quod postea inconsulto episcopo dimittere non debet, antequam habuerit prouisionem sufficientem beneficij ecclesiastici, Conc. cit. ibid. Si etiam beneficium non esset sufficiens per se, nec patrimonium, sed vtrumq; simul sit sufficiens, ad vtrumque simul ordinari posset Zerol. ver. dimissoriæ ad 5.

Limitatur secundo, vt licet quis non habuerit beneficium promoueri tamen possit si fuerit deputatus ad seruitium alicuius ecclesiæ, vt ad Vicariatum, missarum celebrationem, & similiū Zerol. in prax. p. 1. ver. dimissoriæ, ad 5. Paris. de resig. lib. 2. quæst. 6. num. 34. Quaran. ver. Ordo. cit. qui ad hoc propositum responsum Six. Papæ V. refert, cuius tenorem hic inseruimus, vt sequitur.

Six. Papæ V. Venerabili Fratri Patriarchæ Venetiarum.

VEnerabilis Frater salutem & Apostolicam benedictionem. Romanum Pontificem quem Dominus Ecclesiæ suæ sanctæ præesse, & prodesse voluit, assiduè inuigilare decet, vt in ecclesijs magnarum præcipuè ciuita-

ciuitatum, non desint, qui ministerio Diuino ascripti ad Dei gloriam, & hominum religionem augendam designentur. Relatum siquidem nobis nuper fuit in ista ciuitate Venetiarum, nobilium, & populi frequentia celeberrima, perpauca esse beneficia, sub quorum titulo multi pauperes clerici patrimonij sufficientis titulo carentes, iuxta constitutionem nostram possint promoueri. Nos igitur singularum ecclesiarum particulariter id exponentium necessitatibus vtilitatibusque prouidere desiderantes, fraternitati tuæ, vt omnes, & singulos dictæ ciuitatis clericos, qui vita moribus, ætate, natalium legitimitate, & alijs qualitatibus à iure requisitis per te reperti fuerint idonei etiamsi titulo beneficij ecclesiastici, vel pensionis annuæ non sint prouisi, aut patrimonialia, aliaque bona non possideant, dummodo alicui ecclesiæ dictæ ciuitatis, de consensu eiusdem ecclesiæ rectoris fuerint adscripti pro celebratione missarũ, & Diuinorum officiorum, ex quarum seruitio, & eleemosynis a pijs Christifidelibus elargiendis aliquid ad sustentationem victus capere possint, & ab eadem ecclesia cui adscripti fuerint, nullo vnquã tempore amoueri, vel ipsi ab ea recedere possint, & debeant, nisi ipsis de competenti beneficio aut pensione super fructibus ecclesiasticis assignanda prouisum fuerit, vel ita eorum exigentibus demeritis ab ipsa ecclesia amouendi veniant, ad quatuor, minores necnon sacros & presbyteratus ordines debitis temporib. seruatisq; Conc. Trid. decretis promouere liberè, & licitè valeas, licentiam Apostolica authoritate tenore præsentium concedimus & c. quibusuis alijs constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis cæterisque contrarijs non obstantibus quibuscumque. Dat. Rom. sub annulo Piscat. die 30. Decembris 1589.

Similiter dici posset de illis, qui deputantur ad Capellanias, Hospitalia, commendas, seu quęuis beneficia manualia ad nutum amouibilia, sic enim deputati ad huiusmodi seruitia possũt promoueri, sed ab eisdẽ seruitijs amoueri non poterunt nisi habita alia prouisione sufficienti, etiam in præiudicium patronorum, qui sibi ipsis imputare debent, quod talem permiserint promoueri ad huiusmodi seruitium, nec possunt ipsum amouere pro eaſvice Parif. lib. 2. de resig. quæstio. 6. num. 84. Gonz. cit. glo 5. §. 6. & est argumento rescriptum allatum.

Idem Gonz. glo. 4. num. 36. vult posse promoueri absque titulo personam graduatam, & litteratam, quia nimirum ex præsupposita litteratura, non sit illi defutura decens sustentatio, hocque respondisse Salmanticen. & Compluten. Academias testatur. Sed hæc opinio apertè contrariatur textui Conc. cit. Trid. illis verbis (quamuis

alias sit idoneus moribus scientia, & ætate) & contrarium praxi communi seruatur.

Quomodo sint Ordines conferendi.

SVMMARIVM.

PRæmitti debet processus intimatorius, & publicari per mensem ante tempus celebrandæ ordinationis diesque, & locus celebrationis notificandus. Zer. in sua prax. p. 1. ver. ordo, nu. 11. & praxis communis obseruat.

Locus ordinationis celebrandæ debet esse in propria Diæcesi, in aliena enim Diæcesi Pontificalia exerceri non possunt, nisi de licen-
46 tia Diæcesani, alioquin & Pontifex ab exercitio Pontificalium, & ordinatus ab ordinibus essent ipso iure suspensi, Conc. Trid. cit. sess. 6. cap. 5. de ref.

Locus itẽ debet esse cathedralis ecclesia, vel si ex causa alibi ordines celebrari contigerit, eligi debet ecclesia dignior, & adhiberi præsentia Cleri Loci. Idem Conc. sess. 23. cap. 8. de ref.

Tempora à iure statuta sunt conferendis sacris ordinibus, quatuor Sabbatha quatuor temporum anni & Sabbatum ante Domini-
47 cam passionis, sabbathum aliud hebdomadæ sanctæ, cap. de eo. de temp. ord. Host. in sum. cit. ibid. num. 3. Et ordinatus extra hęc tẽpora efficeretur suspensus ipso iure, iuxta ordinationem Pij I I. supra relatam. Ordinator tamen nullam pœnam incurreret ipso facto cum non sit in iure expressa, sed posset puniri, nec pęnæ Bullę Six. V, super hoc editę illum afficerent, cum illa sit reuocata, & reducta ad terminos iuris & Conc. Trid. à Clem. 8. alia sua ordinatione, quæ infra refertur. Ordines autem minores conferri possunt etiam extra hæc tempora, quolibet die Dominico, vel festo, dummodo ordinatio non sit tam frequens, vt videatur generalis ordinatio, tex. & Hostien. loc. cit. Patres itẽ Societatis Iesu ordinari possunt ad quosuis ordines

ordines, etiam maiores extra tempora sic à iure statuta, ex indulto Greg. XIII. ipsis concesso, vt sequitur.

Gregorius Papa XIII. seruus seruorum Dei. Ad futuram rei memoriam.

48 *Pium & vtile Societatis Iesu institutum non patitur certa quædam ab ijs qui sub eius vexillo atque disciplina salutari militant, obiri, quæ in sacris ineundis generaliter præscribuntur. Quo circa cum dictæ Societatis ac disciplinæ alumni, nulli ecclesiæ nulliuè loco certo mãcipati sint, vt ibi permaneant, sed veluti viatores omni tempore parati, expectantesque diem & horam, qua vel ad extremas orbis regiones cum venit vsus emittantur, vbi quisque pro captu suo, & iuxta datam sibi à Domino sapientiam, sese in vinea Domini excolenda exerceat, eiusque rei causa fel. record. Paulus Papa III. præposito eiusdem societatis concesserit, vt idoneos, & comprobatos ab ipsa societate quibuscumque mallet Catholicis Antistitibus gratiam, & communionem sedis Apostolicæ habentibus præsentare posset, qui illos sic præsentatos absque vlla promissione, vel obligatione, ad ordines huiusmodi promouerent. Nonnulli tamen Antistites post Conc. Trid. decreta, eos sic præsentatos, prius in cuiusque, tam minorum, quàm sacrorum huiusmodi præscripto munere exercitatos temporũ determinatorum post susceptos, præscriptum finem, antequam ad superiores ordines ascendant, omnino expectandum, eosque in eorundem ordinũ functionibus, chorique officijs plenè instructos, & denique super eorundẽ vitæ, moribus, ætate, & natalibus, ad parochi inquisitiones, aut alias, testimonium, & certa alia requisita habenda esse contendunt quamuis non nisi ad eosdem ordines suscipiendos numeris alioqui omnibus idonei dimittantur. Nos his incommodis quantum in nobis est occurrere volentes, omnibus episcopis, & alijs Antistitibus præsentibus, & futuris in perpetuum præcipimus atque interdicimus, ne ab huiusmodi promouendis, qui licentiam à præposito generali dictæ societati pro tempore existente, vel ab eo delegatis habuerint, quicquam edictorum requirant, vel exigant, sed ipsos etiam absque vlla functione in ordinibus ipsis, interstitiorumque ad illos suscipiendos obseruatione, aut inquisitione de cantus, officijs, & ceremonijs ecclesiasticis idoneitate, proprij Ordinarij licentia, & alijs in alijs requisitis, ad minores, ac etiam extra tempora à iure statuta, tribusq; Dominicis, vel alijs festis diebus etiam continuis, ad sacros etiam presbyteratus ordines promoueant, ac si illi omnibus requisitis præditi essent. Nos enim illis ordines omnes prædictos sic suscipiendi, ac prædictis Antistitibus eos ipsis conferendi facultatem tribuimus. Non obstantibus præmissis,*

missis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis cæterisque contrarijs quibuscumque præsentis autem gratiæ communicationem, omnib. alijs etiam qui sua priuilegia cum ipsa Societate copiosè participant, participareque poterūt, quomodolibet in futurum fieri omnino prohibemus. Cæterum quia difficile esset præsentes quocumque illis opus erit deferre, volumus vt eorundem præsentium transumptis manu Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ, seu etiam dicti Præpositi munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra illud adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Dat. Tusculi sub annulo Pisc. die 22. Septem. 1582. Pont. Ann. 2.

Tempore adueniente præfixo, examinari debent Ordinandi, cap. nullus, cap. quando. 24. distinctione. Conc. loc. cit. sess. 23. cap. 7. deponendos enim iura statuunt qui non examinati ordinantur. cit. di
49 stinct. cap. vlt. Et quidem si ab Episcopo ante inceptam ordinationem inhibitum fuerit, vt solet, ne quis ad ordinationem accedat, nō examinatus, nec approbatus, sub excommunicationis pœna, ordinatus contra huiusmodi prohibitionem cōtraheret suspensionem, nō nisi à Papa dispensandam, cap. 1. & 3. de eo qui furtiue. Ord. monet tamen Host. in sum. cit. de scrut. in ord. in fine, vt Episcopi ab eiusmodi excommunicationibus abstineant, ne laqueos parent, sed alias pęnas inhibendo comminari possunt.

Diuersum autem examen ad cautelam maiorem est institutum. Primum, dici potest vno mense ante ordinationem in loco loci, seu in Parochia Ordinandi, per Parochum, seu alium cui id committere voluerit Episcopus faciendum, & reductum in scripturam occlusū remittendum ad Episcopum. Conc. loc. cit. cap. 5.

Secundum examen, feria quarta, & sequentibus diebus immediatis ante diem ordinationis fieri debet. Conc. idem, loc. cit. cap. 7. Et hoc examen de Iure spectat ad Archidiaconum, cap. adhæc. cap. vt nostrum, de off. Archid. Innoc. ibid. Host. loc. cit. num. 4. Potest tamē Episcopus etiam alijs viris peritis hoc demandare, cap. quando, 24. dist. gl. in cap. adhæc. cit. vel Ipsemet Episcopus examini præsidere posset, illius enim interest ne indigni ordinentur, & ille tenetur ex culpa examinatorum. cap. adhæc. cit. iun. gl. verb. examinentur. Et rigorose hoc examen institui debet. cap. constitutus, de purg. can. cap. cum in cunctis, de elect. simplici tamen assertioni Parochianorum testificantium de fama bona. statur, quia nimirum, cum istis concurrit iuris præsumptio, qua quēlibet præsumere debemus dignū, quē nescimus indignum, cap. cum deputati, de Iudic. cap. dudum, de pręsumpt.

ſumpt.l.cum pater.ſ.rogo.ff.de leg.2.& dat rationem Hoſt.loc.cit. quia virtutes naturaliter homini debent ineſſe,maxime poſt baptiſmum,cap.2.de conſecr.diſt.4.ſi tamen aliquis fuerit infamatus,ſtrictiori examine,ſeu per teſtes in ſcrutinio ſecreto ſuam innocentiam probare,& purgare tenetur antequam ordinetur.

Doctrina etiam quæ eſt quid extrinſecum,& accidẽtale homini, ineſſe alicui non præſumitur,vt ſupra diximus,nemini enim doctrina ineſſe creditur niſi labore quæratur.Vnde non per teſtes, & famam,ſed actuali examine probari debet,ita quod neque Regulares excuſantur quominus examinari de doctrina poſſint.Conc.idem,loco.cit.cap.12.quo ad mores vero,& vitam,teſtimonium ſuperiorũ illis ſufficeret.

Tertius examinis modus,ſeruatur ipſo die ordinationis dum Archidiaconus clara,& intelligibili voce monet aſtantem populum, vt ſi quis contra ordinandorum aliquem ſciens,quod illum ab ordinibus impediret,ibidem proponat.Et ibidem Epiſcopus interrogat Archidiaconum, nũ ſciat ordinandos eſſe dignos,ipſe vero reſponder,& ſcio,& teſtificor, quãtum humana fragilitas noſſe ſinit ipſos eſſe dignos,cap.vn.de ſcrut.in ord. In qua reſponſione non peccat licet ipſe non examinauerit,dũmodo ab alijs examinatorib. deputatis ſciat fuiſſe approbatos,& dũmodo contra conſcientiã nõ loquatur.Si vero ſciret aliquod impedimentũ illud deberet Epiſcopo vel ſecreto nũciare,dummodo malitioſe nihil faciat.Hoſt.lo.cit.nu. 5.

50. Vltra prędicta requiritur circa ordinum collationem vt in miſſa conferantur.Maiorȩs videlicet;nam minores poſſunt etiam abſque miſſa conferri etiam à non ieiuno.Ang.verb.ordo.4.num. 5.& ordo.7.per totum.Viuald.de Sac.Ord.diſt.18.num.14.Arm.verb.ordo.num.9.Maiores vero non niſi in miſſa conferuntur,cap.quod ſicut,de elect.de neceſſitate videlicet præcepti,non de neceſſitate Sacramenti,c.quod ſicut.iun.gl.verb.diuidatur,de elect. ibique Abb. Arm.cit.verb.ordo.num.9.

Requiritur item,vt graduatim ordines conferantur incipiendo,à prima tonſura per ordinem.cap.ſi officia.59.diſt.& accipiens ſuperiorem ordinem omiſſo inferiori,remaneret ſuſpenſus ab eius exercitio.cap.vn.de cler.per ſaltum prom.Vict.de ſacr.Ord.nume.232. Hoſtien.cit.ibid.numer.2.Non tamen teneretur ad aliud, niſi ad ſuſcipiẽdum Ordinem quem omiſit,& eo ſuſcepto licitè miniſtraret. Seruatis etiam temporũ interſtitijs conferendi ſunt ordines videlicet vno anno elapſo poſt ſuſceptionẽ vltimi minoris ad ſubdiaconatũ,iterũ ad Diaconatũ poſt annũ,& poſt aliũ ad presbyteratũ. Conc.

idem

idem.loc.cit.cap.11.& 13.& 14.Posset tamen Episcopus dispensare super huiusmodi interstitijs temporum vt patet ex tex.Conc.cit. cum ad ipsum etiam,quoad Regulares promouẽdos, non ad ipsorum superiores itidem Regulares super huiusmodi interstitijs dispẽsare pertineat.prout fuisse declaratum à Sac. Cõg. Cõc.refert Quar. ver.ordo.cit.his verbis.

Cong.Conc.censuit superiores Regulares non posse dispensare super interstitijs.Regularium Ordinandorum,sed id pertinere ad Episcopum Ordinantem,qui tamen,quo ad causam dispensationis, iudicium formare debet ex attestatione superiorum Regularium.

P.Aemilius Card.S.Marcelli.

Eadem interstitia remittere posse Capitulum sede vacante seu eius Vicarium,in casibus in quib. posset dare licentiã ordinandi testatur declaratum fuisse à S. Congr. Conc. Quar.ver. Capitulum. Quaero.10.

Nullam etiam incurrit pœnam Ordinans vel Ordinatus non expectatis interstitijs licet peccet.Nau.consi.4.& 6.de temp.ord.Zer. loc.cit.ad 5.

Huc spectat quod duo sacri ordines eodem die dari non possunt cit.cap.13.Conc.Trid.cap.litteras,de temp.ord. minores tamẽ plures,vel & omnes eodem die licitè conferuntur,c.cum.H.lator.de eo qui furtiuè.Imo & subdiaconatum simul cum minoribus eodẽ die dare non prohibetur,vbi nimirum est consuetudo.Nau.cit.cap.25. num.71.Eman.Sa.in Aphoris.confes.de Sacram.Ord.nec Conc. citatum aduersatur,cum prohibeat tantum,duos sacros conferri.

Requiritur præterea circa ordinationem, vt Ordinãs habeat intentionem conferendi ordinem,sicut & in collatione omnium aliorum Sacramentorum eadem intentio requiritur.Innoc.in cap.2.de Baptis.Imo Conc.Trid.cit.sess.7.can.11.anathemate damnat sentiẽtes intentionem vel saltem,faciendi quod facit Ecclesia,non requiri in Sacramentorum collatione.

In Ordinato tamen non requiritur intentio quo ad characteris impressionem,dummodo non opponatur obex contrariæ voluntatis,vt quod omnino repugnet,S.Th.par.3.quæst.29.ar.2.Vict.de sacram.Ord.num.237.text.cap. maiores,de Bapt.in fine, & Doctor. communiter,ad quod facit quod alias diximus de puero, & inuito ordinando.

Requi-

Requiritur item, vt ordinādi habeant indumenta necessaria. Subdiaconus quidem manipulum, Diaconus stolam, præsbyter ambiatur stola vtroque humero, & cassulam habeat. c. præsbyter. c. Ecclesiastica, 23. dist. Ang. ver. ordo. 7. nu. 7.

51 Requiritur, & traditio instrumentorum Ordinatis, prout cuique ordini assignata sunt, & tradita instrumēta tangi debent, manu vel digito, si tamē nō tangantur, nihil obesse, nec esse supplendū, docet Arm. verb. ordo. num. 4. Victor. loc. cit. num. 230. Securius tamen esse vt tangantur vult Viuald. loc. cit. nu. 22. cum nimirum multi graues Doctores contactum esse de substantia huius sacramenti, teneant.

Et quidem Præsbytero traditur panis cum patena, & calix cum vino, manusque ipsius vnguntur oleo sancto, cap. præterea. iun. glos. 23. dist. cit. c. generaliter. §. vtrisque. 16. qu. 1. manus etiam super ipsum imponit ordinator, & præsbyteri astantes. ca. præsbyter. cit. 23. dist. cap. vlt. de Sacr. non iter. vel sufficit, quod non omnes astantes, sed duo tantum manus imponant. Host. ibid. nu. 10.

Diacono Orarium super sinistrum humerum imponitur, Euangeliorum liber traditur, manusque super ipsum imponit solus episcopus, c. Diaconus, dist. cit.

Subdiacono traditur calix cum patena vacuus ab Episcopo, Archidiaconus vero tradit ipsi vrceolos cum vino, & aqua, manile cū manutergio. c. subdiaconus. ibi.

Acolytho traditur candelabrum, cum cereo, & vrceoli vacui. ca. Acolytus, ibid.

Exorcistæ liber exorcismorum, c. exorcista, ibi. Lectori codex Diuinarum Lectionum, cap. lector. ibid. Ostiario claues Ecclesię. cap. ostiarius. ibid.

Traditio autem huiusmodi instrumentorum de necessitate fieri debet per ipsummet Episcopum in collatione maiorum ordinum, cap. quorundam, dist. cit. In minoribus vero ordinibus sufficit si tradantur per Archidiaconum Episcopo traditionis verba proferente. c. acolytus. cit. Nau. cons. 3. de sacr. non iteran. Sylu. ver. ordo. 2. q. 5. Arm. eod. num. 12. Viuald. loc. cit. nu. 14.

Circa ordinationem, in omnibus etiam seruandæ sunt Ceremoniæ, & ritus Pontificalis Romani, nihilque omittēdum, quod ibi ordinatur. Ang. cit. verb. ordo. 7. num. 4.

Et tantò magis si verum est quod tenet Arm. lo. cit. num. 10. Omnia quæ sunt in Pastorali esse de substantia, nisi oppositum in iure sit expressum. Et licet aliqui dicant illa sola esse de substantia quorum

vsu imprimitur character, tamen in tanta diuersitate opinionum securior est via tenenda, & cum quid dubitatur esse de substantia, quod tutius, præsumendum est, & substantiale iudicandum Ang. loc. cita. Host. de sacr. vnct. num. 7. In dubio enim semper præsumitur, quod salutarius est animæ. Vnde in dubio præsumitur, quis non esse baptizatus, cap. paruulos, de consec. dist. 4. & præsumitur quis non esse ordinatus, cap. præsbiter. 68. dist. & in dubio præsumitur quis excommunicatus. c. cum desideres. §. secundæ. de sent. excom. Host. de scru. in ord. num. 5.

Quod si omittatur aliquid necessarium, cautè supplendũ est alio tempore celebrandæ ordinationis, cap. 1. & vlt. de sac. non iter. ibique Innoc. si tamen omittatur leuè aliquid, vt si nõ tetigit calicem, candelabrum, non pulsauerit campanam, tolerari potest nec oberit omittenti. Host. in cit. sum. de sacr. vnct. num. 7. & de Sacr. non iter. numero 10.

Qui sint effectus Ordinationis.

52 *Character imprimitur in anima per ordinis susceptionem.*
53 *Ordinatus ad sacros ordines tenetur voto castitatis.*
54 *Ordines suscepti quomodo probari possint.*
55 *Ordinator, quid recipere possit ab ordinato.*

PRimus & principalis ex ordinatione resultat effectus, quia nimi
52 rum per illam imprimitur character in anima, & datur potestas exercendi officium ordinis suscepti, Conc. cit. sess. 23. de sacr. ord. cap. 4. & can. 4. Vict. loc. cit. num. 232. Ang. ver. ord. 1. num. 2. Arm. ibid. num. 5. Est autem character spiritualis qualitas animæ, signans gratiam gratum facientem, & ad gratiam disponentem, assimilantem, & distinguentem, S. Bonau. in 4. dist. 6. quæst. 1. & 2. Ange. cita. ver. character, num. 1.

Imprimitur autem character in singulis ordinibus, ita tamen vt omnes simul faciant vnum sacramentum, quæ est communior Doctorum sententia, eamq; tenet S. Th. in 4. dist. 24. quæst. 2. S. Bonau. ibi. Turrecrem. in cap. episcopi, 23. dist.

53 Secundus effectus ordinationis est, quod ordinatus ad ordines sacros, obligatur ad seruandam castitatem, cap. de his, 28. dist. cap. omnium, 32. dist. Conc. Trid. loc. cit. cap. 13. de ref. Obligatur etiã ad recitandum horas Canonicas. Sot. de iust. & iure lib. 9. quæst. 7. art. 2.

art.2.Nau.in tract.de orat. & in man. cap.25.num.97.Ad minores tamen ordinati non obligantur neque ad continentiam, neque ad recitandum officium, nisi ordinatori præcipienti, vt solet præcipere recitationem septem psalmorum pœnitentialium, cõsentiant seu promittent se recitaturos.Nau.loc.cit. num.108.

Tertius effectus ordinationis est, quia per eam ordinati transeũt ad iurisdictionem fori ecclesiastici, & gaudent priuilegijs Cleri. Ad primam tonsuram tamen, & ad quatuor minores ordinati, non aliter gaudent huiusmodi priuilegijs, nisi habitum,& tonsuram deferant, vel obtineant beneficium ecclesiasticum, seu morentur in seminario Clericorum tanquam in via ad superiores ordines, Conc. loc.cit.cap.6.

Effectus item ordinationis est, quia ordinati efficiuntur nobiles, clericatus enim ordo nobilitat. Abb. Ioan. Andr. in cap. eo libentius, de ser.non ord.Tiraq.de nob.cap.9.Genuen.in prax.cap.91.

Ordinationem ad extremum cõsequitur, quod ordinato dari debent litteræ testimoniales ordinationis suæ, ab episcopo ordinãte,
54 cap.1. de cler. pereg.ibique Inn. & sine litteris nõ crederetur ipsi, cap.primatus,cap.nullum,71.dist.cap.legum,2.quæst.1.

Nec sufficeret habere litteras sacerdotij, sed omnium ordinum haberi debent, posset enim præsumi fuisse per saltum promotus. Host.in sum.loc.cit.de cler.peregr.num.4. Rebuff.de litt. tons.nume.28. Si tamen deperderentur litteræ, posset probari ordinatio per testes, per publicam vocem, vel famam, vel per iuramentum cõ currentibus famæ adminiculis, ea enim in quibus non agitur de præ iudicio tertij, iuramento probari possunt. Nau. de præsumpt.cons. 4.& de success.ab intest.Cõs.5. Boer.decis.171. nu.23.Couar.prac. quęs.cap.33.num.3.Zerol. ver.Bullæ ad 3. Vel si quis esset bonæ famæ,& longo tempore in ordine ministrauerit, licet non haberet litteras, præsumeretur ordinatus, Innoc. in cap.innotuit, de cler.per salt. prom. Felin. in cap.super his, num.18. de accus. posset tamen probari in contrarium, sed opponenti incumberet onus probandi, Felin.loc.cit.

Non potest autem ordinator accipere ab ordinato aliquam mer
55 cedem, munera, ne quidem forfices, mappas, pectines, vel similia, sed tantum cereum, vt declaratum fuisse à S.Congr.Conc.testatur. Genuen.cit.cap.85.num.8.

Ne quidem pro litteris testimonialibus, vel dimissorialibus. Conc.cit.sess.20.cap.1.de ref. Notarius tamen Episcopi, si non habet salarium pro exercitio sui officij assignatum, quartam partem

aurei, & non amplius pro scriptura litterarum huiusmodi recipere potest. Nau. in Man. cap. 23. num. 102.

Et quoniam superius enumerauimus quosdam casus in quibus prohibentur aliqui ordinari, videndum nunc est paucis an isti saltē dispensatiuè ordinari possint, & in quibus casibus licitum sit episcopo dispensare.

In quibus casibus dispensare possit Episcopus cum inhabilibus ad Ordines.

SVMMARIVM.

56 *Dispensandi facultas à Conc. cap. 6. sess. 24. concessa, quæ requisita habere debet.*
57 *Homicidium non voluntarium relinquitur in terminis iuris communis.*
58 *Dispensandi facultas de iure episcopis in quibus concessa.*
59 *Simoniacus quomodo dispensandus.*
60 *Bigamus dispensari non potest.*
1 *Ordinans habentem impedimentum, sciens, ipso facto dispensat episcopus.*

IN primis itaque dispensare potest quasuis irregularitates, & impedimenta ex concessione Conc. Trid. cit. sess. 24. cap. 6. de ref. concurrentibus tribus requisitis. Quorum primum est, vt irregularitas proueniat ex delicto, vnde si non proueniret ex delicto, vt est il-
56 legitimitas, bigamia, corporis defectus, dispensari non posset hac facultate à Conc. concessa. Quinimo non sufficere, quod impedimentum proueniat ex delicto veniali ad hoc, vt hac facultate dispensari possit, tenet Nauar. cita. capit. 27. numer. 252. qui, & homicidium iustum ex defectu perfectæ lenitatis proueniens, vult non posse dici ex delicto, consl. 39. de homicid. idemque tenet Henriq. de irreg. cap. 19.

Secūdo requiritur, vt hoc delictū sit occultū. Et occltū hic accipitur, (saluo tamen vero sensu Concilij cui nullam glosam apponere intendo interpretationem ipsius S. Ecclesiæ relinquens) non pro omnino occulto, sed prout æquiualet penè occulto, & prout opponitur notorio, & manifesto, vel publico, ita quod sciatur ab aliquibus etiam à pluribus, dummodo non à maiori parte viciniæ, & tergiuersatione celari possit. Nau. loc. cit. num. 255. Henriq. vbi sup. cap. 20. num. 40. Viuald. de irreg. num. 325. Zecchus de casu reser. casu vlt.

Et

Et quidem attendenda est radix delicti, quod sit occulta. Vnde si excommunicatus occultè, publicè celebret, licet celebratio sit notoria, irregularitas tamen dicetur occulta, propter occultam excommunicationem ex qua ipsa descendit; vel si excommunicatus in vna Diœcesi, celebret in alia Diæcesi vbi non est infamatus, & excommunicatio ignoratur, irregularitas censebitur occulta. Nauarr. loco. citato. & de cler. non ord. min. consil. 2. Genuen. in prax. c. 67. nu. 4.

Tertio requiritur vt hoc delictum non sit deductum ad forum contentiosum. censetur autem deductum ad forum contentiosum, postquam reus pro illo fuerit citatus, à citatione enim iudicium inchoatur, nec sufficeret si solum capiat informationẽ Curia. Genuen. cit. c. 67. num. 5. Neque dicetur deductum ad forum contentiosum, si tantum socius criminis fuerit tractus ad iudicium. Nauar. de re iud. consil. 2. Neque dicetur deductum ad forum contentiosum ad effectum vt non possit absolui virtute dicti c. 6. si reus fuerit in iudicio absolutus, licet absoluatur ex falsis probationibus. id. Nau. loc. cit. Neque illud de quo quis accusatus, non fuit absolutus nec condemnatus, sed cõposuit cum parte vel cum curia si sit delictum trãsigibile. tale enim delictum adhuc dispensari poterit facultate prædicta. Genuen. loc. cit. nu. 6.

Excipitur autem ab hac facultate. à Conc. concessa, homicidium voluntarium illicitum, & iniustum, & non potest dispensari. Conc. loc. cit. & sess. 14. cap. 7. de ref. nisi forte ad retinendum simplex beneficium ne egeat, non tamen ad exercitium ordinis suscepti. Nau. de homicid. consil. 45. num. 1. Couarr. in Clem. vn. de homic. p. 2. §. 3. num. 5. Zecch. cit. casu. 1. num. 34. Staph. de litt. grat. tit. de mod. priu. num. 11. & communiter Doctores in cap. 2. de cler. pug. imo quocunque casu quoad beneficium dispensare posse Episcopum tenet Innoc. in cap. 2. de cler. non ord. ministr. Similiter abortus fœtus animati constitutione Six. V. sup. relata prohibetur dispensari hac facultate Conc. vt patet ex textu ipsius const.

In homicidio autem commisso in defensione vitæ propriæ licet excedatur moderamen inculpatæ tutelæ, in defensione vitæ paren-
57 tum, propinquorum, vel bonorum suorum, & alio quocumque quod à legibus non punitur, vel non omnimodè voluntarium dicitur, siquidem fuerit occultum, facultate prædicta à Conc. concessa dispensari potest. Si verò non fuerit occultum, remanebit in terminis iuris communis, ita vt dispensari possit ad ordines minores, & ad simplex beneficium. Host. in sum. de homi. §. vlt. Fel. ibi. in cap. ad audientiam, num. 4. Nau. cit. cap. 27. num. 218. & nu. 240.

De-

Deformatio quoque seu mutilatio membri, licet æqualiter censeatur inducere irregularitatem, sicut & homicidium, cap.1.de cler. pug.in duel.non tamen continetur prohibitione Concilij dispensandi homicidium, sed si fuerit occulta, dispensari poterit facultate prædicta, cap.6.Genuen.loc.cit.num.9.quod etiam fuisse responsum à S. Cong. Conc. testatur ibi. si vero fuerit publica, remanebit in terminis iuris communis, ita vt dispensari possit ad minores ordines, & simplex beneficium, vt diximus de homicidio non voluntario. Insuper homicidium in defensione vitæ propriç seruato moderamine inculpatæ tutelæ commissum, & mere casuale, non continetur dicta prohibitione dispensandi, cum nec aliqua per illud irregularitas incurratur, nec indiget dispensatione, cap.lator, cap.ex litteris, de homic.Innoc.in cap.ad audientiam, ibi.& Clem.vn.eod. tit.Conar.ibi.sup.cit.

Eiusdem Conc.sess.23.cap.14.de ref.concessione, dispensare potest episcopus cum clerico per saltum promoto si in ordine non ministrauerit, & etiam si ministrauerit, sed hoc fecerit ignoranter, dispensari adhuc posse tenet.Nau.loc.cit.num.242.

58 Cum eo etiam, qui plures ordines sacros vno die suscepit, quoad vsum susceptorum dispensari posse docet Innoc.in cap.dilectus, de temq.ord.nisi ipsemet episcopus circa hoc deliquerit.

Item & cum eo, qui ministrat in ordine quem non habet, c.2.de cler.non ord.min.iun.glo.ver.misericordiam, Host.in sum.ibi.nu. 3.Innoc.loc.cit.

Et cum eo, qui furtiuè ordines suscepit seruata distinctione, cap. 1.de eo qui furtiuè. si nimirum ante inchoatam ordinationem non prohibuerit episcopus sub excommunicationis pœna accedere ad ordinationem non approbatos.

Absque dimissorijs à nõ suo Diæcesano, vel extra tempora à iure statuta ordinatus, per episcopum quoque dispensari potest, cap.cõsultationi.iun.glo.ver.poterit.de temp.ord.Nau.eod.titu.consl.38. nec Bulla Pij II. dispensationem in talibus Papæ reseruat vt vidimus.

Præterea cum ordinato ab episcopo Schismatico, Hæretico, excommunicato, cuius denunciationem ignorauit, dispensat episcopus.Nau.loc.cit.in man.num.241.

Et cum violante interdictum exercendo actum aliquem sacro alicui ordini deputatum, quoad vsum susceptornm licitè dispensat, non tamen ad suscipiendum maiores ordines. Nauar.loc.cit.nume.243.

Cum

Cum ordinato excommunicato excommunicatione maiori, suspenso, interdicto, si in ordine ministrauit, solus Papa dispensat. Ipsam vero excommunicationem, suspensionem, interdictum, tum demum absoluit Episcopus, si non fuerit superiori reseruata. Nau. loc. citat. num. 244.

59 Cum Simoniaco quocunque qui non fuerit Simoniacus in ordine vel beneficio, dispensare potest semper Episcopus cũ nullibi prohibeatur. Host. in sum. ci. de Simon. num. 16.

Cum Simoniaco autem in ordine scienter, etiam occulto dispensare non potest, stante prohibitione Six. V. quam licet Clemẽs. VIII. reduxerit ad terminos iuris communis, illam tamen quo ad casum hunc Simoniæ in suo robore reseruauit, vt patet ex Contextu ipsius Bullæ quam hic vtilitati communi exponendam putauimus, vt sequitur.

Clemens Episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

ROmanũ Põtificem decet ea quæ ob iustas causas interdũ statuta sunt, cum ipsa rerum experientia suadet, moderari, & immutare prout in Domino salubriter conspicit expedire. Alias sanè emanarunt litteræ fel. rec. Sixti PP. V. prædecessoris nostri contra clericos male promotos, ac in Episcopos in ordinum collatione peccantes, tenoris infrascripti videlicet. SIXTVS. Episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriã. Sanctum, & salutare Sacri Ordinis Sacramentum ab ipso Domino, & saluatore nostro Iesu Christo institutum, beatisque Apostolis, & eorum legittimis successoribus singulari Diuinæ bonitatis munere traditum, ita ad Dei omnipotentis gloriam salutemque animarum sanctè ac religiose administrari decet, & infra.

Vt igitur Præsules Ecclesiarum intelligant si in re tam graui, & tanti momenti, culpa aut negligentia peccauerint, se non modo in tremendo Dei iudicio, verum in hoc quoque sæculo Rom. Pontifici suæ villicationis rationem fore reddituros. Præsenti Constitutione perpetuo statuimus, & ordinamus vt si in posterum Antistes aliquis Episcopali, Archiepiscopali, Primatiali, vel etiam Patriarchali dignitate præfulgens, aut Abbas ad primam tonsuram minoresque ordines suis subditis conferendos à sede Apostolica auctoritatem habens, quemcunque sæcularem vel cuiusuis ordinis aut militiæ regularem, ex aliquo crimine, vitio, aut defectu, seu alias inhabilem vel irregularem existentem, vel extra tẽpora à iure statuta, vel absque veris dimissorijs sui Ordinarij litteris, aut per saltum vel furtiuè, aut quod sæculares sine titulo sufficiẽtis beneficij vel patrimonij, aut ante ætatem

tem per sacri generalis Trid. Cōcilij decreta primæ tonsuræ aut cuique or dini præscriptam, aut nō seruatis temporum interstitijs, ita vt aliquis vni co die, seu continuatis diebus ad plures ordines sacros, vel post vnum ordi nem susceptum sine causa rationabili antequam tempus ab eodem Conc. Trid. præfixum elabatur, ad alium ordinem promoueatur sine dispensatio ne aut indulto Apostolico, Clericali charactere non legittimè insigniuerit aut ad ordines minores vel sacros vt præfertur vel alias malè promouerit, siue id scienter, siue ignoranter fecerit, nisi debita diligentia adhibita iustus error, & probabilis facti ignorantia eum excuset, vt in quo deliquit, in eo puniatur, à collatione quorumcunque ordinum, atque adeo ipsius tōsuræ, & ab exequutione omnium munerum Pontificalium eo ipso suspensus, & ab ingressu Ecclesiæ interdictus existat, alijsque grauioribus pœnis nostro, & pro tempore existentis Rom. Pont. arbitrio puniatur.

Quod si spreta huiusmodi suspensione, & interdicto in præmissis se temere ingesserit, etiā à regimine, & administratione suę Ecclesiæ seu Monasterij, & à perceptione fructuum mensæ eiusdem ac quorumcunque beneficiorum per eum in titulum vel cōmendam seu alias obtentorum, suspēsionem eo ipso incurrat, eiusque interdicti aut suspēsionis relaxationem, aut pœnarum remissionem ab alio quam à Rom. Pont. pro tempore existente nequeat obtinere.

Et nihilominus Fel. rec. Pij 2. & aliorum Rom. Pont. nostrorum prædecessorum, qui per suas constitutiones, aut in Cancellaria Apostolica publicatas regulas, contra huiusmodi Clericos malè promotos diuersas pœnas inflixerunt, vestigijs inhærentes, eosdem clericos posthac male promotos, ab executione, ministerio, & exercitio ordinū susceptorum, & ab omni spe & facultate ascendendi ad alios superiores, perpetuo suspēsos declaramus; & si in eis ministrare præsumpserint, illos sic irregulares effectos, omnibus, & quibuscunque per eos in titulum commendam, aut alias obtentis dignitatibus, officijs, & beneficijs Ecclesiasticis cum cura, & sine cura quomodocūque qualificatis, sæcularibus vel cuiusuis ordinis aut militiæ regularibus; ac etiam, si ipsi clerici regulares fuerint, actiua, & passiua voce ipso facto priuamus, & ijs priuatos atque ad illa & alia similia vel dissimilia in posterum obtinenda in perpetuum inhabiles, & incapaces esse decernimus, & declaramus, dignitatum, officiorum, & beneficiorum huiusmodi sic pro tempore vacantium dispositionem nobis, & Apostolicæ sedi perpetuo reseruantes.

Vt autem homines qui nimia indulgentia, & spe impunitatis, ac veniæ facilitate hactenus fuerunt ad huiusmodi facinora procliuiores, ea sublata & præclusa ab his abstineant, & caueant in futurum; tam absoluendi quā dispensandi facultatem in casibus superius expressis, etiam in foro consciē tiæ no-

tiæ, nobis, & successoribus nostris duntaxat, auctoritate, & tenore præmissis perpetuo reservamus. Inhibentes ne à quoquam sæculari vel cuiusuis ordinis regulari præsbytero vel Prælato quauis auctoritate fungente, nec per quęcunque Iubilea, & indulgentias, etiam plenissimas, & extraordinarias per nostros prædecessores aut nosmetipsos vel successores nostros anno Iubilæi aut alio quouis tempore, & Cruciatæ sanctæ, vel quocunq; alio titulo, modo, & forma, motu proprio, & Consistorialiter, seu ad quorumcunque Principum Regum aut Imperatoris instantiam, eorumque contemplatione, & intuitu, cum quibusuis amplissimis in genere vel in specie derogatorijs clausulis concessa, vel in posterum cõcedenda, nec vigore aut prætextu facultatum aut priuilegiorum mare magnum, aut alias quomodolibet nuncupatorum quibusuis ordinibus, Cõgregationibus, aut personis Regularibus, aut Episcopis per decreta Conc. Trid. aut officio sacræ Pænitentiarię Apostolicæ, vel minoribus, aut etiam maiori Pænitentiarijs nostris & Rom. Pont. pro tempore existentis, vel alias quomodolibet pro tempore concessorum, personæ sic vt præfertur delinquentes, tam scilicet Antistites, seu Abbates promouẽtes, quã clerici malè insigniti seu ordinati, à reatib. & excessibus præfatis absolui, præterquam in mortis articulo possint aut debeant, nec cum ijs super irregularitate propter præmissa contracta etiam si crimen pœnitus occultum fuerit quouis modo valeat dispensari.

Verum enimuero, quia grauioribus morbis fortiora sunt adhibenda, remedia, & iuxta personarum, locorum ac temporum qualitates, leges sunt immutandæ, penæque aggrauandæ, & emolliendæ, cum huiusmodi peccatum Sathana suggerẽte, hominumque fragilitate assentiente, videatur iam ad culmen vitiorum ascendisse, & in præcipiti esse. Ideo vt homines saltem penæ timore, & proprij honoris confusione à peccato deterreantur, nouum huic veneno antidotum cogimur præparare. Ac propterea volumus, vt qui absolutionem, & dispensationem huiusmodi petent, semper quamuis delictum adhuc occultum extiterit, non per officium sacræ Pænitentiariæ, sed à nobis, & pro tempore existente Rom. Pont. in vtroque foro absolutionem petere teneantur, alioquin ipsæ concessiones, & absolutiones, etiam cum clausula, quod præsentis constitutionis tenor, & alia prædicta habeantur pro expressis, prorsus nullæ irritæ, & inualidæ existant, ac nemini penitus suffragentur.

Cæterum si quis Antistes, vel Abbas seruatis quidem cunctis præmissis & cæteris omnibus, quæ in ipsius tonsuræ, & ordinum collatione obseruari debent, personas habiles & idoneas, sed tamen recepta ab ijs quibus tonsuram aut ordines conferet pecunia, precio, vel præmio, simoniacè in futurum insignierit, vel promouerit, volumus, vt præter alias censuras, & pœnas contra simoniacè ordinantes, & ordinatos à sacris Canonibus,

nibus, & constitutionibus Apostolicis alias inflictas, & irrogatas, quibus nequaquã derogare intendimus, et omnia, & singula supradicta in sic promouentib. & promotis locũ habeant. Decernẽtes præsentes litteras sub quibusuis concessionibus, facultatibus, & gratijs, et in casibus quibuscũque sedi Apost. quomodolibet, etiam in Bulla Cænæ Domini reseruatis, etiam sub nomine Iubilei plenarij, vel cruciatæ sanctæ, absoluendi facultatem quibusuis personis generaliter, vel specialiter tribuentibus, minimè comprehendi, sed semper ab illis exceptas esse, & censeri, sicque in præmissis vniuersis, & singulis per quoscumque Iudices, & Commissarios, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, & S.R.E. Cardinales sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, in quauis causa, & instantia iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane quicquid secus super his à quoquam quauis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac in Concilijs etiam generalibus editis, cæterisque contrarijs quibuscumque. Vt autem præsentes litteræ omnibus innotescant, mãdamus illas ad valuas S. Ioan. Lateran. & Principis Apostolorum de Vrbe Basilicarum, & in acie cãpi Floræ affigi, & publicari, & post quindecim dies, qui in Vrbe sunt, qui vero extra eam, & citra montes intra quatuor menses, qui demum vltra montes erunt, intra octo menses à die publicationis huiusmodi computãdos perinde afficere, & arctare, ac si eorum cuique personaliter intimatæ fuissent, ac earundem præsentium litterarum exemplis etiam impressis Notarij publici manu subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ obsignatis eandem fidem in iudicio, & extra illud adhiberi, quæ ipsis præsentibus adhiberetur si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum anno Incarnat. Domin. millesimo quingentesimo octuagesimo, octauo. Nonis Ianuar. Pont. nostri anno quarto.

Nos animaduertentes in dictis litteris nihil fere quoad ea, quæ in ordinum collatione seruanda sunt disponi, vltra id quod in sacris Canonibus & in Concilij Trid. decretis ac aliorũ Rom. Pont. prædecessorum nostrorum constitutionibus dispositum fuit, sed diuersas pœnas, & censuras Ecclesiasticas contra episcopos, & alios prælatos in ordinum collatione peccantes, & similiter contra clericos tam sæculares quam cuiusuis ordinis, instituti, & militiæ regulares malè promotos constitui, absolutionemque, & dispensationem sedi Apost. reseruari, & alias sicut in præfatis litteris continetur, considerantesque tam promouentes, quam eos qui ad dictos ordines promouentur, sæpe censuris & pœnis huiusmodi ob illarum multiplicitatem in eorum perniciem animarum, varijs modis illaqueari, nonnullos ex prælatis, & episcopis in conferendis huiusmodi ordinibus

nimis

nimis scrupulosè procedere, multosque metu pęnarum, & censurarum præfatarum ab ordinum collatione prorsus deterreri, adeo, vt Clericorum & sacerdotum numerus propterea aliquibus in locis valde imminutus sit, omnium in præmissis securi ati ac animarum saluti paterna charitate prospicere volentes. Motu proprio, & ex certa scientia nostris ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura constitutione supradictas litteras ad terminos Sacr. Canonum, ac constitutionis recor. mem. Pij Papæ II. etiam prædecessoris nostri, quæ incipit. Cum ex sacrorum ordinum, sub dat. videlicet 15. Kal. Decem. Pont. sui anno 4. cuius tenorem præsentibus pro expresso haberi volumus, & ad dispositionem decretorum sacri Concilij Trid. restringimus, & reducimus, necnō censuras, & pœnas in eisdem Sixti literis contra quoscumque præterquā contra Simoniacè ordinantes & ordinatos inflictas, quas voluimus in suo robore permanere. (alijs etiam pęnis & censuris per eosdem Canones ac constitutionem Pij II. Conciliumque Trid.; iniunctis saluis, & firmis remanentibus) moderamus, & abolemus. Decernentes sic, & non aliter per quoscumque iudices, & commissarios quauis auctoritate fungentes, etiam eiusdem Rom. Curiæ Cardinales, & causarum Palatij Apost. Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet quaquis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, vbique iudicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantib. &c. Dat. Rom. apud S. Petrum, Ann. Incarn. Dom. 1595. prid. Kalen. Mart. Pont. nostri, ann. Quinto.

CVm Simoniaco demum in beneficio, si fuerit occultum, potest Episcopus dispensare, non tamen ad retinendum beneficium per simoniam huiusmodi quæsitum, Nau. de sim. cons. 97. nu. 5. qui dispensari posse in casu isto tenet, etiamsi circa hoc deliquerit ipsemet episcopus, ibi. num. 12. manifesta autem seu publica simonia per solum Papam dispensatur, nisi fuerit commissa ignoranter, tunc enim adhuc dispensari posset per episcopum, cap. de simoniacè, iun. glo. ver. remanere, & cap. nobis. cum glo. ver. dispēsationem, de sim. Nau. loc. cit.

Super defectu ætatis episcopus non dispensat, cap. vel non est cōpos. de temp. ord. & est cōmunis Doct. sentētia, & licet Host. in sum. de ætat. & qual. quoad ætatem, indiscretam tantum dispensationem prohibitam esse Episcopis velit, tamen propter nouam prohibitionem Pij II. supra relatā dubitari hodie non potest facultatē hanc non competere Episcopo, nisi ex post facto, vt videlicet possit

absoluere à suspensione incursa postquam ordinatus ante ætatem, peruenerit ad ætatem legitimam; quod dubio procul potest, cum eius absolutio non sit reseruata Papæ, & declaratum fuisse à Sacr. Congreg. Conc. testatur Franc. Leo. in suo Thesau. capit. 23. numero 53.

Cum criminosis vt cum adultero, & alijs dispensare potest Episcopus, cap. at si clerici. de Iudic. iun. gl. verb. dispensare. Et cum illo qui fecit duellum, nisi fuerit secutum homicidium vel membri mutilatio, cap. porro. de cler. pug. in duel. Innoc. in c. dilectus, de scrut. in ord.

60 In bigamia similitudinaria dispensat quoque Episcopus Panor. in c. 1. qui cler. vel vouen.

In Bigamia autem vera vel interpretatiua, non dispẽsat nisi Papa c. vn. de Big. in 6. ibique Anchar. Franc. Et licet Nau. cit. c. 27. n. 197. velit posse dispensare Episcopum cum Bigamo ad vsum minorum ordinũ susceptorum, communior tamen est sententia, quod nullo casu dispensare possit. Abb. cit. in c. 1. de Biga. Suarez de censuris. disp. 49. sect. 6. & ita responsum sibi fuisse à S. Cong. Conc. in anno 1606. refert. Genuen. in prax. c. 113. in fine.

Item cum hæretico, Neophyto, dispensare non potest Episcopus, Nau. loc. cit. num. 205.

Neque super defectu corporis, quo induci irregularitatem iudicauerit ipse Episcopus, cuius iudicio hoc est relictũ. Viuald. de irreg. num. 174. Innoc. in cap. 1. de corp. vitiat. Ad minores tamẽ ordines, & simplex beneficium dispensare posset cũ tali. Villadieg. de irreg. col. 39. Nau. loco. cit. nu. 201.

Cum illegittimis similiter ad minores ordines tãtum, & simplex beneficium dispensat licitè Episcopus, c. 1. de filijs præsb. in 6. Ioa. And. ibid. Syl. verb. illegittimi. nu. 8.

Cum expositis vero si velimus eos præsumere pro illegittimis, ad omnes ordines dispensare potest Episcopus, cum talibus enim facilius dispensatur. Abb. in c. cum deputati, de Iudic. Couarr. in cle. vn. de Homic. p. 1. nu. 9.

Regulariter autem circa dispensationum materiam tenẽdum est, in omnibus irregularitatibus Episcopũ dispensare posse quoad minores ordines, & simplex beneficium, excepta bigamia, & homicidio voluntario. Doctores communiter in c. ad audientiam de homicid. Viuald. loc. cit. nu. 317.

Itẽ & ad maiores ordines in omnibus casibus in quibus dispẽsare à Iure expresse non prohibetur, cap. nuper. de sent. excom. iun. glo. ver.

Ver.non retinuit,& alia.gl.sing.in c.atsi.clerici.verb.dispensare.ibidemque Innoc.

Ad extremũ mente tenẽdum est dictum Host. à quibusuis legib. & prohibitionibus semper exceptam intelligi necessitatem quæ legem non habet,& in omnibus necessitate Ecclesiæ vel vtilitate vrgente,maxime ex post facto,& vbi iusta ignorantia excusat.Episcopum dispensare posse,id.in sum.de temp.Ord.num.34.& ib.de ęta.& qual num.1.

61 Si autem.Episcopus ordinatet aliquem habentem impedimentum,in quo ipse dispensare possit,& sciret de impedimento,censetur ipso facto dispensare ordinando,licet aliquo actu id non expresserit.Host.loc.cit.de scrut.in ord.num.6.Arm.verb.irreg. num.91. Syl.ibid.q.28.Gratis etiam,& sine præmio aut mercede dãda est dispẽsatio.Conc.Trid.sess.25.c.18.de ref.Nau.de Sym.consil.7.

Caput Secundum.

De Benedictionibus Episcopi.

SVMMARIVM.

1 *Benedicere Regem vel Principem,ad quem spectat.*
2 *Benedictio Abbatum quid efficiat.*
3 *Abbatissæ quæ eliguntur ad tempus,benedici non debent.*
4 *Virgines Deodicatas benedicendi mos sublatus.*
5 *Benedicere solemniter populum solius est Episcopi.*

AD officium Episcopi pertinet benedicere Reges,& Principes. Et quidem si plures sint Episcopi in Regno ad quod Rex vngendus est,metropolitanus vngere debet.Host.de Sacr.vnct. nu.8. Aliter,consuetudo locorum seruanda est,& illius Ecclesiæ Episcopus vnget,quæ hoc longo vsu præscripsit vel priuilegio obtinuit.c. 1.& 2.25.q.2.

1 Vngitur autẽ Rex oleo cathecumenorũ in brachio dextro , inter iuncturam manus,& cubiti,& in humero,cap.vn.de sacr.vnct.§.vnde.Ang.verb.oleum.Imponitur quoque capiti ipsius corona , & traditur ipsi sceptrum in manu.& gladius : similiter,& Regina vngitur in brachio dextro,& recipitur ab ipsis professio fidei,aliæq;Ceremoniæ adhibentur videndæ in Pontificali Romano.

Benedicit

2 Benedicit & Abbates Episcopus, ex qua benedictione consequitur Abbas vt possit conferre minores Ordines, cap. quoniam. 69. distinct. c. cum contingat, de ætat. & qual. clem. attēdentes, de Relig. dom. iun. gl. verb. benedici. Ang. verb. Abbas, num. 4.

Quamuis si Episcopus tertiò requisitus benedicere sine causa renuerit, posset ipse Abbas non expectata benedictione officium suum administrare, & ordines conferre. sed hoc in odium temeritatis Episcopi sine causa denegantis benedictionem Papa concedit Abbatibus, non quod benedictio prædictum effectum non operetur. tex. c. 1. de supp. negl. prælat. iun. gl. ver. alia. Debet autem benedictio huiusmodi dari illis diebus, quibus minores Ordines conferri possunt gl. in cit. cle. attendentes. Ang. ver. ordo. num. 6. & sine aliquo examine. Innoc. in cap. 1. de suppl. negl. cit. nisi quod fidei professionem emittere benedicēdus obligatur. Ceremoniæ videdæ in Pontificali.

3 Similiter, & Abbatissę benedicuntur. clem. cit. tamen propter fragilitatem sexus non recipiunt aliam potestatem, nisi solam administrationis, officij, gl. loc. cit. Minores autem annis quadraginta vel ad minus triginta & quæ per octo vel ad minus per quinque annos ante professe non fuerint, benedici in Abbatissas prohibentur, cap. iuuenculas, 20. q. 1. Conc. Trid. de Reg. c. 7. Et quæ ad tempus eligũtur benedici nō debent. Nau. cōs. 4. de Reg. in antiq. Vnde p totam Italiam his temporibus non solent benedici, cum non nisi ad triennium eligantur, ex ordinatione. Greg. XIII. de anno 1583. die 1. Ianu. relata in lib. priuil. méd. confec. fol. 243. ne videlicet cōtingat iterari benedictionem si vna sæpius eligeretur, cum tñ non sit iterabilis, glo. ver. benedici, Clem. cit. attendentes, Nau. de Reg. cons. 4. extra Italiam autem vbi cōsuetudo est, omnino debet electa suscipere benedictionem, & non suscipiens infra annum à die electionis, & confirmationis suæ, ipso facto priuaretur officio, clem. cit. Confect. in sum. tit. 20. cap. 2.

Virgines quoque Deo dicatas benedicere obseruatum fuit in ecclesia, & hæc benedictio ab episcopo dabatur, de qua. Host. in sum. de temp. ord. nu. 4. consuetudo tamen hęc non amplius est in vsu, & eam leuandam esse si alicubi adhuc vigeret respondit Cong. Regularium Patriarchæ Venet. 5. Decem. 1595.

Benedicit insuper episcopus populum benedictione solemni tam in ecclesia quam per vias illique soli debetur hęc prærogatiua, cap. ministrare 26. quæst. 6. & hæc potestas est potius ordinis quam iurisdictionis. Turrecrem. in cap. denique 21. distinct. num. 12. Et etiã extra Diæcesim priuatim celebrans hanc benedictionem dare potest.

rest.Zer.par.1.ver.episcopus,num.35.Præsbyter autem ne quidem simplicem benedictionem episcopo præsente sine ipsius assensu dare potest. cap.cum ad celebrandas,iun.glo. de consecr.distinct.1. cap.accedentibus, de excess.priuil. Abbates tamen in ecclesijs suis dum celebrant solemnem benedictionem dare possunt, cap.Abbates de priuil.in 6.

Caput Tertium.

De Confirmatione.

SVMMARIVM.

1 *Confirmationis sacram.minister est episcopus.*
2 *Confirmationis sacram.quid sit.*
3 *Confirmatio quomodo facienda.*
4 *Confirmandi,quæ requisita habere debeant.*

FRontis chrismationem seu confirmationem, vt vocatur, cap. vnico,§.per frontis,de sacr.vnct.ad solum pertinere episcopum probat tex.cap.presbyteris,de consecr.dist.4.& cap.quanto.de consuetud. Conc. Flor.in decreto Armenis tradito, §.secundum sacramentum est, & est actus ordinis episcopalis, Arm. ver.confirmatio sacram.num.3.Nau.in Man.cap.22.num.9. Conc.Trid.sess.7.de cōfirm.sacram.Conon.3.Cōmitti tamen posset per Papam Abbati,vel etiam simplici sacerdoti huius sacramenti administratio, vt testatur.Inn.in cit.ca.quanto,de consuetud.Victor de sacr.confir.num. 50.Nauar.loc.cit.num.8. episcopus tamen hoc delegare nō posset nisi alteri episcopo,Innoc.lo.cit.dicitque sic teneri communiter.

Est aūt confirmatio, Sacr̃m vnctionis chrismatis cōsecrati, quo episcopus frontem Baptizati inungit sub certa verborum forma. hanc diffinitionem, Nau.loc.cit.colligit ex S.Thoma, 3.par.quæst. 72.Et est confirmatio vnum ex ecclesiæ sacram.Conc.loc.cit.canō. 1.confertque gratiam ad fortiter vincendum aduersa mūdi huius, cap.2.& cap.nouissimè, distinct.4. de consecr. Et imprimit characterem indelebilem, vnde non potest iterari. Vict.loc.cit.num.45. Ang.ver.confirmatio,num.10.Arm.eod.num.3.

Confertur hoc sacramentū omni tempore Arm. loc.cit. Ang.ibi. qui etiam ieiunium esse solum de consilio in hoc sacram.dicit, imo & vsus

& vsus obtinuit, vt plerumque à non ieiunis conferatur, & suscipiatur.

3 Vnguntur in fronte confirmandi chrismate consecrato. Et si oleo tantum vngeretur quis, supplēdum esset cautè, & chrismate iterum vngendum repetito solum, signo te. &c. non autem alijs orationib. cap. 1. de Sacr. non iter. ibique Innoc. Ang. loc. cit. nu. 8. si vero quis oleo non consecrato vngeretur, nihil fieret, & totum esset iterandū. Victor. loc. cit. num. 42.

In modum crucis debet fieri delinitio cum sit in forma verborū signo te signo crucis. &c. c. nunquid. dist. 5. de consecr.

Percutitur maxilla confirmati in signum, confirmatum forti, & inuicto animo debere ferre pericula imminentia propter fidem.

Cum pluuiali, mitra, stola, & baculo Pastorali confirmandum esse respondit Cong. Episcop. Suffraganeo Brixonien. 19. Feb. 1585.

Et non nisi suos Diœcesanos confirmare debet Episcopus. Arm. loc. cit. num. 3.

4 In confirmandis etiam videnda sunt requisita. Primo vt sint prius Baptizati, cum omnia sacramenta præsupponant Baptismum, illiq; innitantur tanquam proprio fundamento. Victor. loc. cit. nume. 46. Confiteri etiam prius debent peccata sua, vel saltem sine mortali accedere confirmandi. Nau. loc. cit. quod Ang. loc. cit. de consilio, non de necessitate esse dicit. Contritio tamen est omnino necessaria in adultis, & est de præcepto Ecclesiæ. Viuald. de confirm. nu. 40.

Siue autem quis sit sanus, siue infirmus confirmari potest: & ætas prefecta videtur expectanda, arg. tex. cap. vt ieiuni; ium. glo. dist. 5. de consecr. sed Contrarium seruatur communiter. Ang. loc. cit. num. 3. Victor. vbi sup. num. 49. tamen tutius esse expectare septenniū propter periculum reconfirmationis, docet id. Vict. loc. cit.

Patrinum habere debet confirmandus, qui patrinus contrahit affinitatē, æquè vt per susceptionem ex Baptismo. Conc. Trid. cit. ses. 24. de ref. matr. cap. 2. in fi.

Et patrinus debet esse confirmatus, cap. in baptismate, dist. 4. de consecr. nec contraheret affinitatem, si non esset ipse confirmatus, Ang. loc. cit. num. 11. Debet etiam esse alius, quam ille qui fuit in Baptismo, nisi necessitas cogat. c. in cathechismo, dist. cit. Monachus item vel Abbas compater fieri prohibetur, c. non licet. c. Monachi, ibid. & c. peruenit, 18. q. 2. c. placuit, 16. q. 1.

De

Caput Quartum.

De Consecratione Oleorum.

SVMMARIVM.

1 *Olea sancta quomodo consecrantur.*
2 *Olea sancta à solo Episcopo consecranda.*

OLeum sanctum sub trina diuersiate cõsecratur. Aliud quod vocatur chrisma ex oleo oliuarum, & balsamo, cuius mixturæ misterium explicatur, cap. vn. de sacr. vnct. Hoc vnguntur baptizati in vertice, & fronte, Ecclesiæ, altaria, calix, patena, fons Baptismalis, Episcopus dum consecratur in capite, & in manibus, & confirmandi. Aliud dicitur oleum Cathecumenorum, ex oleo oliuarum solo, hoc vnguntur baptizati inter scapulas, & in pectore, Ecclesia, altare ante chrismationem, sacerdotis manus, Reges, & Principes in brachio, & humero. Tertium est Oleum infirmorum; quo vnguntur infirmi, ex primęua institutione Ecclesiæ, de qua in Epistola. can. Iacob. Apost. Infirmatur quis ex vobis inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum vngentes eum oleo. &c.

Hæc itaque olea sacra à solo Episcopo consecrantur, cap. si quis,
2 cit. dist. 4. de consecr. Et singulis annis consecrari debent, cap. omni tempore, loc. cit. & itidem singulis annis ad omnes Ecclesias Parochiales per Præsbiterum vel subdiaconum saltem, sub sigillo, & decenti cultu deferenda sunt, vetera vero cremanda. Nec aliunde peti debent nisi à proprio Episcopo, cap. præsbiteri. 95. dist.

Consecranda sunt solo die Cenæ Domini. cap. litteris, dist in. 3. de consecr. Et in missa, cap. te referente, de celeb. miss. vbi gl. verb. si. pontina, quærit vtrum missa sit de substantia huius consecrationis, sed tenendum est missam esse de necessitate præcepti non de necessitate sacramenti, vt de ordinibus diximus.

Salutationum, & aliarum Ceremoniarum, quæ in consecratione oleorum adhibentur, reddit rationem Guil. Duran. in suo rationali Diuin. lib. 6. c. 74.

Caput Quintum

De consecratione Ecclesiæ, Altaris, & paramentorum Ecclesiæ.

SVMMARIVM.

1 *Lapis primarius à quo ponendus.*
2 *Ecclesiam ædificans, eandem dotare tenetur.*
3 *Consecrata semel Ecclesia, reconsecrari non debet.*
4 *Consecratio Ecclesiæ quomodo probetur.*
5 *Reconciliatio Ecclesiæ in quibus casibus facienda.*
6 *Cimiterium eodem iure censetur cum Ecclesia quoad consecrationem, & reconciliationem.*
7 *Altaria quomodo consecranda.*
8 *Altaris portatilis vsus.*
9 *Vasa sacra, & vestes consecrantur.*
10 *Abbates, & aliorum Regularium superiores, paramenta Ecclesiastica benedicere possunt.*

1 Ecclesiæ ædificari non possunt sine scitu, & assensu loci Episcopi, et ipse locum ædificationis assignat, crucem figit, lapidemque ponit primarium, cap. nemo Ecclesiam, dist. 1. de consecr. Greg. Toloss. in suis part. lib. 1. tit. 4. cap. 5. Hunc tamen actum, nempe positionem primarij lapidis, potest alteri subdelegare, vt notat. gl. loc. cit. verb. veniat.

Aedificandæ sunt Ecclesiæ sine præiudicio antiquarum, & si quãdo nouæ Parochiales erigendæ sunt, fieri debet absque diminutione iurium, & emolumentorũ antiquę Parochiæ: potest tamẽ Episcopus etiam de fructibus matricis Parochialis, nouam aliam parochialem fundare si exigat necessitas, nec adsit modus dotandi aliunde, ipsaque matrix abundet fructibus. Conc. Trid. sess. 21. cap. 4. de ref. sine præiudicio nimirum possidentis, vt declarauit Cong. Cõc. Episcopo Andrien. in anno. 1594.

2 Alioquin ædificans Ecclesiam, dotem sufficientem, pro alendis ministris, ornamentis necessariis, & Iuribus Episcopalibus subeundis, assignare ipsi tenetur, vel Episcopus permittẽs ędificari sine dote ad dotandũ de proprio obligaretur, c. cũ sicut. iun. gl. de cõsec. eccl.

Anti-

Antiqua consuetudine seruatum fuit vt versus orientem Ecclesię ædificarentur, de qua consuet. testatur Clemens in 2. li. Apost. const. cap. 61. & Durand. in ratio. cit. lib. 1. c. 4.

Aedificata autem Ecclesia consecratur quocunque die siue festo siue feriato, c. 2. de consecr. Eccl. cit. idque ab ipsomet Episcopo, est enim actus ordini ipsius deputatus. Vnde ipsum Episcopus committere non potest simplici Sacerdoti, cap. aqua. loc. cit. Host. ibid. num. 2.

3 Semel etiam cõsecrata iterum consecrari non debet, c. Ecclesijs. dist. 1. de consecr. præterquam in casibus qui sequuntur.

Primo si dubitetur an fuerit consecrata, cap. Ecclesiæ. distin. cit. Arm. verb. Consecratio Eccl. num. 3. Creditur tamen dicto vnius testis, qui dicat fuisse consecratam siue de visu siue de auditu. vel si appareat aliqua nota in libris Ecclesiæ vel in pariete seu aliqua tabula

4 marmorea, iudicatur fuisse consecratam, huiusmodi enim semiplenæ probationes sufficiunt, vbicunque nemini generatur præiudiciũ. Innoc. in c. 1. de consecr. Eccl. Arm. loc. cit. nu. 2. & gl. in c. nuper. verbo. nisi iuratus. de testibus.

Secundo reconsecratur in casu quo parietes fuerint combusti destructi seu diruti omnes, siue maior pars, cap. Ecclesijs. cit. si tamen solum tectum combustum sit, vel etiam de parietibus, quid modicum, non reconsecratur, c. de fabrica. ibidem, cap. proposuisti, iun. gl. de consecr. Eccl. quod totum pendere ex iudicio Episcopi docet Host. loc. cit. nu. 5.

Tertio si fuerit ab hæretico consecrata, cap. Ecclesias, cap. arrianorum, dist. cit.

5 Reconciliatio autem quæ est diuersa à consecratione, adhibetur in casibus pollutionis Ecclesiæ qui pluribus modis accidere possunt vt primo si Ecclesia polluatur effusione sanguinis magna, & iniuriosè facta in Ecclesia. Magna quidem; vnde si fit effusus modicus sanguis, vt si percutiatur aliquis vt sanguis fluat ex naribus non dicetur polluta. c. cum illorũ, iun. gl. de sen. exc. Ang. ver. consecratio, nu. 4. Arm. ibi. Et iniuriosè facta, nam si casu aliquo percussus fuerit quis ad sanguinis profluuiũ, nõ polluetur Ecclesia. Similiter non sequetur pollutio Ecclesię, si foris vulneratus, cõfugiat ad Ecclesiá, & ibi fundat sanguinem; pollutio enim fundatur super violentia facta in ecclesia, non super sola effusione sanguinis, & è contra vulnerato aliquo in ecclesia, etiamsi egrediatur antequam ibi sanguinem fundat, seu illum excipiat vase aliquo, vel si quis suffocatur, & moritur violenter sine sanguinis effusione remanebit tamen eccle

sia polluta propter violentiam ibi illatam. Nauar. in Man. cap. 27. num. 256.

Item polluitur ecclesia effusione seminis siue illa fuerit licita siue illicita, cap. fin. de consecr. Eccl. Host. loc. cit.

Tertiò si ibidem sepeliatur paganus, Hæreticus, vel excommunicatus, nec reconciliari potest nisi cadauere huiusmodi exhumato si discerni possit, cap. ecclesiam, dist. cit. Host. loc. cit. num. 7. vbi partũ in vtero existentem, censeri vnum cum corpore materno, nec ecclesiam pollui si sepeliatur vna cum matre, multis deducit.

Quartò polluitur si ab episcopo publico excommunicato reconcilietur, vel consecretur siue tota siue eius altare, Abb. in cap. proposuisti, de consecr. eccl. Arm. loc. cit. num. 7.

Sacrilegio item, & criminibus enormibus ibi commissis polluitur, sed istis casibus sicut, & in alijs qui in iure non exprimuntur, reconciliatio potest committi simplici sacerdoti, vt testatur, Hostien. loc. cit. In omnibus etiam pollutionis casibus ad affectum, quod ecclesia indigeat reconciliatione, requiritur, vt polluti o sit publica, nec sufficit, quod sciatur à duobus, vel tribus, Abb. in cap. significasti, de adulter Zer. ver. pollutio, num. 2. Host. Arm. loc. cit.

Ante reconciliationem autem in ecclesia diuina officia celebrari non debent, nec mortui sepeliri, & celebrans fit suspensus, & si iterum celebret post suspensionem, contrahet irregularitatem, Armil. loc. cit.

Vbi tamen reconciliatio haberi non posset per episcopum, posset lauari ecclesia polluta, aqua exorcisata, & celebrari interim donec reconcilietur per episcopum, cap. fin. loc. cit. de cõsecr. eccl. similiter, & ecclesia non consecrata si polluatur, sufficit, quod reconcilietur modo prædicto per simplicem sacerdotem. Armil. loc. cit. num. 2.

6 De cimiterij vero consecratione, pollutione, & polluti reconciliatione, idem omnino tenendum esse, quod de ecclesia diximus, testatur, Hostiens. loc. cit. numero 9. nisi quod ecclesia polluta, censetur pollutum, quoque Cimiterium, non verò è contra, capit. vn. de consecratio. eccles. in 6. Angel. verb. consecratio. cit.

7 Altaria etiam consecrantur, siue sola, siue vna cum ecclesia, plura, seu vnum solum, cap. cum sis, de consecr. eccl. vnguntur chrismate, cap. altaria, dist. 1. cit. de consecr. Et ritus in Pontificali præscripti omnes necessario sunt adhibendi, Ang. Arm. loc. cit.

Non nisi lapidea debent consecrari, cap. Altaria, cit. nec sine reli-

quijs

quijs sanctorum, quæ in eis recondi debent, cap. placuit, distinc. cit.
Et quidem reliquię sanctorum ab ecclesia approbatorum, vt respondit, S. Congr. Conc. cuidam episcopo, 10. Iun. 1585. quæ eadẽ episcopo Interamnen. die 13. septemb. 1593. & Archiep. Tranen. 8. Nouemb. 1599. respondit non esse consecranda altaria sub quib.
8 sepulta sunt corpora mortuorum nisi eis remotis.
Non solum autem altare solo fixum, sed & portatile, quod & viaticum dicitur, consecratur, de quo loquitur, tex. cap. concedimus, distinct. citat. Sed istius vsus extra ecclesiam in qua de licentia episcopi celebrari consueuit, est interdictus, cap. missarum, cap. hic ergo, distinct. cit. potest tamen concedere licentiam episcopus in casu necessitatis celebrationem missæ in Oratorio priuato, adhibito altari huiusmodi portatili, cap. concedimus, extra oratorium verò, celebrandi licentiam licet potuerit concedere de iure antiquo, modo tamen post Conc. Trid. eã dare non põt episcopus nisi solus Papa, Nauar. in man. cap. 25. num. 81. sed solis tantum episcopis, vt celebrare, & celebrari sibi facere possint vbicumque altari huiusmodi adhibito est licitum, cap. vlt. de priuil. in 6.
Violatur altare, solo fixum si loco moueatur, vtrumque autem si fuerit enormiter læsum, vel si sigillum sub quo reliquiæ conduntur, frangatur, seu lapis sub quo sunt reliquię amoueatur, cap. si motum, distinct. cit. iun. glo. ver. altare, quod relinquitur iudicio episcopi, qui ex re oculis subiecta, facilius dignoscere poterit num sit sequuta violatio. Arm. ver. altare, & Host. loc. cit. Semel autem violatum non reconciliatur amplius, sed iterum est consecrandum, loc. cit.
Consecratio tam Altaris quam ecclesiæ sine missa fieri prohibetur, cap. omnes basilicę, distinct. cit.
In consecratione ecclesiæ concedere potest episcopus vnius anni indulgentiam, & pro diebus singulis anniuersarijs consecrationis, dierum quadraginta: nec valet maior indulgentia licet plures episcopi consecrent, & à pluribus concedatur, cap. cũ ex eo. §. adhæc de pœnit. & remiss. & cap. vlt. eo. tit. in 6.
Diem autem anniuersariam consecrationis, ex iusta causa posse in alium diẽ transferri respondit, S. Congr. episcop. Brixonien. 19. Februar. 1585.
Vltra ecclesiæ & Altaris consecrationẽ, ad ministerium diuinorũ cõsecrantur etiam vasa sacra & vestes, quæ & attrectari non debent nisi ab ordinatis in sacris ordinibus, cap. in sancta, distinct. cit.
Et quidem calix, & patena dum consecratur vngitur chrismate, nec debet consecrari ligneus siue ex vitro, vel auricalco, sed ex auro, argento

argento siue etiam exstamno fabrefactus, cap. vasa, cap. vt calix, distinctione cit.

Vestes autem, lintea, & panni altaris sine aliqua vnctione benedicuntur ceremonijs adhibitis, quæ in Pontificali videri possunt, cap. vestimenta, distinctione. ea. Nec episcopus eorum benedictionem alteri potest committere. Arm. ver. benedictio, num. 12. Papa tamen hoc priuilegium multis concedit, sicut, & alia omnia, quæ non sunt stricti Ordinis episcopalis, Vt Six. IV. & Leo X. Generalib. Prouincialibus, Vicarijs, guardianis, Ordinis Minorum, concessit facultatem benedicendi paramenta, & ornamenta, ad eorum ecclesiarum vsum necessaria, in quibus Chrismatis vnctio non interuenit, & reconciliandi ecclesiam pollutam, aqua exorcisata ab episcopo, vel si episcopus in remotis agar, vt aquam huiusmodi etiam ipsi benedicere possint: relatum inuenitur hoc priuilegium, apud Confect. inter priuileg. mend. fol. 140. quod & omnium aliorum mendicantium superiores facere possunt cum æquè omnes priuilegijs istis participent, & vnius ordinis priuilegia alijs etiam per communicationem seruiunt ac si eis fuerint specialiter concessa, vt Confect. cit. in sum. tit. 3. cap. 5. Hanc eandem potestatem habent patres Societ. Iesu, quorum Pius V. Societatem inter ordines mendicantium ascripsit, & eorum priuilegijs gaudere voluit, imo expresse ipsis hæc facultas consecrandi paramenta ecclesiæ fuit concessa à Paulo III. vt in eius Const. relata apud Eman. Roder. in sua Coll. priuil. tom. 2.

Similiter & Abbates benedicere possunt dicta paramenta, quisq; pro vsu duntaxat ecclesię suæ, cap. Abbates, de priuil. in 6. iun. glo. ver. tonsuram, nõ tamen calicem, vel patenam neque alia in quibus adhibenda esset olei vnctio, vt glo. eadem. Neque corporalia, cap. consulto, dist. cit. Ang. ver. benedictio, num. 2.

Campanæ etiam ex consuetudine ecclesiæ benedicuntur vnctione olei, & chrismatis, libri autem ecclesiæ benedici non solent, gl. in cap. 1. de pignoribus.

Profanantur vasa sacra, & vestes, cum amittunt formam propriã non autem si sint leuiter lacera, Ang. Arm. loc. cit.

Vetusta autem, & consumpta, in vsus prophanos conuerti non debent, sed in loco honesto reponi, & ligna parietum ecclesiæ seu altaris cremanda sunt, cap. ligna ecclesiæ, dist. cit.

Pro consecratione ecclesiæ, vel altaris, vel pro benedictionibus prædictis nihil potest recipere episcopus præter procurationem, cap. cum sit Romana, de Simonia.

PRA-

PRAXIS EPISCOPALIS

PARS SECVNDA.

De Potestate, & officio iurisdictionis Episcopalis.



ORdinis Episcopalis potestate secundum quod breuitatis ratio postulabat absoluta, subsequitur potestatis iurisdictionis ipsius tractatio. Quæ quoniam multiplex est, alia enim fori pœnitentialis, alia fori contentiosi, alia demum voluntaria dici potest, nos etiam iuxta diuisionem huiusmodi aliqua de ipsa referre conabimur. Et in primis quidem eam quæ est fori pœnitentialis absoluemus, tanquam affiniorem præcedenti tractatui, similia similibus magis coniungentes.

Caput Primum.

De Iurisdictione fori Pœnitentialis.

In quibus casibus absoluere non possit episcopus in foro animæ.

SVMMARIVM.

1 *Episcopi in locum Apostolorum successerunt.*
2 *Papa solus habet plenam iurisdictionem in ecclesia.*
3 *Papa licitè sibi reseruat quosdam casus.*
4 *Casus reseruati Bulla Cœnæ Domini.*
5 *Casus Papæ reseruati in corpore iuris clausi.*
6 *Casus Papæ reseruati diuersis Pontificum constitutionibus.*
7 *Votorum quinque absolutio Papæ reseruata.*

CIrca hoc itaque sciendum est in primis, quòd licet Apostoli à Domino parem cum Petro acceperint potestatem, cap. in nouo 21. distinctione. Hostiens. de temp. ord. num. 34. Petrus tamen

obtinet

obtinet principatum ex ordinatione diuina, nam illi soli dictum est Ioan. 21. pasce oues meas c. puto, 2. q. 7. consequenter, & Papa, qui in Petri successit locum, licet eãdem videatur habere potestatẽ
1 cum episcopis, qui in locum Apostolorum successerunt, cap. quorum vices, 68. distinctione, Concil. Triden. sessio. 23. cap. 4. principatum tamen & iurisdictionem solus habet, eamque immediatam
2 in vniuersa ecclesia. extrauag. vnã sanctã de maior. & obed. cõm. episcopi autem habent illam communicatiuè ab ipso Papa. Et quidem limitata ipsis semper conceditur, tum quoad certum populum seu Diœcesim determinatam, extra quam ipsorum iurisdictio non
3 extenditur, vnde manauit prohibitio, ne aliquis in subditos alienę Diœcesis iurisdictionem exerceat, cap. placuit, de pęni. distinctione 6. cap. quod autem, cap. omnis, de pœnit. & remiss. Tum etiam quo ad genera peccatorum. Vnde Papa reseruauit sibi plures casus in foro pœnitentiæ, in quibus episcopi etiam quoad eorum subditos se se intromittere non possunt. Et primo reseruati sunt Papę casus in Bulla Cænę Domini contenti, in qua cum tot fere sint sententiæ, quot verba, nec sine periculo omissionis necessariorum summari possit, & vt ex ipso fonte potius casus huiusmodi reseruati cognoscãtur, tenorem ipsius vtilitati, & commoditati omnium hic posuimus, vt sequitur.

Paulus Episcopus seruus seruorum Dei Ad futuram rei memoriam.

PAstoralis Romani Pontificis vigilantia, & sollicitudo, cum in omni Christianæ Reip. pace, & tranquillitate procuranda, pro sui muneris officio assiduè versatur, tum potissimum in Catholicæ fidei, sine qua impossibile est placere Deo, vnitate, atque integritate retinenda, & conseruanda, maximè elucet: Nimirum vt fideles Christi non sint paruuli fluctuantes, neque circumferantur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, ad circumuentionem erroris, sed omnes occurrant in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, neque se in huius vitæ societate, & cõione lædant, aut inter se alter alteri offensionem præbeat, sed potius in vinculo charitatis coniuncti, tanquam vnius corporis membra sub Christo capite, eiusque in terris Vicario Romano Pontifice Beatissimi Petri successore, à quo totius Ecclesiæ vnitas dimanat, augeantur in ædificationẽ, atque ita Diuina gratia adiutrice sic præsentis vitæ quiete gaudeant, vt futura quoque beatitudine perfruantur. Ob quas sanè causas Romani Pontif. prædecessores nostri hodierna die, quæ anniuersaria Dominicæ Cænæ commemoratione, solemnis est, spirituale Ecclesiasticæ disciplinę gaudiũ, & salu-

& salutaria iustitiæ arma ministerium summi Apostolatus, ad Dei gloriam, & animarum salutem solemniter exercere consueuerunt.

Nos igitur, quibus nihil optabilius est, quam fidei inuiolatam integritatem, publicam pacem, & iustitiam Deo auctore tueri, vetustum, & solemnem hunc morem sequentes.

1 *Excommunicamus, & anathematizamus ex parte Dei omnipotentis, Patris, & filij, & spiritus sancti, auctoritate quoque Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac nostra; quoscumque Hussitas, Vuicleffistas, Lutheranos, Zuinglianos, Caluinistas, Vgonottos, Anabaptistas, Trinitarios & à Christiana fide Apostatas, ac omnes, & singulos alios Hæreticos quocunque nomine censeantur, & cuiuscunque sectæ existant, eorum credentes, receptatores, fautores, & generaliter quoslibet illorum defensores, ac eorundem libros Hæresim continentes, vel de Religione tractantes, sine auctoritate nostra, & sedis Apost. scienter legentes, aut retinentes, imprimentes, seu quomodolibet defendentes, ex quauis causa publicè vel occultè, quouis ingenio, vel colore: necnon schismaticos, & eos qui se à nostra, & Rom. Pontificis pro tempore existentis obedientia, pertinaciter subtrahunt, vel recedunt.*

2 *Item excommunicamus, & anathematizamus, omnes, & singulos cuiuscunque status, gradus, seu conditionis fuerint: Vniuersitates vero Collegia, & Capitula, quocunque nomine nuncupentur, interdicimus, ab ordinationibus seu mandatis nostris, ac Rom. Pontificum pro tempore existẽtium, ad Vniuersale futurum Concilium appellantes: necnon eos quorum auxilio, vel fauore appellatum fuerit.*

3 *Itẽ excõmunicamus & Anathematizamus oẽs pyratas, Cursarios, ac latrunculos maritimos, discurrentes mare nostrum, præcipuè à monte Argentario, usque ad Terracinam: ac omnes eorum fautores, receptatores, & defensores.*

4 *Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & singulos, qui Christianorum quorumcunque nauibus, tempestate, seu in transuersũ (vt dici solet) iactatis, vel quoquomodo naufragium passis, siue in ipsis nauibus, siue ex eisdem eiecta, in mari vel littore inuenta, cuiuscunque generis bona, tam in nostris Tyrreni, & Adriatici, quam in cæteris cuiusq; maris regionibus, & littoribus surripuerint. Ita vt nec ob quodcunque priuilegium, consuetudinem, aut longissimi, etiam immemorabilis temporis possessionem, seu alium quemuis prætextum, excusari possint.*

5 *Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, qui in terris suis noua Pedagia, seu gabellas, præterquã in casibus sibi à iure, seu ex speciali sedis Apostolicæ licentia, permissis imponunt, vel augent, seu imponi vel augeri prohibita exigunt.*

L 1 Item

6 *Item excommunicamus, & anathematizamus omnes falsarios litterarum Apostolicarum, etiam in forma breuis, ac supplicationum gratiam, vel iustitiam concernentium, per Rom. Pontificem, vel S.R.E. Vicecancellarios, seu gerentes vices eorum, aut de mandato eiusdem Romani Pontificis signatarum: necnon falsò fabricantes litteras Apostolicas, etiã in forma breuis, & etiam falsò signantes supplicationes huiusmodi, sub nomine Rom. Pontificis, seu Vicecancellarij, aut gerentium vices prædictorum.*

7 *Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Saracenos, Turcas, & alios Christiani nominis hostes, & inimicos, vel Hæreticos, per nostras siue huius sanctæ sedis sententia expressè, & nominatim declaratos, deferunt, seu transmittunt, equos, arma, ferrum, filum ferri, stamnum, chalibem, omniaque alia metallorum genera, atque bellica instrumenta, lignamina, canapem, funes, tam ex ipso canape, quam alia quacunque materia, & ipsam materiam, aliaque huiusmodi, quibus christianos, & Catholicos impugnant, necnon illos, qui per se, vel alios de rebus statum christianæ Reip. concernentibus, in christianorum perniciem, & damnum, ipsos Turcas, & Christianæ Religionis inimicos, necnon hæreticos in damnum Catholicæ Religionis, certiores faciunt, illisque ad id auxilium, consilium, vel fauorem, quomodolibet præstant, Non obstantibus quibuscunque priuilegijs, quibusuis personis, Principibus, Rebuspublicis, per nos, & sedem prædictam hactenus concessis, de huiusmodi prohibitione, expressam mentionem non facientibus.*

8 *Item excommunicamus, & anathematizamus, omnes impedientes, seu inuadentes, eos, qui victualia, seu alia ad vsum Rom. Curiæ necessaria ducunt, ac etiam eos, qui ne ad Rom. Curiam adducantur, vel afferantur, prohibent, impediunt, siue perturbant, seu hæc facientes defendunt per se vel alios, cuiuscunque fuerint, ordinis, præeminentiæ, conditionis, & status, etiamsi Pontificali, seu Regali, aut alia quauis Ecclesiastica, vel mundana præfulgeant dignitate.*

9 *Item excommunicamus, & anathematizamus, omnes illos, qui ad sedẽ Apostolicam venientes, & recedentes ab eadẽ, sua vel aliorũ opera interficiunt, mutilant, spoliant, capiunt, detinent; necnon illos omnes qui iurisdictionem Ordinariam, vel delegatam, à nobis vel nostris iudicibus nõ habentes, illam sibi temerè vendicantes, similia contra morantes in eadem Curia audent perpetrare.*

10 *Item excommunicamus, & anathematizamus, omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes, seu deprædantes, Romipetas, seu peregrinos ad Vrbem, causa deuotionis, seu peregrinationis accedentes, & in ea morantes, vel ab ipsa recedentes, & in his dantes auxilium,*

lium, consilium, vel fauorem.

11 Item excommunicamus, & anathematizamus, omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, percutiences, capientes, carcerãtes, detinentes, vel hostiliter insequentes, S.R.E. Cardinales, ac Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicæ Legatos, vel Nuntios, aut eos à suis Diœce. territorijs, terris, seu dominijs eijcientes. necnon ea mandantes, vel rata habentes, seu præstantes eis auxilium, consilium, vel fauorem.

12 Item excommunicamus, & anathematizamus, omnes illos, qui per se, vel per alios, personas ecclesiasticas quascumque, vel sæculares ad Roman. Curiam super eorum causis, & negotijs recurrentes, ac illa in eadem Curia prosequentes, aut procurantes, negotiorumque gestores, aduocatos, procuratores, & agentes, seu etiam Auditores, vel iudices super dictis, causis, vel negotijs deputatos, occasione causarum, vel negotiorum huiusmodi occidunt; seu quoquo modo percutiunt, bonis spoliant, seu qui per se, vel per alios, directè, vel indirectè delicta huiusmodi committere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel fauorem præstare, non verentur, cuiuscumque præeminentiæ, & dignitatis fuerint.

13 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, tam Ecclesiasticos, quam sæculares cuiuscunque dignitatis, qui prætexentes friuolam quandam appellationem à grauamine, vel futura executione litterarum Apostolicarum, etiam forma Breuis, tam gratiam quam iustitiam concernentium; necnon citationum, inhibitionum, sequestrorum, monitoriorũ, processuum executorialium, & aliorum decretorum, à nobis, & à sede prædicta, seu Legatis, Nuncijs, Præsidentibus Palatij nostri, & Cameræ Apostolicæ Auditoribus, Commissarijs, alijsque iudicibus, & delegatis Apostolicis emanatorum, & quæ pro tempore emanauerint, aut alias ad curias sæculares, & laicã potestatem recurrunt, & ab ea instãtia et fisci procuratore, vel aduocato, appellationes huiusmodi admitti, ac litteras, citationes, inhibitiones, sequestra, monitoria. & alia prædicta capi, & retineri faciunt, quivè illa simpliciter, & sine eorum beneplacito, & consensu, vel examine, executioni demandari, aut ne tabelliones, & notarij super huiusmodi litterarum, & processuum executione, instrumenta, vel acta conficere, aut confecta parti, cuius interest, tradere debeant, impediunt, vel probibent, ac etiam partes, seu eorum agentes, consanguineos, affines, familiares, notarios, executores litterarum, citationum, monitoriorum, & aliorum prædictorum, capiunt, percutiunt, vulnerant, carcerant, detinent, ex ciuitatibus, locis, & Regnis eijciunt, bonis spoliant, perterrefaciunt, concutiunt, & comminantur per se, vel alium, seu alios, publicè, vel occultè, quivè alias quibuscumque personis, in genere, vel in spe

cie, ne pro quibusuis eorum negotijs prosequendis, seu gratijs, vel litteris impetrandis, ad Rom. Curiam accedant, aut recursum habeant, seu gratias ipsas, vel litteras à dicta sede impetrent, seu impetratis vtantur, directè vel indirectè, prohibere, statuere, seu mandare, vel eas apud se, aut notarios, seu tabelliones, vel alias quomodolibet detinere præsumunt.

14 *Item excõmunicamus, & anathematizamus oẽs, & singulos, qui per se, vel alios auctoritate propria, ac de facto, quarumcumque exemptionũ, vel aliarum gratiarum, & litterarum Apostolicarum prætextu, beneficiales, & decimarum, ac alias causas spirituales, & spiritualibus annexas, ab Auditoribus, & Commissarijs nostris, alijsq; iudicibus ecclesiastici cis auocant, illarum vè causas ipsas prosequi volentes impediunt, ac se de illarum cognitione, tanquam iudices interponunt. Qui vè partes actrices, quæ illas committi fecerunt, & faciunt, ad reuocandum, & reuocari faciendum, citationes, vel inhibitiones, aut alias litteras in eis decretas, & ad faciendum, vel consentiendum, eos, contra quos tales inhibitiones emanarunt, à censuris, & pœnis in illis contentis, absolui, per statutum, vel alias compellunt, vel executionem litterarum Apostolicarum, seu executorialium processuum, ac decretorum prædictorum, quomodolibet impediunt, vel suum ad id fauorem, consilium, aut assensum præstant, etiam prætextu violentiæ probibendæ, vel aliarum prætensionum:, seu etiam donec ipsi ad nos informandos, vt dicunt, supplicauerint, aut supplicari fecerint, nisi supplicationes huiusmodi corã nobis, & sede Apostolica legitimè prosequantur, etiamsi talia committentes, fuerint præsidentes Cancellariarum, consiliorum, parlamentorum, cancellarij, vicecancellarij, consiliarij ordinarij, vel extraordinarij quorumcumque Principum secularium, etiamsi Imperiali, Regali, Ducali, vel alia quacumque præfulgeant dignitate, aut Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, commendarij, seu Vicarij fuerint.*

15 *Qui vè ex eorum prætenso officio, vel ad instantiam partis, aut aliorum quorumcumque, personas ecclesiasticas, Capitula, conuentus, collegia ecclesiarum quarumcumque, coram se ad suum tribunal, audientiam, cancellariam, consilium, vel parlamentum, præter iuris Canonici dispositionem, trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant directè, vel indirectè, quouis quæsito colore, ac etiam prætextu cuiusuis consuetudinis, aut priuilegij, vel alias quomodolibet fecerint, ordinauerint, & publicauerint, vel factis, & ordinatis vsi fuerint, vnde libertas ecclesiastica tollitur, seu in aliquo læditur, vel deprimitur, aut alias quouis modo restringitur, seu nostris, & dictæ sedis ac quarumcumque ecclesiarum iuribus, quomodolibet directè, vel indirectè, tacitè, vel expressè præiudicatur.*

16 *Necnon qui Archiepiscopos, episcopos, alios vè superiores, & inferiores præ-*

res prælatos, & omnes alios quoscumq; iudices ecclesiasticos ordinarios, quomodolibet hac de causa, directè, vel indirectè carcerando, vel molestando eorum agentes, procuratores, vel familiares, necnon consanguineos, & affines, impediunt quominus sua iurisdictione ecclesiastica, contra quoscumque vtantur, secundum quod canones, & sacræ constitutiones ecclesiasticæ, & decreta Conciliorum generalium, & præsertim Tridentini, statuunt, ac etiam eos, qui post ipsorum Ordinariorum, vel etiam ab eis delegatorum quorumcumque, sententias, & decreta, aut alias fori ecclesiastici iudicium eludentes, ad cancellarias, & alias curias sæculares recurrunt, & ab illis, prohibitiones, & mandata etiam pœnalia, Ordinarijs, aut delegatis prædictis decerni, & contra illos exequi procurant, eos quoque, qui hæc decernunt, & exequuntur, seu dant auxilium, cõsilium, patrocinium, & fauorem in eisdem.

17 *Qui vè iurisdictiones, seu fructus, reditus, & prouentus ad nos, & sedem Apostol. & quascumque ecclesiasticas personas, ratione ecclesiarũ monasteriorum, & aliorum beneficiorum ecclesiasticorum pertinentes, vsurpant, vel etiam quauis occasione, vel causa, sine Rom. Pontificis, vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium expressa licentia sequestrant.*

18 *Quivè collectas, decimas, talleas, præstantias, & alia onera, clericis, prælatis, & alijs personis Ecclesiasticis, ac eorum & Ecclesiarum, monasteriorum, & aliorũ beneficiorum Ecclesiasticorum bonis, illorumque fructibus, reditib. & prouentibus huiusmodi, absque simili Rom. Pontificis speciali, & expressa licentia, imponunt, & diuersis etiam exquisitis modis, exigunt, aut sic imposita, etiam à sponte dantibus, & concedentibus recipiunt. Necnon qui per se vel alios, directè vel indirectè, prædicta facere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel fauorem præstare non verentur, cuiuscunque sint præeminentiæ, dignitatis, ordinis, conditionis, aut status, etiamsi Imperiali aut Regali præfulgeãt dignitate, seu Principes, Duces, Comites, Barones, & alij Potẽtatus quicunque, etiã Regnis, Prouincijs, Ciuitatibus, & Terris quoquomodo præsidentes, & Consiliarij, & Senatores, aut quauis etiam Pontificali dignitate insigniti, innouantes decreta super his per sacros Canones, tam in Lateranen. nouissimè celebrato, quam alijs Concilijs generalibus edita, etiam cum cẽsuris, & pœnis in eis contentis.*

19 *Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & quoscunq; magistratus, & Iudices, Notarios, scribas, Executores, & subexecutores quomodolibet se interponentes, in causis capitalibus seu criminalibus contra personas Ecclesiasticas, illas processando, banniendo, capiendo, seu sententias contra illas proferendo, vel exequẽdo, sine speciali, specifica, & expressa*

pressa huius sanctæ sedis Apostol. licentia, quique eiusmodi licentiam ad personas, & casus non expressos extendunt, vel alias illa perperam abutũtur, etiamsi talia committentes, Cõsiliarij, Senatores, Præsidentes, Cancellarij, Vicecancellarij, aut quouis alio nomine nuncupati.

20 *Item excõicamus, & anathematizamus oẽs illos, qui per se, seu alios, directè, vel indirectè, sub quocunq; titulo vel colore, inuadere, destruere, occupare, ac detinere præsumpserint in totum vel in partem Almã Vrbem, Regnum Siciliæ, Insulas Sardiniæ, Corsicæ, Terras circa Pharũ, patrimoniũ B. Petri in Tuscia, Ducatũ Spoletanũ, Comitatũ Venuysinũ, Sabinensem, Marchiæ Anconitanæ, Massæ Trebariæ, Romandiolæ, Campaniæ, & maritimas Prouincias, illarumque Terras, & loca, ac Terras specialis commissionis Arnulforum, Ciuitatesque nostras Bononiam, Cæsenã, Ariminum, Beneuentum, Perusium, Auinionem, Ciuitatem Castelli, Tudertum, Ferrariam, Comaclum, & alias Ciuitates Terras, & Loca, vel iura, ad ipsam Rom. Ecclesiã pertinentia, dictæq; Rom. Ecclesiæ mediatè vel immediatè subiecta, necnon supremã iurisdictionẽ in illis, nobis & eidẽ Rom. Ecclesiæ competẽtẽ, de facto vsurpare, perturbare, retinere, & vexare varijs modis præsumunt: necnon adhærentes, fautores, & defensores eorum, seu illis auxilium, consilium vel fauorem quomodolibet præstantes.*

Volentes præsentes nostros processus, ac omnia & quæcunque his litteris contenta, quousque huiusmodi alij processus, à nobis aut Rom. Pontifice pro tempore existente fiant, aut publicentur, durare, suosque effectus omnino sortiri.

Cæterum à prædictis sententijs, nullus per alium quam per Rom. Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus, nec etiã tunc, nisi de stando Ecclesiæ mandatis, & satisfaciendo, cautione præstita, absolui possit, etiã prætextu quarumuis facultatum, & indultorum, quibuscumque personis Ecclesiasticis, secularibus, & quorumuis Ordinum etiam mendicantium, ac militarium Regularibus, etiam Episcopali vel alia maiori dignitate præditis, ipsisque ordinibus, & eorum Monasterijs, Conuentibus, & Domibus, ac capitulis, collegijs, confraternitatibus, Congregationibus, Hospitalibus, & locis pijs necnon laicis, etiam Imperiali, Regali, & alia mundana excellentia fulgentibus, per nos & dictam sedem, ac cuiusuis Concilij decreta, verbo, litteris, aut alia quacunque scriptura, in genere, & in specie concessorum, & innouatorum, ac concedendorum, & innouandorum.

Quod si forte aliqui contra tenorem præsentium, talibus, excommunicatione & anathemate laqueatis, vel eorum alicui, absolutionis beneficiũ impendere de facto præsumpserint, eos excommunicationis sententia innodamus, grauius contra eos spiritualiter, & temporaliter, prout expedire nouerimus, processuri.

Decla-

Declarantes ac proteſtantes, quamcunque abſolutionem etiam ſolemniter per nos faciendam, prædictos excommunicatos, ſub præſentibus comprehenſos, niſi prius à præmiſſis cum vero propoſito vlterius ſimilia non committendi deſtiterint, ac quoad eos qui contra Eccleſiaſticam libertatem, vt præmittitur, ſtatuta fecerint, niſi prius ſtatuta, ordinationes, conſtitutiones, pragmaticas, & decreta huiuſmodi publicè reuocauerint, & ex Archiuijs ſeu capitularibus locis, aut libris in quibus annotata reperiuntur deleri, & caſſari, ac nos de reuocatione huiuſmodi certiores fecerint, eos non comprehendere, nec eis aliter ſuffragari, quin etiam per huiuſmodi abſolutionem, aut quoſcunque alios actus contrarios tacitos, vel expreſſos, ac etiam per patientiam, & tolerantiam noſtram, vel ſucceſſorum noſtrorum, quantumcunque tempore continuatam, in præmiſſis omnibus, & ſingulis, ac quibuſcunque iuribus ſedis Apoſt. ac S.R.Eccleſiæ vndecunque & quandocunque quæſitis vel quærendis, nullatenus præiudicari poſſe aut debere.

Non obſtantibus priuilegijs, indulgentijs, & litteris Apoſtolicis, generalibus vel ſpecialibus, ſupradictis vel eorum alicui, ſeu aliquibus alijs cuiuſcunque ordinis, ſtatus, vel conditionis, dignitatis, & præeminentię fuerint, etiamſi vt præmittitur Pontificali, Imperiali, Regali, ſeu quauis Eccleſiaſtica, & mundana præfulgeant dignitate, vel eorum Regnis, Prouincijs, ciuitatibus, ſeu locis à prædicta ſede ex quauis cauſa, etiam per viam contractus aut remunerationis, & ſub quauis alia forma, & tenore, ac cũ quibuſuis clauſulis, etiam derogatoriarum derogatorijs conceſſis, etiam cõtinentibus, quod excommunicari, anathematizari vel interdici non poſſint per litteras Apoſtolicas, non facientes plenã, & expreſſam, ac de verbo ad verbũ de indulto huiuſmodi, ac de ordinib. locis, nominib. proprijs, & cognominibus, & dignitatibus eorum mentionem; necnon conſuetudinibus etiam immemorabilibus, ac præſcriptionibus quantumcunque longiſſimis, & alijs quibuſlibet obſeruantijs ſcriptis, vel non ſcriptis, per quæ contra hos noſtros proceſſus ac ſententias, quominus includantur in eis, ſe iuuare valeant, vel tueri. Quæ omnia quoad hoc & eorũ omnium tenores ac ſi de verbo ad verbũ nihil penitus omiſſo infererentur, præſentibus pro expreſſis habentes penitus tollimus, & omnino reuocamus cæteriſque contrarijs quibuſcunque.

Vt vero præſentes noſtri proceſſus ad publicam omnium notitiam facilius deducantur, chartas ſeu membranas proceſſus ipſos continentes, Valuis eccleſiæ, S. Ioannis Lateranenſis, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe appendi faciemus. Vt ij quos proceſſus huiuſmodi concernunt, quod ad ipſos non peruenerint, aut quod ipſos ignorauerint, nullam poſſint excuſationem prætendere, aut ignorantiam allegare, cum non ſit

verisi-

verisimile id remanere incognitũ, quod tã patenter omnibus publicatur.

Insuper vt processus ipsi, & præsentes litteræ, ac omnia, & singula in eis contenta, eo fiant notiora, quo in plerisque ciuitatibus, & locis fuerint publicata, vniuersis, & singulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & locorum ordinarijs, & prælatis vbilibet constitutis per hæc scripta committimus, & in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, vt per se, vel per alium, seu alios, præsentes litteras, postquam eas receperint, seu earũ habuerint notitiam, semel in anno, aut si expedire viderint etiam pluries in ecclesijs suis dũ in eis maior populi multitudo ad diuina conuenerit, solemniter publicent, & ad Christi fidelium mentes reducant, nuncient, & declarent. Cæterum Patriarchæ, Archiepiscopi, episcopi, alijque locorum Ordinarij, & ecclesiarum prælati, necnon rectores, cæterique curam animarum exercentes, ac presbyteri sæculares, & quorumuis ordinum Regulares ad audiendas peccatorum confessiones quauis authoritate deputati, transumptum præsentium litterarum penes se habeant, easque diligenter legere, & percipere studeant.

Volentes earundem præsentium transumptis, etiam impressis Notarij publici manu subscriptis, & sigillo iudicis ordinarij Rom. Curiæ, vel alterius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eandem prorsus fidem in iudicio, & extra illud vbique locorum adhibendam fore, quæ ipsis præsentibus adhiberetur si essent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ excommunicationis, anathematizationis, interdicti, innouationis, innodationis, declarationis, protestationis, sublationis, reuocationis, commissionis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Dat. Romæ, apud S. Petrum, anno incarn. Domini 1605. 10. Kal. April. Pont. nostri, an. 1.

M. Vestrius Barbianus,

S. de Vrsinis.

Registrata apud Marcellum Secretarium.

Anno à Natiuitate D.N. Iesu Christi, millesimo sexcentesimo sexto, Indict. quarta, die vero 23. mensis Mart. Pont. Santiss. in Christo Patris, & D.N.D. Pauli Papæ V. anno eius primo, supradictæ litteræ Apostolicæ, affixæ, & publicatæ fuerunt, ad valuas Basilicarum principis Apostolorum, & S. Ioannis Lateran. & in acie campi Floræ per nos Bernabeum Politum, & Bernardinum Mazzatellum, S.D.N. Papæ Curs.

Io. B. Ragni Mag. Curs.

Vltra

VLtra Bullam præmissam in corpore iuris, & indiuersorum extrauagantibus multæ aliæ reseruationes Papales reperiuntur.

1 Cap.si quis suadēte, 17.quæst.4.cap.mulieres, de sent.excommun. percutientium Clericum.

2 Cap.studuisti, de offic.leg.cap.sane, de offi.deleg.absolutio excommunicationis latæ à legato, postquam ipsius legationis tempus expirauit.

3 Cap.dura.cap.ad falsariorum, de crimin.falsi, falsariorum declaratorum, si intra dies viginti, post declarationem non obtemperauerint.

4 Cap.significauit, de sent.excomm. communicātium scienter cum excommunicatis à Papa.

5 Cap.tua, ibid.incendiariorum postquam fuerint declarati.

6 Cap.cōquestus, ibid.effringentium, & spoliantium Ecclesias si fuerint declarati.

7 Cap.fundamēta, de elect.in 6.eligentium in Senatorem Romanū, Imperatorem Regem, vel Principem aliquem, Comitem, & sic electi sese intrudentis in dictum officium sine Papæ consensu.

8 Cap. quicunque. de sent.excomm. in 6.tribuentium facultatem vexandi, capiendi, interficiendi, personas seu eorum suorumque res bona, eo quod tulerint excommunicationis, suspensionis, seu interdicti sententiam.

9 Cap.multorum, §.verum.de Hæret.in 6.& Clem.1.eod.tit. inquisitorum propter odium gratiam, fauorem, quæstum, negligenter procedentium in eorum officio.

10 Clem.1.de priuil.Regularium sine licētia loci parochi, ministrantium Eucharistiæ, vnctionis, matrimonij sacramenta, vel absoluentium excommunicatos à Canone, præterquam in casibus à iure vel speciali priuilegio ipsis concessis.

11 Clem.cupiētes, de pœnis, inducentium aliquem ad vouendum, vel iurandum de eligenda sepultura, in eorum Ecclesijs.

12 Clem.graue, de sent.excomm. faciētium celebrari Diuina in loco interdicto; vel prohibentium ne excommunicati tempore Diuinorum eijciantur ex ecclesia, tum & ipsorum excommunicatorum si non exiuerint moniti.

13 Extrauag.2. de sepult. incidētium cadauera mortuorum, vel coquentium, vt ossa separentur, quo alio transferri possint.

14 Extrauag.Etsi Dominici, de pœnit.& remiss. violātium interdictum sedis Apost.& contra Papam conspirantium.

15 Extrauag.1.& secunda de Simonia, committētium Simoniam in

ordine, vel beneficio, vel religionis ingressu. Similiter accipientes pro collatione siue traditione possessionis beneficij partem aliquã fructuum, vel distributionum ipsius beneficij, seu de dando aliquid iurare facientes prouisum de beneficio, voluit incurrere similem censuram Pius V. Const. sua incip. Durum nimis, ann. 1570. Kal. Iun.
16 Extrauag. Viam ambitiosæ. de regular. trãseuntium de regula mẽdicantium, ad non mendicantes sine licentia Papę.
17 Conc. Constantien. sess. 41. incip. omnis ætas. rapiẽtium bona Cardinalium dum in conclaui sunt, seu electi in Papam.
18 Concil. Triden. sess. 5. de peccato originali, innouat extrauag. Six. IIII. incip. graue nimis, de reliq. & venerat. san. qua reseruatur excommunicatio asserentium peccare mortaliter eos qui dicũt B. M. V. conceptam esse in peccato originali, vel è contra.
19 Extrauag. 1. de sentent. excommun. innouata per Greg. XIII. in anno 1574. Nonis Nouemb. dantium accipientium promittẽtium, aliquid in Curia Rom. pro gratia seu iustitia obtinenda.
20 Conc. Lateranen. sub Iulio II. sess. 5. Cardinalium committentiũ Simoniam in electione Papæ.
21 Apud S. Anto. 3. par. tit. 25. num. 30. Syl. ver. excommunicatio 7. peregrinantium ad sepulchrum Domini sine licentia Papæ.
22 Conc. Lateran. sub Leo X. sess. 9. Cardinalium reuelantium secreta Consistorij.
23 Ibid. sess. 11. prædicantium falsa miracula seu allegãtium prophetias, quæ non extant.
24 Ibid. Detrahentium Episcopis Prælatis eorumque statui.
25 Extrauag. munera, Pauli II. Officialium Papæ quorumcumque accipientium munera pręter comestibilia paucorum dierum.
26 Conc. Trid. sess. 22. cap. 11. de ref. bona, fructus, census, Ecclesiarum vel piorum locorum vsurpantium, quæ videtur in Bulla Cenæ Domini contineri.
27 Extrauag. Paul. III. & Greg. XIII. non reddentium integrè computa in camera Apostolica.
28 Extrauag. Pauli. IIII. cum secundum. tractantium de nouo Papa eligendo, viuente alio.
29 Pij. IV. Ea quæ. de anno. 1560. idib. Nou. pugñantium in duello, quę eadem prohibitio facta fuit prius à Iulio. 2. Leon. X. Clem. VII. & nouissime omnes istæ ordinationes renouatæ fuerunt à Clem. VIII. ordinatione sua. incip. Illius vices. de anno. 1592. qua, omnes duellum seu certamen singulare ex composito ineuntes, necnon id suadentes aut prouocantes, opem, consilium, fauorẽ præstantes, equos, arma

arma & commeatus præbentes, aut comitantes, chartas libellos, ad hoc deferentes, de industria spectatores, defensores, fautores, excommunicatione prædicta ligari decernit.

30 Extrauag. in eminentis. Eug. IV. procedentium per censuras contra eos qui in Curia in seruitio PP. seu pro negotijs expediendis morātur, tum & illorum qui beneficia per priuationem sic in curia morātium vacantia acceptauerint.

31 Extrauag. cum sicut. Innoc. VIII. fingentium se esse nepotes Cardinalium quo litteras gratis expediant.

32 Extrauag. Romanam. P. Pij. IV. & Intolerabilis. Pij. V. accipientium beneficia in confidentiam.

33 Extrauag. Pij. IV. In sublimi. Pij. V. In omnibus. excommunicat officiales, S. Pœnitentiariæ qui aliquid pro expeditione etiam à sponte dantibus accipiunt, vel ea quæ ipsis sunt prohibita expediunt, similiter, & officiales Correct. Cancellariæ, & contradictarum, & reseruat absolutionem.

34 Constit. Greg. XIII. Incip. vbi gratiæ, Anni. 1575. Idib. Iunij, innouauit excōicationes antiquas contra ingredientes Monasteria Monialium, sine licentia expressa superiorum, & excommunicationis incursæ propter huiusmodi ingressum absolutionem Papę reseruat, similiter, & moniales exeuntes extra claustrum præterquam in casibus magni incendij infirmitatis lepræ vel Epidemiæ, & eas receptantes comitantes incurrunt excommunicationem reseruatam, ex constit. Pij. V. incip. Decori. anni. 1570. Kal. Feb.

35 Const. Pij. V. incip. quā plenū, anni. 1570. 4. Non. Ian. publicātes indulgentias, & facultatem dantes eligendi confessores in reseruatis, aliquid soluentibus minores Prælatos voluit incurrere excommunicationem, Episcopos vero suspensionem ab ingressu Ecclesiæ, & sacramentorum perceptione, vsque ad restitutionem, & absolutionē sedi Apost. reseruauit.

36 Extrauag. Mart. V. incip. ad reprimendas excommunicat trahentes personas Ecclesiasticas ad forum sæculare, & iudices sæculares si iudicauerint sic tractos clericos ad ipsorum iudicium ipsiusq; excommunicationis absolutionem reseruat sedi Apost.

37 Varijs extrauag. Pij. V. Greg. XIII. Six. V. excommunicantur bannitorum receptatores fautores, & absolutio reseruatur.

38 Multę etiam reseruationes reperiuntur in fauorem diuersarum Religionum factæ, vt eorum qui famosos libellos cōtra Religiosos publicant, eorum Apostatas recipiunt, Religiosi ipsi per fauores, subornationes in electionibus eorum officia quærentes. Impedientes per-

sonas volentes ingredi religionem, quæ in diuersis Regulariū priui legijs videri possunt apud Cōfect. in sua collectione priuil. mendic.

39 Extrauag. Pij. V. incip. licet omnibus, excōmunicat capientes Christianos habitantes in locis à Turcis occupatis.

40 Const. Greg. XIII. incip. inter Apostolicas, anni. 1584. nonis. septē. excommunicat faciētes iurare illicita vel de obseruandis ordinationibus statutis, contrarijs decretis Concil. Triden. & reseruat absolutionem.

41 Clem. VIII. decreto suo damnauit opinionem asserentium confessionem, & absolutionem sacramentalem inter absentes per litteras posse fieri, & reseruauit absolutionem, quod decretum scitu perutile hic posuimus vt sequitur.

Sanctissimus D. N. auditis votis Patrum Theologorum, & re cum Illustrissimis, & Reuerendiss. DD. Cardinalibus contra hæreticam prauitatem Generalibus Inquisitoribus maturè, & diligenter considerata, hanc propositionem scilicet licere per litteras seu internuncium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere, ad minus vti falsam temerariam, & scādalosam, damnauit ac prohibuit, præcepitque ne deinceps ista propositio publicis priuatisque lectionibus concionibus, & congressibus doceatur, neuè vnquam tanquā aliquo casu probabilis defendatur, imprimatur, aut ad praxim quouis modo deducatur. Quod si quis illam docuerit, defenderit, imprimi fecerit, aut de ea etiam disputatiuè tractauerit (nisi forsan impugnando) vel ad praxim directè seu indirectè deduxerit, præter excommunicationem latæ sententiæ quam ipso facto incurrat, & à qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacunque etiam dignitate fungente etiam Sanc. Roman. Ecclesiæ Pænitentiario, nisi à pro tempore existente, Romano Pōtifice absolui, alijs etiam pœnis arbitrio infligendis subiaceat Publicata Rom. 19. Iulij. 1602.

Quintil. Adrian. Not.

7 Reseruata est ad extremum Papæ dispēsatio quinq; votorū Religionis, Castitatis, peregrinationis ad limina S. Apost. Petri, & Pauli, Hierosolimā. Cōpostellā. extrauag. Six. IV. Et si Dominici. de pœnit. & remis. comm. Nau. ca. 12. num. 75. In præmissis itaque reseruatis, absolutiones dare non potest Episcopus, præterquam si priuilegium ad hoc habuerit speciale, vel in casibus vt infra referemus.

In

In quibus possit absoluere Episcop.

SVMMARIVM.

8 *Episcopus quam potestatem habeat in foro penitentiali in sua Diacesi.*
9 *Confessio facta sacerdoti non approbato est nulla.*
10 *Approbatio ad audiendum confessiones datur collatione beneficij curati.*
11 *Regulares tenentur petere approbationem ad audiendas confessiones ab ordinario.*

CAsibus itaque præmissis exceptis, in omnibus alijs absoluere potest episcopus in foro animæ. Abb. in cap. Deus qui. de pœniten. & remiss. habetque plenam, & absolutam quoad hoc potestatem in sua Diæcesi cum sit ordinarius cõfessor Diæcesis suæ. Hostiens. in sum. tit. cit. num. 14. Angel. ver. confessio, 3. num. 3. Et ipsi principaliter incumbit cura animarum suæ Diæcesis, cap. quæcumque, 10. quæst. 1. cap. præcipimus, 12. quæst. 1. Ita, quod alij inferiores sacerdotes licet in ordinatione sua recipiant absoluendi potestatem, tamen sine alia speciali episcopi licentia, & appobatione, absoluere non possunt. Conc. Trid. sess. 23. cap. 15. de ref. Essetque confessio inualida sacerdoti non approbato facta, cap. vlt. iun. glo. distinctione 6. de pœnitent. S. Bonau. in 4. distinctione 17. Ange. loco cit. num. 2. nisi iusta ignorantia excuset pœnitentem. Hocque idem declaratum fuisse à sacr. Congr. Conc. in anno 1580. ad petitionem DD. examinatorum Diæcesis Leodien. videlicet confessionem nõ approbato sacerdoti factam, esse nullam, & iterandam testatur. Capeauilla, de cas. reseruat. cap. 3. quæstio. prima. Dat autem episcopus potestatem hanc absoluendi. Primo Curatis ipsa beneficij curam animarum annexam habentis collatione, vt patet ex text. Conc. cit. Ita quod possint confessiones audire in sua parochia, non autem in aliena parochia, vt declaratum fuit à Congregat. Conc. in hæc verba.

An prouisus de Parochiali ecclesia per concursum, censendus sit approbatus idoneus minister ad audiendas confessiones in illa Diæcesi in qua illam parochialem obtinet.

Cong. cens. censeri duntaxat in ea ciuitate, vel oppido vbi sita est parochialis, non autem passim per totam Diæcesim.

Suum tamen subditum posset audire confessionem etiam in aliena pa

na parochia, vel etiam in aliena Diæces. Victor. de Confess. numero 152.

Etsi dimiserit aliqua causa ipsum beneficium curatum, desinit ipsius potestas nec potest excipere confessiones absque alia licentia.

Datur eadem facultas seu approbatio quibuscunque alijs sacerdotibus, per examen repertis idoneis, vt Conc.cit.& quidem conceditur ad certum locum tãtum seu tempus determinatum, vel etiam generaliter,& indistinctè pro arbitrio episcopi. Henriquez. in sum. de sacram. pœni. lib.3. cap.6.§.3.&7.

Datur & Regularibus, neque enim isti possunt confessiones audire, nisi fuerint examinati, vel aliter approbati ab ordinario, vt Concil. Trid,& statutum fuit in Conc. Lateran. à Leon. X. vt in sua Bulla. incip. Dum intra mentis arcana, infra referenda, quod & Pius V. innouauit ordinatione sua de anno 1571. 8. Idib. August. cuius verba sequuntur.

Romani Pontificis prouidentia,& infra. Hac nostra constitutione perpetua sancimus decernimus,& declaramus, decretum Conc. Trid. de approbatione Regularium audiendis confessionibus secularium præpositorum ab episcopis faciẽda, obseruari debere ẽt in omnib. Regularibus quorumuis ordinum etiam mendicantium, etiam sub regulari disciplina viuẽtibus, etiamsi sint Lectores, aut in Theologia etiam de superiorum suorũ licentia graduati, vel promoti, vel à suis Magistris Generalibus, vel Prouincialibus Ministris sæcularium confessionibus audiendis expositi. Volumus tamen eos, qui semel ab episcopo in ciuitate,& Diœcesibus suis præuio examine approbati fuerint, ab eodem episcopo iterum non examinari. Ab episcopo autem successore pro maiori consciẽtiæ suæ quiete examinari de nouo poterunt. Inhibentes quibuscumque regularibus quorũuis ordinum etiam mendicantium, vt præfertur ne vigore deputationis,& approbationis ab eisdem Magistris,& Ministris Prouincialibus etiam quod illarum occasione ab ordinarijs hucusq; tolerati fuerint, absque speciali in posterum licentia,& approbatione ab ordinarijs obtinenda sæcularium confessiones audire præsumant, Decernentes irritum & inane si secus super his à quoquam quauis authoritate scienter, vel ignoranter cõtigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis ac nostris litteris prædictis & alijs postea quibuscumque Regularibus concessis,& forsan extensis, quas ad ea, quæ præsentibus aduersantur & contrariantur penitus,& omnino reuocamus,&c.

Neque hæc ordinatio reuocata fuit per reductionem priuilegiorum

rum Regularium ad terminos Conc.Trid.factam à Greg.XIII. vt declarauit sacr.Congr.Conc. relata apud Confect.in summ. tit. 17. cap.5.in hæc verba.

Congregatio Conc.censuit Regulares ad audiendas in ciuitate,& Diœcesi sęcularium confessiones semel ab episcopo prævio examine approbatos,iterum ab eodem Episcopo non esse examinandos.Cęterum à successore posse vtique examinari iuxta constitutionem Sanctæ memoriæ Pij. V. datam.8.id.Aug.Pont.sui.anno.VI.quæ à Fel.rec.Greg.XIII. non est reuocata per reductionem priuilegiorum Regularium ad terminos Concil. *Trident.*

A.Card.Carafa.

De ijsdem approbationibus generaliter,& indistinctè,vel determinatè ad locum seu tempus certum dandis,extat rescriptum eiusdē Sacr.Cong.relatum apud eundem.Confect.loc.cit. cap. 4. de anno. 1587.die.2.Iulij,vt sequitur.

Regulares qui ad confessiones audiendas idonei generaliter ab Ordinarijs eorumvè examinatoribus reperti,& probati fuerint,generaliter quoque & indistinctè absque aliqua limitatione temporis certorumvè locorū aut generis personarum admittantur in Diœcesi propria. De ceteris vero qui non adeo idonei reperientur si petierint se admitti,arbitrio ordinariorum relinquitur ipsos cum limitata facultate prout eisdem ordinarijs magis expedire videbitur probare,& admittere. Qui autem in domibus laicorum confessiones ex causa audierint,statim Parochum admonere teneātur,& fidem auditæ confessionis pro medico adueniente relinquere.

F. Mich.Bonellus Card. Alexand.

Georg.Palearius.Secret.

De casibus Episcopo reseruatis.

SVMMARIVM.

12 *Casus Episcopo reseruatos nemo potest absoluere.*
13 *Casus qui sint reseruati Episcopo.*

14 *Hæte-*

14 *Hæresis casum absoluere non potest Episcopus.*
15 *Casus aliquos quando sibi possit reseruare Episcopus.*
16 *Capitulum sede vacante absoluere potest in casibus Episcopo reseruatis.*
17 *Casus reseruati quando expirent.*
18 *Episcopus an debeat ipse confessiones audire.*

Licet autem modo præmisso approbet Episcopus inferiores sacerdotes ad confessiones audiendas, adhuc tamen reseruati sunt ipsi certi casus speciales, qui sub approbatione, & facultate modo præmisso concessa non veniunt, nisi expresse concedantur; in generali enim concessione non veniunt ea quæ requirunt speciale mandatũ. cap. si Episcopus, de pœnit. & remiss. in 6. Clem. non potest, de procur. Felin. in cap. sedes, de rescript. à num. 3. Et de non absoluendis
12 casibus Papę vel Episcopo reseruatis vltra iura antiqua, emanauit recens Decretum Cong. Conc. vt sequitur.

Sacra Congreg. S. R. E. Cardinalium negotijs, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, iustis & grauib. causis id exigẽtibus ac de Sanctis. D. N. Clem. Papæ. VIII. speciali mandato, viuæ vocis oraculo desuper habito, Sacerdotibus omnibus tam sæcularibus quam Regularibus, per vniuersam Italiam extra Vrbem degentibus ad confessiones audiendas probatis, quorumuis Ordinum etiam mendicantium, Militiarũ, aut congregationum etiam Societatis Iesu, & generaliter quarumcunque aliarum quouis nomine nuncupentur, iubet, & præcipit ne quis eorum sub prætextu priuilegiorum indultorum aut facultatum generaliter vel specifice, scripto aut viuę vocis oraculo vel per communicationem à sede Apostolica vel eius authoritate eorum ordinibus congregationibus Collegijs vel Societatibus aut Archiconfraternitatibus sæcularium, aut singularibus personis seu alias quomodocunque sub quibusuis tenoribus, formis, & clausulis, etiam derogatoriarum derogatorijs ad cuiusuis etiam Imperatoris, Regum aut aliorum Principum instantiam concessarum seu confirmatarum, alicui cuiusuis status gradus, & conditionis ac dignitatis tam Ecclesiasticæ quam sæcularis etiam Regiæ vel Imperialis ab vllo ex casibus clarè vel dubiè in Bulla die Cenæ Domini legi solita, contentis, vel alias quomodocunque sedi Apost. reseruatis, aut in futurum per Sanctitatem suam eiusuè successores pro tempore in eadem Bulla vel aliter reseruãdis, nec etiam in casibus quos Ordinarij locorum hactenus reseruarunt, vel in posterum sibi reseruabunt, nullo casu etiam necessitatis vel impedimenti nisi in mortis articulo seu cum noua, & speciali sanctitatis suæ aut successorum suorum vel Ordinariorum, quoad casus ab ipsis tantum reser-

uatos

uatos impetrata in scriptis licentia Ordinarijs locorum exhibenda absolutionis beneficium de cætero impendere audeat, vel præsumat, sed cũ opus fuerit pœnitentes ad superiores legittimosque Iudices suos accedere consulant sub pœna contrafacientibus tam Regularibus quam secularibus, excommunicationis, priuationis officiorum, & dignitatum aut beneficiorum, inhabilitatis item audiendi confessiones, & ad quæcunque officia, prælaturas, beneficia in posterum obtinenda, ipso facto absque vlla alia declaratione incurrenda, super quibus à nemine nisi à Rom. Pontifi. habilitatio dispensatio, aut absolutio, præterquam in mortis articulo possit impartiri. Sanctitas enim sua (quatenus opus sit) facultates, & concessiones ipsas in hac parte vti cassas, & irritas haberi de cætero voluit, & vult non obstantibus quibuscunque. Præterea nouerint pœnitẽtes absolutionem si quã obtinebunt contra huiusmodi probibi ionem esse nullam nullius que roboris, & momenti. Et ne locorũ Ordinarij, quibus ius hoc reseruãdorũ casuũ cõpetit, pluriũ quã opus sit reseruatione subditis aut cõfessarijs in animarũ salute procuranda cooperatoribus, sint onerosi, monentur omnes, vt paucos, eosque tantum quos ad Christianam disciplinam retinendam, animarũ que sibi creditarum salutem pro cuiusuis Diœcesis statu, & qualitate necessario reseruandos esse iudicauerint reseruent. Dat. Rom. die. 9. mensis Jan. 1601.

Eiusdem Decreti declaratio sequitur.

Cum autem dubia quædam ac difficultates circa eiusdem Decreti interpretationem atque obseruationem emersissent, eadem Cong. ne vllus deinceps obscuritati, scrupulo, ambiguitatiuè locus relinquatur, & vt clarius appareat in quibus casibus vigore eiusdem decreti reseruatis, intelligatur prohibita absolutio, speciali mandato eiusdem S. D. N. Clem. PP. VIII similiter viuæ vocis oraculo super ea re habito ipsum, Decretum ita moderatur ac declarat, videlicet sub eiusdem prohibitione illos tantum in posterum comprehendi casus, qui in Bulla die Cœnæ Domini legi consueta continentur. Ac præterea violationis immunitatis Eccl. in terminis Constitutionis Fel. rec. Greg. XIIII. quæ incipit. Cum alias nõnulli. Violationis clausuræ Monialiũ ad malũ finẽ. Prouocãtiũ, & pugnãtiũ in duello, iuxta Decretũ Sac. Conc. Trid. & Const. fel. rec. Greg. PP. XIII. incipientẽ. Ad tollendum. Iniicientium violentas manus in Clericos iuxta canonem, si quis suadente. & c. 17. quæst. 4. ac Iuris dispositionem. Simoniæ realis scienter contractæ, atque etiam cõfidentię beneficialis. Item omnes casus quos Ordinarij locorum sibi reseruarunt, vel in posterum reseruabunt. In quibus omnibus iam enumeratis casibus duntaxat, & sublata etiam pœna inhabi

litatis audiendi confessiones, eadem sacra Cong. vult, & mandat dictũ decretũ in sua firmitate, & pristino robore permanere. Ac prœterea declarat eos quidẽ sacerdotes, tã sæculares quã Regulares qui aliquo ex priuilegijs indulti, & facultatib. in supradicto Decreto expressis suffulti fuerint posse iuxta eorũ, priuilegia indulta, et facultates vsu ante idẽ Decretũ receptas & quæ sub alijs reuocationibus nõ cõprehenduntur, tantum, & non alias absoluere à casibus in præsenti declaratione non comprehensis, alijs vero sacerdotibus huiusmodi priuilegia non habentibus, nihil de nouo cõcedi. Sed ne locorum Ordinarij ad quos casuum reseruatio spectat, ea in re modum excedãt, eadem sacr. Congre. illos rursus magnopere admonendos censet, vt non passim, sed cum id videbitur communi bono expedire, atrociorũ tantum, & grauiorum criminũ absolutionem sibi reseruent, quorũ reseruatio ad Christianã disciplinã retinendam cõferat in ædificationẽ, non autem in destructionem cedat, ne alioqui Sacramenti Pœnitentiæ Ministrorum coarcta potestate Sanctæ Matris Ecclesiæ piæ mentis contrarius effectus subsequatur. Prohibet etiam ne sibi superfluè reseruent casus in Bulla die Cænæ Domini legi consueta contentos, neque alios sedi Apostolicæ specialiter reseruatos. Facultatem vero, & licentiã absoluẽdi à casibus reseruatis, quam in scriptis tantum concedi permittebatur, etiam sola viua voce concedi posse declarat. Cæterum ne quis Sacerdotũ sæcularium aut Regularium sub prætextu quod per primo dictum Decretum non fuerit sufficiẽter eorum specialibus priuilegijs derogatum, eidem Decreto sic, vt præfertur declarato, contrauenire audeat, sanctitas sua cõstitutionibus, & ordinationibus Apostolicis omnibus, in fauorem quorũcumque Ordinum seu institutorum Regularium aut sacerdotum tam sæcularium quam Regularium editis, necnon eorundem Ordinum seu Institutorum ac etiam Eccles. & Monasteriorum, & aliorum sæcularium seu Regul. locorum quorumcumque etiam iuramento confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & litteris Apost. etiam Mari magno, seu Bulla aurea aut alias nuncupatis, eisdem ordinibus seu institutis ac etiam ecclesijs, & Monasterijs, & sæcularibus seu Regularibus locis aut personis sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus, & insolitis Clausulis, necnon irritantibus, & alijs Decretis etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apost. potestatis plenitudine aut alias quomodolibet, etiã per viam communicationis seu extensionis concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis, & innouatis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus, & formis, specialis, specifica, expressa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas genera-

lesidem

les idem importantes, mentio, seu quæuis alia expressio habenda aut alia exquisita forma seruanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata, inserti forẽt præsentibus pro expressis habens, quo ad ea quæ præsentibus aduersantur, illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter, & expressè derogat, contrarijs quibuscumque non obstantibus, Datum Romæ. 1602. 26. Nouemb.

Alex. Card. Flor. Episc. Pranest.

Et cũ prædicta Congregationis prohibitio, vt vidimus per Italiã tantum operetur suum effectum, extra Italiam remanebit dispositio iuris communis, ita quod confessio, & absolutio à reseruatis sit inualida, & confessarius sæcularis absoluens possit puniri ab ordinario pęna per ipsum contra tales ordinata, Regularis vero incurrat excommunicationem à solo Papa absoluendam, ex dispositione, Clem. 1. de priuil. & extrauag. 1. eod. titu. commun. nam etiã ante præmissum decretum Cong. nullis priuilegijs se tueri potuerũt Regulares, vt possent absoluere à casibus Episcopo reseruatis. Super quo responsum fuit ab eadem Cong. B. Carolo Borrom. Cardin. Archiep. Mediolan. referente Confect. in suo Com. tit. 17. cap. 6. in hæc verba.

Illustriß. & Reuerendiß. Domine.

CVm à sacra Congregatione Cardinalium, qui propositi sunt Decretis Trid. Conc. interpretandis, Illustriss. amplitudo tua quæsiuerit, an Regulares ex priuilegio à sede Apostolica impetrato, præsertim autẽ ex eo, quod nominant Maremagnum possint in casibus, quos sibi episcopus reseruauerit absoluere confitentes. Hac de re vbi congregatio accuratè egisset, deinde ad sanctiss. D. N. retulisset, sanctitas sua etiam de sententia cõgregationis censuit, ex facultatibus per hoc Maremagnũ aliavè Priuilegia Regularibus concessis, factam eis non esse potestatem absoluendi in casibus sibi ab Episcopo reseruatis. Deus Illustriss. amplitudini tuæ perpetuam vitæ tranquillitatem, & incolumitatem largiatur. Dat. Rom. die 10. Septemb. 1577.

13 Sunt autem casus Episcopis reseruati, alij de iure, alij de consuetudine, aliquos autem potest sibi reseruare Episcopus. Conc. Trid. sess. 14. cap. 7. de casuum reseruatione.

De iure reseruati sunt. Primo excommunicationes Papæ reseruatæ, quarum in certis casibus absolutio inferiori permittitur, tunc

N 2 enim

enim per inferiorem non quilibet sacerdos, sed episcopus intelligitur. Nau. cap. 27. num. 262.

Vt permittitur absolutio casuum quorumlibet etiam Papæ reseruatorũ si sint occulti nec deducti ad forum cõtentiosum, Conci. Trid. sess. 24. cap. 6. de ref. Quoad casus tamen Bullæ Cænæ Domini non procedit hoc Decretum Conc. ita quod nõ possunt episcopi vigore ipsius absoluere dictos casus Bullæ Cęnæ Domini, vt fuisse declaratũ à Greg. XIV. & Clem. VIII. testatur Genu. ĩ praxi cit. c. 67. nu. 10. & legitur declaratio S. Cõg. quoad casũ hæresis, vt sequitur.

An Episcopus, & Inquisitores possint hodie ex cap. 6. sess. 24. absoluere lapsos in hæresim non obstante Bulla Cænæ Domini.

Cong. censuit eam Bullam derogare decreto, cap. 6.

De hac declaratione testatur etiam Pegna. in 3. par. direct. Inquis. comm. 141. & particulariter, quoad casum Hæresis, quod non possit absolui vigore dicti decreti Conc. cap. 6. post Bullam Cænæ Domini, tenet. Nauar. loc. cit. num. 275. ita quod de hoc nullum restet dubium quicquid dicat Viual. de absol. num. 13, cum & quotidie videamus in praxi multos episcopos obtinere à sede Apostolica facultatem absoluendi ab Hæresi etiam occulta.

Conceditur item episcopis absolutio casuum Papalium, in casu quoquis legitimo impedimento detentus ad sedem Apostolicam, vel ad eius Legatum accedere non potest, cap. quamuis, cap. ea noscitur, cap. quod de his, de sentent. excommun. Felin. in cap. quamuis, cit. Nau. loc. cit. num. 89. Causæ autem legitimè impedientes numerantur, paupertas, valetudo imbecilla, perpetua infirmitas, cõditio sexus, si sit mulier, seu status, vt si non sit sui iuris, seu si sit seruus, grauis senectus, membrorum mutilatio, inimicitiæ capitales ob quas securus iter peragere non posset, vel si aliquod periculum probabile immineret ex peregrinatione, quos casus colligit Innoc. in cap. 1. de sentent. excommun. Tunc tamen circa absolutionem debet absolutis si impedimentum non habent perpetuum, imponi conditio, vt impedimento cessante teneantur repręsentare sese sedi Apostolicæ, & nisi facerent reinciderent in priores censuras, cap. eos qui, de sent. excom. in 6.

Conceditur, & absolutio leuis percussionis Clerici, cap. peruenit, de sentent. excomm. quæ ex qualitate personæ percussæ, percutientis, mo-

tis, modo, loco percussionis, seu ex re oculis subiecta facilius iudicari potest, quam eius regula certa tradi. & quidem excepto homicidio, & membri mutilatione. Semper relinquitur taxanda huiusmodi iniuria arbitrio iudicis ex communi Doctorum sententia, vt testatur Felin. in cap. cum illorum, num. 12. de sent. excommun. & Doct. per eum cit. Explicat ẽt quæ sit atrox iniuria extrauag. Ioan. 22. relata apud Confect. in priuil. mend. quam, & nos hic inserendã vtiliter putauimus, eo quod à Nau. satis diuersis verbis, & mutilatè refertur, loc. cit. num. 91. & sequitur.

PErlectis litteris vestris circa absolutionem excommunicatorum, vos in eis dubitare perspeximus, quæ esset modica aut leuis iniuria, circa quam sicut talis loquitur, absoluendi vobis contulimus potestatem. Ad quod cum sit facti potius quam iuris quæstio, vobis prout possumus respondemus, illam videlicet modicam percussionem aut impulsionem, pugni, palmæ, manus, pedis, digiti, aut baculi, vel lapidis, quæ ad liuorẽ, mutilationem membri, fractionem dentis, depilationem capillorum non modicam, vel effusionem sanguinis non excedit, nec si tum leuissimi ictus aut pugni, percussione sanguis exiret, transire in atrocem iniuriam profitemur, vt propter hoc sit ab absolutione talium abstinendum, vt tamen non solum ipsum factum, imo etiam facti qualitas, percutiendi modus, aut iniuriandi circa hoc diligentius attendatur, & ipsius facti circumstantia, loci videlicet, & ẽt personæ, quæ sit leuis, vel modica, grauis aut enormis iniuria manifestius cognoscatur. Loci quidẽ vt in theatro, vel in foro, coram Rege, Prælato, vel iudice in ecclesia, corã multis, in aliquo loco publico alicui iniuria conferatur. Persona veluti si magister, vel iudex aut etiã magistratus aut prælatus, Pater aut patruus, vel aliquis in dignitate, vel personatu constitutus ab inferiori, vel humili, contra naturam iuris patiatur, per hæc quidem graues videantur iniuriæ, & quæ sint leues aut modicæ tanquam ex opposito cognoscantur. Sanè quia negotij natura nõ patitur, vt ad plenum omnia differantur, iudicium talis enormis iniuriæ vestro duximus arbitrio committendum, vt potestatem vestram cum ad hæc processeritis, temperetis, vt citra metas huiusmodi potius, quam vltra eas citra absolutionẽ talium procedatur, ne iniuriantes de vicina absolutione confisi, de facili in atroces prorumpant percussiones, vel iniurias, & sententias Canonis iam periculosius contemnentes, in excommunicationis sententias procliuius prolabãtur. Tolerabilius est enim aliquos, qui per vos etiam possunt absolui, nobis vel superiori absoluendos relinquere, quam contra statuta Canonum imaginẽ quadam absolutionis (quod non fit sine grandi periculo) quenquam relinquere innodatum, cum vm-

bra quadam videatur in opere, veritas autem non subeat in effectu, &c.

Secundo de iure reseruata est Episcopo excommunicatio, quam ipse tulit, vel eius prædecessor, absolutionem ipsius sibi reseruando, cap. nuper de sentent. excommun. similiter, & participantis in crimine excommunicato excommunicatione ipsi reseruata, cap. si concubinæ, ibid. Omnes etiam excommunicationes maiores iuris quarũ absolutio nemini est reseruata, per Episcopum non per inferiorem absolui debent. glo. sing. in cap. si Episcopus de pœnitent. & remiss. & semper esse recurrendum in istis ad Episcopum, in casu tamen quo de facili nõ posset haberi Episcopus, etiã per simplicem sacerdotem posse absolui, tenet Innoc. in cap. nuper, de sent. excom. Nauarr. vero indistinctè, quoad forum conscientiæ excommunicationes hhuiusmodi, vult posse absolui per proprium confessorem, & authoritatem, glo. cit. procedere tantum quoad forum exterius, loc. cit. num. 39. & 262.

Tertio de iure reseruata sunt Episcopo peccata, propter quæ solemnis pœnitentia esset iniungenda, quæ debent esse peccata grauia & scandalosa 26. q. 6. c. vlt. & quomodo imponatur huiusmodi pœnitẽtia. traditur. c. in capite 50. d. Authores tñ moderni hanc solemnẽ pœnitentiam dicunt non amplius esse in vsu, Arm. ver. casus, nu. 5. vnde & blasphemiam quam numerat, glo. in cap. 2. de pœniten. in 6. inter reseruatos Episcopo, idque ratione solemnis pœnitentiæ, quæ pro ea imponebatur, dicunt posse absolui per quemcumque sacerdotem, Arm. loc. cit. num. 8. Nauar. loc. cit. num. 262. quoad forum tamen exterius reseruatio tenebit Ang. eo. ver. casus, Nau. loc. cit. Publicam tamen huiusmodi pœnitentiam damnoso non vsu intermissam, optima ratione iubet seruari, & imponi pro publicè cõmissis delictis, Conc. Trid. sess. 24. cap. 8. de ref.

Quarto reseruatur Episcopo incendium, domorum, frugum aliarumvè rerum ex proposito factum, & consilium auxilium ad id præstitum, cap. si quis, & cap. pessima, 23. quæst. 8. si tamen Episcopus incendiarium huiusmodi excommunicauerit, iam ipse absoluere non poterit, sed solus Papa, cap. tua nos, iun. glo. de sent. excommu. Et ita datur casus, in quo excommunicationem à se latam, Episcopus absoluere non potest. similiter, & clericum Hæretico sacramẽta administrantem, licet priuare possit officio, restituere tamen ipsum non potest, cap. excommunicamus, de Hæret. Item & degradare potest, sed degradatum restituere non potest, cap. ex tua, de cler.

non

non resid.& clarius, cap. ideo, iun. glo. ver. ac restitutionibus, 2. quæstio. 6. solemniter nimirum degradatum, nam verbo tantum degradatum restituere potest, ibid. & cap. Episcopus, 11. quæst. 3.

Peccatum item à quo Episcopus rationabiliter absoluere noluit, ipsi est reseruatum, nec inferior deeo intromittere se potest sine speciali permissu, cap. inferior, 21. distinctione Armil. loco cita. numero 5.

Item & peccatũ clerici quod annexam habet irregularitatem poni solet inter reseruatos Episcopo. Host. loc. cit. num. 14. Nauar. tamen loco cit. num. 262. dicit talem posse absolui à peccato per quemlibet Confessorem antequam cum illo in irregularitate dispensetur, ipsam vero irregularitatem dispensandam fore per ipsummet Episcopum. Quas autem irregularitates ipse dispensare possit, vel non. dictum iam fuit in præcedentibus.

Præterea Dispensatio, & commutatio votorum numeratur pro reseruato, quam licet. Nauar. loc. cit. vna cum excommunicationis absolutione ex classe reseruatorum excludat, nos tamen ne alio minus conuenienti loco hanc materiam reassumere cogamur, & maximè cum hic nomẽ casus sumatur generaliter pro vinculo quo quis ligatus ad habentem potestatem venit absoluendus, eam casibus recensitis subiungamus.

Dispensatio itaque votorum pertinet ad Episcopum seu alium prælatum ordinariam seu quasi episcopalem iurisdictionem habentem, c. 1. de voto, Innoc. Abb. ibi. Hostiens. in sum. cit. de voto, num. 16. & esse communem opinionem testatur Ang. loc. cit. Nauar. cap. 12. num. 75.

Dispensatio nimirum votorum omnium præter illa quinque Papæ reseruata, quæ supra posuimus. Vt votum simplex continentiæ si adsit magnum periculum incontinentiæ, & sit difficilis ad Papã recursus, idemque si fuit ex leuitate seu facilitate vouendi emissum, seu meticulosum, licet non adfuerit metus cadens in constantem, sed instet periculum fornicationis. Arm. ver. dispensatio, num. 17. Item & votum castitatis ab altero coniugum emissum ob metum periculi. Ang. ver. votum, 3. num. 9. Temporale etiam votum continentiæ, verbi gratia, ad annum factum, sine dubio potest dispensare, & multo magis votum de non nubendo, cum huiusmodi votum non contineat directè votum castitatis. Nau. loc. cit. Et generaliter in omnibus alijs, ex causa tamen, nam sine causa dispensare non potest, cap. non potest, & seq. 1. quæst. 7. Host. loc. cit. num. 16. Et è contra si non dispensaret cum adesset iusta causa, peccaret Archid. in

cap.

cap.quanto,2.quæst.5.Arm.loc.cit.num.14.si vero causa esset temporalis,ad tempus esset concedenda dispensatio.

In commu tatione voti debet haberi respectus expensarum, quæ in expletione ipsius voti fuissent faciendę habita personarum ratione,vt illę expendantur in aliquod opus pium.Nau.loc.cit.

In voto autem de dando,faciendo,vidēdum est,num inde iam sit quæsitum ius alicui,dispensare enim amplius non posset Episcopus, sine illius assensu,cui ius esset quæsitum,nisi esset ipsius Dominus superiorvè tam absolutus,vt possit ipsi tollere,& dare alteri rem quæsitam.Arm.verb.dispensatio.cit.num.20.

Ad extremum,gl.in cap.si Episcopus,de pœnit.& remiss.in 6.ponit pro reseruato,matrimonium clandestinè,& contra interdictum Ecclesiæ contractum.

Quoad forum videlicet contentiosum,nam quoad forum cōsciētiæ posset absolui à quolibet confessore,Ang.Arm.verb.casus.cit.& communiter non numeratur inter reseruatos, nos tamē vel propter solas dispensationes matrimoniales,quę solius sunt Episcopi,alium æquè aptum locum illas ponendi vix habituri,illum posuimus.Quo ad dispensationes itaque huiusmodi,dicendum est in omnibus impedimentis quæ impediunt matrimonium contrahendum, non tamen dirimunt contractum Episcopus dispensare potest, cap.rursus, qui cler.vel uou.Palud.in 4.dist.28.quæst.2.Arm.ver. matrimoniū, nu.60.Similiter,& in impedimentis per suas vel Antecessorum suorum constitutiones inductis.Nau.c.22.nu.85.

1 Et in matrimonio clandestino contra interdictum Ecclesiæ contracto quo ad omissas solemnitates, non tamen quo ad illas quæ sunt de substantia matrimonij vt quod non cōtrahatur præsente Parocho,& testibus,cum contra Concilium dispensare non possit,nisi vt de nouo istæ solemnitates substantiales adhibeantur.

Dispēsat,& in impedimētis impediētib. & contractū dirimentib. & in gradib.prohibitis ex postfacto istis concurrentibus.quod impedimentum sit occultum,quod separatio sine scandalo fieri non possit, quod matrimonium seruatis Ecclesiæ solemnitatibus fuit con-

2 tractum,quod probabilis ignorantia impedimenti fuit tempore cōtractus,& si ad Papam difficilis sit recursus. Arm. verb. dispensatio. nu.19.Nau.loc.cit.

De consuetudine autem reseruātur casus Episcopo, de quibus extrauag.Bened.II.incip.inter cunctas,de priuileg.comm.

Et Primo quidem homicidium voluntarium, seu realis membri abscissio.Nau.cit.c.27.nu.262.

Secun-

Secundo. Peccatum falsitatis, quo crimine tenentur, litteras vel scripturas falsantes, testis falsus, non solum dicens falsum, sed & occultans veritatem, & testis recipiens pecuniam ne ferat testimoniũ vel vt ferat verũ testimoniũ. Iudex etiam accipiens præmium profe renda iusta seu iniusta sentẽtia, similiter, & Notarius aduocatus pro curator aduersę parti instrumenta suę partis ostendens, l. 1. ff. ad leg. Corn. de falsis, & monetam adulterãs, c. quanto, de iureiuran. Abb. ibid. quos omnes comprehẽdi sub nomine falsarij communiter tenẽt Doctores, in c. 1. de falsarijs. Falsarij autem litterarum Papæ alia reseruatione ligantur, vt vidimus supra.

Tertio peccatum violationis immunitatis Ecclesiasticę, vt si quis Ecclesiam violauerit aliquo ex modis quibus violari Ecclesiam supra retulimus, imo omne sacrilegiũ est reseruatum Episcopo ex con suetudine, teste Syl. verb. casus, q. 4.

Quarto Sortilegium, Diuinatio, incantatio, talia enim crimina abominanda sunt. 26. quæst. 5. cap. 1. Et hoc fit cum aliquis per inuo cationem Dæmonis manifestam, vel etiam tacitã hoc est signis per alium pactum cum Dæmone habentem inuentis futura scire quęrit, fruges, hominum vitas, seu brutorum infascinat, furta explorat. & similia. Ang. verb. sors. nu. 5. Syl. loc. cit.

Addit Nau. loc. cit. peccatum retinendi incerta aliena, sed communis est sententia, detinentem incertum posse restituere vel conuertere in opus pium hoc incertum sine requisitione Episcopi, & sic absolui per quemcunque. Ang. verb. restitutio. 2. nu. 14. Arm. verb. casus. cit. nu. 9. & idem Nau. c. 17. nu. 92.

Casus autem quos ipsimet Episcopi reseruare sibi consueuerunt, sunt grauiora crimina, vt abortus procuratus, oppressio infantum, incęstus, violatio monialium, vitium contra naturam, & alia plura quorum certa regula dari non potest cum possint reseruari quæcunque crimina pro arbitrio ipsius Episcopi, modum tamen in reseruatione casuum huiusmodi seruandum quem Sac. Cong. Conc. dedit in subsequenti responso Archiepiscopo Neapolitano vtilitati communi hic inseruimus. Cuius tenor est.

15 *Illustrissimè, & Reuerendiss. Domine. Accipiet Illustriss. amplitudo vestra vna cum hisce litteris exemplum declarationis quam sacra Congregatio S. R. E. Cardinalium, negotijs, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, de expresso. S. D. N. mandato nuper edidit super Decreto de prohibita absolutione à casibus reseruatis die. 9. Ianu. 1601. promulgato, quod in suis Diœcesibus Ostiensi, & Neapolitana publican-*

dum ac studiosè obseruandum diligenter curabit.

Cum autem locorum Ordinarij magna ex parte indicem seu notam singulorum casuũ à se reseruatorum huc miserint, compertum est in hoc genere variè quid à varijs admissum fuisse, quod aliqua emendatione indigeret, quosdam nimirum quædam reseruasse, quæ iam Apostolica sedes sibi reseruarat, alios alia quæ minimè expediebat, nonnullos vero in ea re modum excessisse vt nullum fere superesset peccatum, quod non sibi vendicaret indifferens illa reseruandi ratio, quæ (vt necesse erat) res plerasque leuis momenti, & alioquin Conc. Trid. aliorumque sacrorum Canonũ sententiæ parum congruentes complectebatur. Verum quia nondum satis hic explorata erat cuiusque loci conditio, ac necessitas, non potuit vnicuique reseruationum huiusmodi sigillatim modus ac temperamentum, quod res poscebat adhiberi. Nec sanè debuit vna eademque regula omnibus Ecclesijs præscribi, quandoquidem alia alibi magis conuenire certum est, & fieri vix potest vt omnia omnib. in locis æquè probentur, & prosint. Quæ cum ita sint, visum est eidem Sac. Congregationi præter illam declarationem, priuatas quoque litteras ad singulos Ordinarios mittere quibus moneantur vt simul ac eas acceperint omnes casus sibi iam olim reseruatos, adhibitis aliquibus pietate, & doctrina præstantibus viris, de integro discutiant, diligenterque examinent, & ad ipsius Decreti iam declarati normam accomodent, eorum multitudinem sic resecantes, vt ad quam paucissimos, eosque maximè necessarios redigantur ijdem casus, vnde salutaris ille sequatur effectus, cuius causa hæc reseruandi atrociores quosdam casus Episcopis in sua cuique Diœcesi tributa est auctoritas.

Præcipuè verò hæc monenda censet Sac. Congregatio vt videant ipsi Ordinarij ne illos casus promiscuè reseruent, quibus annexa est excommunicatio maior, à Iure imposita, cuius absolutio nemini reseruata sit, nisi forte propter frequentiam, scandalum, aut aliam necessariam causam aliqui huiusmodi casus nominatim reseruandi viderentur, neque casus in quib. absolutio nisi cum restitutione vel executione eorum ad quæ pœnitentes tenentur, non confertur, neque illos, qui etsi mortale peccatum inducant, circa res tamen parui momenti versantur, & frequenter inter idiotas euenire solent, vti damni dati, & similium. In peccatis etiam carnalibus reseruandis multa vtantur circũspectione propter periculum scandalorum, in ijs maximè personis, in quas ob accessum ad confessarios extraordinarios vel frequentem reditum ad ordinarios, suspicionis aliquid cadere potest. Postremo eam potissimum ineant ac sequantur rationem, quæ consideratis diligenter cuiusque Prouinciæ, ac populorũ moribus, natura, ac propensione, magis in Domino expedire videbitur. Postquã autem ab ijs peracta, descriptaque fuerit hæc moderatio, vnusquisque eam primo quoque tempore

ad me

ad me perferendam curet, addita insuper causa, quæ cuiusque casus reseruationem potissimum suaserit. Hoc enim S.D.N. deliberatũ est vt postmodum singulæ huiusmodi reseruationes distinctius examinentur, quo perfectè tãdem adiutrice Dei gratia, opportunum ijs incommodis remedium adhibeatur. Interim de ipsius Sanctitatis suę mandato ijdem Ordinarij monentur, vt per totam suam Diœcesim, ac præsertim in ijs locis, qui à Ciuitate, & cathedrali sede longius remoti sunt, Pœnitentiarios aliosque Sacerdotes constituant ac delegent quibus facultatem absoluendi à casibus sibi reseruatis concedant, ita vt his quoque liceat eandem alijs confessarijs si opus sit, etiam viua voce impartiri. Idque maxime in solemnioribus & præcipuis anni festiuitatibus, vt peccatores quib. obuia, & facilis fuerit huiusmodi sacerdotum copia, ad peragendam confessionem alliciantur, quã alioquin plerique vel ob idipsum ommittere possent, si necesse haberent pęnitentiæ ministros, quibus indigent, longius quærere. In eam igitur curam quantum in se erit sedulò incumbet Illustriss. amplitudo vestra vt hæc omnia ex Sanctitatis suæ, & Sacræ congregationis mente, debitæ exequutioni mandentur, ea diligentia eoque zelo vbique adhibito, quem optimus quisque Pastor erga animarum sibi creditarum salutem præseferre debet. Vt autem apud se successoresque suos perpetuum extet monumentum quid hic circa totam hanc reseruandi rationem deliberatum sit, dabit operam, vt hæ litteræ vna cum ipso Decreto ac Declaratione, in publicis suarum curiarum Episcopalium actis integrè describantur. Eas vero cum primũ acceperit, dignabitur facere nos ea de re certiores, missura postea quanto otiùs fieri poterit expetitum nouæ reseruationis indicem expræscripto huiusce mandati confectum. Quæ omnia mandante ipsa Sac. Congre. ego Illustriss. Dominationi vestræ scripsi Deum precatus vt eandem quã diutissimè incolumem tueatur. Romæ. die. 26. Nouem. 1602.

Dignabitur etiam amplitudo vestra Illustris. operam dare, vt Prælatis inferioris Ordinis exemptis seu nullius Diœcesis, si qui sint in sua Prouincia, innotescat Decretũ hisce litteris inclusum, tum etiã hæc reliqua quæ ei scribuntur super casuum reseruatione.

Alex. Card. Floren.

Vnde colliguntur vtilia monita, & præcepta circa casuum reseruationem ab Episcopis obseruanda. videlicet.

Ne reseruent casus contentos in Bulla Cenæ Domini seu alias reseruatos sedi Apostolicæ.

Neque eos quibus annexa est de iure maior excommunicatio.

Neque eos in quibus absolutio non datur nisi facta restitutione.

Neque eos qui versantur circa res parui momenti licet cũ peccato mortali committantur.

Item vt in reseruatione peccatorum carnalium adhibeatur magna circumspectio propter periculum scandali, quod oriri posset ex accessione frequenti ad extraordinarios confessarios, aliquarum personarum.

In summa vt quam paucissimi atrociorum, & grauiorum criminum reseruentur, & illi quos Episcopus necessarios iudicauerit ad retinendum populum in disciplina Ecclesiastica.

Præcipitur præterea vt Episcopi sacerdotibus inferioribus, locis oportunis facultatem absoluẽdi ab huiusmodi reseruatis cõcedát, ne videlicet militet contra charitatem, quod est pro charitate inductum, & pœnitẽtes deterreantur à pœnitentia propter inopiam confessorum, vel difficilem accessum ad ordinarium. Imo si absque causa denegaret hanc facultatem, cessare reseruationem tenet Sot. in 4. dist. 1. q. 1. art. 5.

Dum autem concedit absolutionem reseruatorum, per hoc non censetur concedere facultatẽ absoluendi Cẽsuras, neque vota, neq; irregularitates dispensandi. Imo licet dicat, committimus tibi vices nostras, adhuc non censetur dare potestatem in reseruatis specialiter. Host. in sum. cit. de pœnitent. & remiss. nu. 14. Ang. verb. absolutio. num. 4. Nau. cit. cap. 27. num. 261. secus autem si Papa dat facultatem in reseruatis sibi, ille enim concedendo absolutionem reseruati censetur concedere etiam absolutionem Censuræ, aliter esset frustra illa concessio reseruati, cum cuilibet Papali Casui sit annexa Censura, nec absoluitur nisi vtrumque simul, casibus vero Episcopalibus non semper est censura annexa.

Preter hæc autem obligatur etiam Episcopus ex ordinatione Cõcil. Trid. sess. 24. cap. 8. de ref. in Ecclesia Cathedrali constituere pęnitentiarium cum vnione præbendę, eumque Doctorem siue licentiatum in Theologia seu in Iure Canonico. Qui quidem pœnitentiarius si sue præbendę fuerit adnexum pœnitentiariæ officium, poterit absque alia aliqua facultate absoluere in omnibus casibus Episcopo reseruatis. Capeauilla. de casibus reser. cap. 3. quæst. 1. diff. 2. Alteri tamen non potest eandem potestatem subdelegare, nisi habuerit expressam ad hoc potestatem ab episcopo, delegatus enim ad nudum ministerium subdelegare non potest nisi ipsi expresse sit concessum, cap. vlt. §. cæterum. de off. deleg. Palud. in 4. sent. dist. 17. quæst. 4. absolutionem tamen casus particularis in facto occurrentis posset alteri committere seu nudum ministerium absoluendi. Nauarr.

citat.

citat. capitulo. 27. numero. 45.

Vicario quoque suo communiter dare solet Episcopus facultatē absoluendi reseruatos, sed id expresse concedere debet, aliter enim Vicarius vigore generalis mandati Vicarialis absoluere non posset Arch. in cap. 2. de pœnit. in 6. Host. loc. cit. de pęnit. num. 14. circa finem. Rebuff. de forma. Vic. num. 179.

16 Item & capitulum sede vacante absoluere posset reseruata Episcopo, imo & censuras, & irregularitates in quibus Episcopus ipse dispensaret, potest dispensare. cùm succedat in omni Iurisdictione quæ Iure Ordinario competit Episcopo. cap. si Episcopus. de suppl. negl. prę l. in 6. Feder. de sen. Cons. 3. & 4. Nau. de temp. ord. cons. 31. vbi dicit capitulum sede vacante posse dispensare cum illegitimo ad minores Ordines, & simplex beneficium, ex causa tamen legitima & propter quam dispensatio esset debita, vt declarat Quar. verb. capitulum, quæro. 2. qui & tenet Vicarium capituli simpliciter datum & sine speciali facultate, hoc facere non posse. In facultate etiam dispensandi vigore. cap. 6. sess. 24. Episcopis, cōcessa, succedere capitulū tenet. Henriquez in Sum. lib. 14. de irreg. c. 20. §. 1. in fine. Genuen. in sua prax. c. 67. nu. 20.

Vigore Iubilæi & aliarum concessionum Apostolicarum absoluūtur etiam reseruata. Papa enim dare potest facultatem absoluendi huiusmodi reseruata Episcopo, nec per hoc tollit ius casus reseruandi episcopis debitum, sed tantum limitat aliquando ex causa iusta, & honesta. Nau. cit. cap. 27. num. 263. In similibus autem attendendus est tenor rescripti siue Bullæ, & secundum quod fuerit expressū, tantum, & non amplius potestatis ad absolutionem huiusmodi erit vsurpandum. In dubio autem pro reseruatione potius est iudicandū vbi enim vertitur periculum animæ quod tutius est sequendum vt alias diximus ex Host. de scrut. in ord. nu. 5.

In articulo autem mortis nullus casus est reseruatus, & quilibet sacerdos absoluere potest siue Papæ siue Episcopo reseruata. Conc. Trid. cita. sess. 14. cap. 7. ita nimirum vt imponat infirmo conditionem, quod si conualuerit, representet se superiori cui fuit peccatum reseruatum, aliter enim reincideret in idem. cap. eos qui. de sentent. excomm. in 6.

Quod vero ad personam ipsiusmet Episcopi attinet, in omnibus casibus in quibus ipse habet potestatem absoluendi, cōfessarius quoque per ipsum electus, illum potest absoluere, cap. ne pro dilatione, de pœnit. Host. in sum. ibid. num. 15. etiam in delictis quorum absotio conceditur decreto. Conc. Trid. cap. 6. de ref. sess. 24. Henriquez.

lib. 14. de irreg. cap. 18. Tolet. in sum. lib. 1. cap. 89. vbi testatur id fuisse à sacr. Congr. Conc. declaratum. communiterque omnes asserunt, & legitur eiusdem sacr. Congregatio. declaratio in hæc verba.

Congr. Conc. censuit de omni peccati vinculo, de quo potest absoluere, vel dispensare Episcopus, posse etiam confessorem ab Episcopo electum ipsum Episcopum absoluere, & dispensare.

Imò taliter electus confessarius, habet tantam potestatem super Episcopum quantã haberet Archiepiscopus, qui est ipsius proprius confessarius, Ang. ver. confessio. 3. num. 7. & istam potestatem habet non ab Episcopo eligente, sed à iure permittente, S. Ant. 3. par. sum. tit. 17. cap. 2. §. 2. Syl. ver. confessor, 1. quæst. 9.

Sciendum item quod Casus quos Episcopus sibi reseruat, expirant morte ipsius, non vero illi qui de iure, vel consuetudine ipsi reseruantur, neque illi quos per modum statuti reseruat, cum enim statutũ duret, ipsa etiam reseruatio durabit, & absolutio petenda est à successore seu Capitulo vacante sede.

Insuper quæri hic solet vtrũ hodie expediat vt ipsemet Episcopus
18 audiat cõfessiones, & pro parte affirmatiua induci possent exempla B. Ambrosij, B. Vgonis, B. Ludouici Episcopi. Hoc tamen tempore, quo plerisque locis Episcopo imminet etiam administratio iustitię temporalis, minus expediret Episcopum passim excipere confessiones, non enim posset securè procedere in his, quæ ipsi reuelarentur in confessione, licet illa sciuerit extra confessionẽ, propter periculũ scandali, quod facilè hinc oriri posset, cũ ex cõmuni Doctorum sententia confessor de peccato sibi confesso, non debeat loqui etiam quatenus ipsi est notum extra confessionem, vbi adesset periculum scandali. Turrecrem. in cap. sacerdos, distinctione 6. de pœnitent. Tolet. instruct. sacerd. lib. 3. cap. 16. Refert etiam Genuen. in suo manual. pastor. cap. 62. quod B. Carolus Borromeus interdum pœnitentiæ sacramentum ministrare ab Episcopi officio alienum non putabat, & Episcopos, qui id fecissent commendabat, non tamen ipse perfecit. Cuius sancti exemplum eo ipso die, cum in notam sumeremus, qui fuit dies 22. Maij Anni 1609. tempus alioquin serenũ & sole feruescente siccum, Diuina Maiestas Sanctitatem tanti viri insigni miraculo confirmauit, imago enim ipsius Sancti in æde D. Pauli Romæ ad Columnam Antonianam, à primo mane vsque ad vesperam miraculosè sudauit, & sæpius sudarijs detersa, & soli quo

sicca-

ficcaretur expofita,tãto vberiores fudoris guttas reddebat.R$mo. D.Vicefgerente Illuftrifs.Cardin.Vicarij S.D.N.& multis infignibus Vrbis Prælatis,totoque populo miraculum intuentibus.

In referuatis autem cum recurritur ad Epifcopum,debet pęnitẽs confiteri omnia fua peccata,& Epifcopus, vel omnia abfoluere,vel eum ad inferiorem remittere poteft,permiffa facultate abfoluendi referuatum, quam fufficit fignificare ipfi pœnitenti, vt faciat fe abfolui ab inferiori, & creditur ipfi dicenti facultatem huiufmodi fibi ab Epifcopo effe conceffam,Nauarr.cap.26.num.6. Zechus,de cafibus referuat. obferuat. 4. Capeauil. de cafibus, cap.9. quæftione vnica.

Caput Secundum.

De Iurifdictione fori iudicialis extraordinaria.



Rdinem propofitum fequentes alteram partem Iurifdictionis Epifcopalis, quæ eft fori iudicialis contentiofi profequamur. Quam quoniam multipliciter exerceri contingit, aliquãdo enim iudex ex officio fuo per inquifitionem, vel denunciationem crimina inueftigat, quod iudiciũ extraordinarium dicit folet, glo.in ca.quoniam ver.extraordinario. de probationibus. aliquando inftante actore contra reum iudicialibus terminis feruatis procedit, ordinarium hoc dici poteft, nos quoque ad fubdiuifionem huiufmodi noftrũ tractatum reducemus, & pro refolutione prioris membri iurifdictionis,de fynodo,& de vifitationibus pauca,eaque in praxi fæpius occurrentia referemus poftmodum forenfia tractaturi.

De Synodo.

SVMMARIVM.

1 *Synodus annis fingulis celebranda.*
2 *Synodo quinam intereffe teneantur.*
3 *Præcedere in conceffu fynodali quinam debeant.*

4 *Teftes*

4 *Testes synodales qui dicantur.*
5 *Seminarij redituum rationes in synodo audiendæ.*
6 *De quibus debeat moneri clerus in synodo.*

AD occurrendum Ecclesiarum incommodis in dies nascẽtibus & ad mores Cleri reformandos, controuersias componendas,
1 salubriter ordinarunt Canones Sacri, vt quilibet Episcopus in sua Diæcesi semel in anno synodum conuocet, cap. quoniam. 18. distinctione Conc. Triden. cit. sess. 24. cap. 2. de ref. Et si ipse iusto aliquo impedimento detineatur, posset deputare aliquem in dignitate Ecclesiastica constitutum, qui loco ipsius synodo præsit, & illam celebret. argu. tex. cap. Episcopus, 1. loc. cit. negligens autem celebrare synodum pœnam suspensionis per duos menses sustinere deberet, cap. vlt. cit. distinct. 18.

Modus autem ipsius celebrandæ est. Vt in primis moneantur omnes, qui interesse synodo tenentur, circumlato processu intimatorio synodi, & loci, temporis ipsius celebrandæ, cap. propter, loc. cit. & cap. vlt. de his quæ fiunt à Præl. sufficit autem vnica monitio licet in iudicialibus trina requiratur, vt notat, glo. in cap. si Episcopus, cit. distinct. 18.

Tenentur autem de iure venire ad synodum. Primo Abbates si
2 sit consuetudo, & si propter aliquam causam fuerint vocati, cap. Abbates. 18. quæst. 2. & cap. decernimus, distinctione 18. cit. ca. ex ore, de priuil. cap. vt Apostolicę, eod. tit. in 6. Et ratione capellarum, & Ecclesiarum Baptismalium si quas habent subiectas, vel saltem mittere debent Capellanos, qui illas administrant. Abb. in cap. quod super, de maior. & obed. Et si citentur seu contra illos quærelæ opponantur in casibus in quibus contra ipsos procedere potest Episcopus iurisdictione ordinaria, vel delegata, cap. propter, distinct. 18. cit. Tenentur venire & monachi curam animarum exercentes, vel Capellas obtinentes, Conc. loc. cit. Alij aũt monachi & prelati mendicãtes quorũ ecclesijs cura animarum non est adnexa, venire non tenentur. Felin. in dicto cap. quod super. num. 1.

Sæculares item clerici Capellas, vel beneficia curata obtinentes venire tenentur similiter, & Capitulum ecclesiæ cathedralis de necessitate debet inuitari, cap. vlt. de his quæ fiunt à Prælatis. Abb. ibi. num. 4. & potest comparere per nuncios seu aliquos deputatos ex gremio Capituli, non autem omnes ex capitulo venire debent, sed pars in seruitio Ecclesiæ manere, vt declarauit, sacr. Congr. Episco. Vicario Vercellen. 10. April. 1594. Habet autem Capitulum vocem con-

consultiuam, sede autem vacante etiam decisiuam habet, cum succedat in iurisdictione.

Capitula etiam Collegiatarum Ecclesiarum vocanda esse ad synodum declarauit, sa. Congr. vt testatur Quar. ver. Concilium, quæro, 4. quæ legitur talis.

Cong. Conc. censuit Capitula Collegiatarum quasi Episcopalem iurisdictionem habentia ad synodum esse vocanda.

Et non solum Diæcesani, sed etiam alij nullius Diæcesis ad Episcopi proximioris synodum, quem semel elegerint venire tenentur. Conc. loc. cit.

Laici etiam ad synodum inuitari possunt, si de eorum præiudicio agatur vt si tractetur quid circa fidem, cap. vbinam, 96. distinctione, vel circa matrimonia, cap. ad sedem, 35. quæst. 5. aderunt tamen non vt doceant, vel iudicent, sed vt audiant, gl. in cap. vlt. ver. contingere, loc. cit. de his quæ fiunt à præl.

Temporis autem ratio, & loci attendenda est, vt non celebretur tempore quo ieiunijs, & deuotionibus seu celebrationi præcipuarũ solemnitatum est vacandum, neque graui hieme, & temporibus ad itinerãdum periculosis, & loco proportionato ad omnes qui venire debent ne aliqui nimium, itinere fatigentur, Card. Alex. in cap. quoniam, cit. distinct. 18. & circa finem.

Die autem præfixa è domo sua clero comitante campanis & organo sonantibus in Ecclesiam descendit Episcopus, ibique de S. Spiritu Missa peracta, & orationibus, vt in Pontificali ordinantur recitatis, ad vigilantiam circa cultum Diuinum synodumque cum fructu, & vtilitate celebrandam clerum exhortatur.

Legit deinde Notarius Episcopi omnium synodo interesse obligatorum nomina, qui singuli vocati respondentes adsum, accedere debent ad osculum manus Episcopi, in signum obediẽtiæ, quam ipsi reddere tenẽtur, cap. quod super, cit. de maior. & obed.

Capiunt postmodum sua loca quisque secundum gradus sui pręeminentiam. Et siquidem plures adesse contigerit Episcopos, secundum prius consecrationis tempus, qu isque priorem capiet locum, cap. vlt. 17. distinctione. Præsidens tamen synodo non attẽto consecrationis suæ tempo re priorem obtinere debet locum, & ille, qui sedis Apost. priuilegio super hoc fuerit munitus, glo. loc. cit. Canonici autem cathedralis Ecclesiæ Capitulariter sedentes seu eorum Nuncij, repræsentantes capitulum pręcedunt Abbates. Felin. in cap. pastoralis, de off. deleg. nu. 9. imo quod omnes clerici sæculares debeant præcedere Regulares. tenet Gemini, & Card. Alex. cit. c. fi. 17.

dit.cætus enim clericorum sæcularium,nobilior est cætu monachorum vt notat.gl.fi.in c.qualiter, & quando de accusat. Boer.de auctor.mag.Consilij.num.14.Cautius tamen promulgatur decretum, quo caueatur nullius præcedentiæ præiudicari licet non suo loco nominetur vel collocetur.

Et circa præcedentiam huiusmodi Greg. XIII. declarationes factas ad instantiam Conc.Prouincialis Rothomagen.hic subiungere placuit,ea enim omnia etiam ad synodum Prouincialem accomodari possunt,vt sequuntur,relatæ apud Genuen.in sua prax.c.89.

Primo in actibus Conciliorum Prouincialium attendendum esse tempus ordinationis Episcoporum,non autem dignitatem aut ordinem Ecclesiarum.

Secundo.Commendatarios inter Abbates recipiendos esse.

Tertio,Canonicos Cathedralium Ecclesiarum præferendos esse quandoq; capitulariter procedunt; Abbates Benedictos, & qui vsum mitræ habent præcedere commendatarios, post hos locum obtinere dignitates, postea collocandos esse Procuratores.

Quarto nõ teneri nisi eos qui de Iure vel consuetudine interesse debẽt, capitula tamen Ecclesiarum Cathedralium specialiter inuitanda esse: obligari autem ad decreta Conc.Prouincialis omnes qui Episcoporum Iurisdictioni subduntur,exemptos etiam in casibus in quibus de iure communi, & Conc.Trid.specialiter Episcopis aut Concilio Prouinciali in ipsos potestas tributa est,& contra inobedientes iuris remedijs procedendum.

Quinto Abbates,commendatarios,Capitulorum deputatos vocem duntaxat consultiuam habere,Episcoporum Procuratores posse si Conc. Prouinciali placuerit,& decisiuam habere.

Hactenus verba declarationum.Quod autem sequitur in synodo peragenda, est qđ inhiberi solet sub pœna excõmunicationis nequis illicẽtiatus discedere audeat nisi finita synodo, & bñdictione accepta.Eligẽdi deinde insigniores Theologi seu Iurisperiti pro cõsiliarijs,quibus dat Episcopus vocem consultiuam,& si velit etiam decisiuam,eligitur,& secretarius,& Notarius synodi,quem ordinẽ colligit ex diuersis Concilijs.Mich.Thomasius,in suo tractatu de ratione synodi.

His tẽporibus plerisque etiam locis laudabiliter seruatur quod principio synodi legitur Professio fidei iuxta præscriptum Bullæ Pij.IV.incip.iniunctum, & ea lecta episcopus si primam synodum post suam promotionem celebrat,clara,& intelligibili voce S.Fidem Ca

tholicam

tholicam iuxta normam ipsius Bullæ se tenere profitetur, damnatq; & anathematizat Hæreses ab Ecclesia damnatas, quod & in synodo Prouinciali prima vice cum adest post promotionẽ facere tenetur. Similiter & clerici omnes beneficia Ecclesiastica obtinentes in prima quaque synodo post suam promotionem, fidei professionẽ emittere obligantur. Conc. Trid. cit. sess. 25. cap. 2. de ref.

4 Faciunt deinde suas relationes testes synodales, aliter vocantur denunciatores vt testatur Felin. in c. sicut olim de accusat. Isti enim per Diœcesim haberi debent, viri prudentes, & fide digni qui si viderint aliquid in Diœcesi corrigendum referant in synodo cap. episcopus. in fine. 35. quæst. 6. & Doctores communiter, in cit. cap. sicut olim.

Vsus tamen eorum interijt, sed illorum loco, episcopi fiscales sibi creare consueuerunt, vt refert Diaz. in sua prax. crim. cap. 4. quos Fiscales dicit debere esse clericos, qui iurent in principio de fide liter administrando officio suo.

Datur etiam locus omnibus proponendi suarum ecclesiarum necessitates, vel querellas quas habent ad inuicem, & accusati si adsint tenentur respondere licet non fuerint citati, habent tamen ius reuocandi domum, si sint actiones reales seu ciuiles, imo etiamsi sint personales, nõ tamen notoriæ & de quib. euidenter conuinci non possint, nisi sint causæ de sui natura in synodo tractandæ. Card. Zab. in c. graue. de præben.

Eliguntur subsequenter ad minus sex examinatores, qui promouendos ad beneficia curata examinent, suique officii rationem in synodo de præterito reddant, & ibidem puniantur si deprehẽdantur deliquisse circa huiusmodi officium. Conc. Trid. cit. sess. 24. cap. 18. de ref. De modo autem faciendæ huiusmodi electionis, extat rescriptum Sac. Congr. ad Patriarcham Venet. in hunc modum.

Illustriss. ac Reuerendis. Domine vti Frater. Consultationi Ampl. tuę super examinatoribus in synodo approbandis sic respondit Cong. Sac. Trident. Conc. interpretum, nempe, Examinatores qui ab Ampl. tua propositi fuerint, à synodo tam per vota secreta quam aperta posse probari. Itaq; Ampl. tua, eum modum in probatione seruari faciat, quem magis expedire indicauerit. Quod reliquum est Deum illi quam beneficentissimum prȩcamur. Romæ die. 11. Iulij. 1592.

Vti Frater.

Hieron. Card. Mattheius.

Assignantur, & personæ ad id aptæ ad minus quatuor quibus causæ in partibus delegandæ committantur, quorum si aliquis decesserit, episcopus de consilio Capituli in locum ipsius alium sufficere potest, vsque ad futuram Synodum. Concil.citat.sessio. 25. capitulo. 10. de ref.

5 In eadem synodo audiendæ sunt rationes redituum seminarij, per quatuor deputatos, quorum duo ex capitulo, vnus electus à capitulo alter ab Episcopo, duo, alij ex clero similiter vnus electus ab ipso clero alter ab Episcopo esse debet. Defectus etiam seminarij corrigendi sunt. Vbi vero erectum non fuerit, vel non sit sufficienter prouisum, elaborandum est Episcopo quomodo erigatur, vel dotetur, alioquin à Synodo Prouinciali iuris remedijs ad hoc cōpelli posset. Conc.cit.sess.23. cap. 18. de ref.

Erigi autem debet & dotari ex fructibus quorumcunque beneficiorum Diæcesis, etiam Abbatiarū, Prioratuum, & aliorum Regularium, quibus pro qualitate redituum cuiuslibet imponere potest Episcopus certam quantitatem pro ipso seminario annuatim soluendā. De bonis tamen stabilibus tantum, nam de bonis quæ in incerto vt. in Elemosinis piorum, vel similibus consistunt, nihil debere contribui, respondit. Sac.Cong. Episcopo Triuentino. die. 13. maij. 1586.

6 Publicantur præterea in synodo huiusmodi decreta synodi Prouincialis, & aliqua insigniora capitula Generalis Concilij postremò præteritę prælegenda sunt, præcipuè de residentia curatorum, de vitæ honestate à clero tenenda, de obseruandis circa Diuinorum vel matrimoniorum celebrationē, aliaque prout temporum necessitas exegerit, cap.vlt. 18. distinct. c. sicut olim, de accus.cit. & de ordine seruādo in synodo episcopali consuli etiam posset Henricus Botteus in suo tract. de syn.epis.

De statutis ab Episcopo faciendis.

S V M M A R I V M.

7 *Statuta quænam possit facere Episcopus.*
8 *Statuta condere potest Episcopus non expectato consensu capituli.*
9 *Statuta quæ facere non possit sine assensu Cleri.*
10 *Synodaticum debetur Episcopo, ex ecclesijs ipsi subiectis.*
11 *Charitatiuum subsidium potest petere episcopus à suo clero.*

12 *Acta*

12 Acta Synodi Diœcesanæ publicari possunt licet non præsententur sedi Apostolicæ.

Licitum etiam est Episcopo in sua Diœcesana synodo condere statuta seu ordinationes aliquas, prout viderit expedire ad retinen-
7 dum in disciplina Clerum vel abusus tollendos. cap. 1. distinctione. 3. de consecr. iun. glo. verb. generaliter, cap. catholica. 11. distinctio. cap. 2. de maior. & obed. iun. glos. cap. vt animarum, de constitutio. in 6.

Statuta tamen quæ condit non debent contrariari sacris Canonibus, cap. quod super his. loco cit. de maior. subiacerent enim nullitati, vnde non valeret statutum, quod aliquis à sententia non possit, appellare: valeret tamen si iuberet in aliquibus causis summariè procedi. Bald. in c. cum omnes, de constit.

Neque contraria Ordinationibus Rom. Pont. [illegible] omnia, 25. quæstio. 1.

Neque circa fidei dubia, hæc enim decidere spectat ad Papam. c. quoties, 24. quæst. 1.

Neque contraria statutis metropolitani, seu Prouincialis synodi, c. cum inferior. loc. cit. de maiorit.

Neque in præiudicium priuilegiorum Cleri. capit. de Ecclesiasticis. 25. q. 2.

Neque in diminutionem emolumentorum ipsius Cleri. c. vestra nobis, de locato.

Item neque contraria immunitati Ecclesiasticæ, nam neque quoad suam personam particularem posset renunciare libertati in fauorem vniuersi cleri inductæ. cap. si diligenti, de foro comp. neque potest clericum subijcere Iurisdictioni laicali. ca. decernimus, de Iud. ibique Host. in sum. num. 4. Tho. Gram. decis. 29. nu. 10.

In casibus tamen qui sequuntur posset Episcopus contra Canones aliquid statuere.

Primò ex causa noua, & vrgenti, quam verisimiliter Canon non præuidit, si nimirum superior de facili consuli non possit, & periculum sit in mora, Abb. in cap. fin. de consuet.

Secundò in casibus à iure non determinatis, vel si statuendum sit contra ius ciuile.

Tertiò si aliquid statuat antequam Canon promulgetur, tenebit enim suum statutum licet côtrariaretur Canoni. cap. 1. de constitutionib. in 6.

Quartò, si statueret contra ius solum in suum præiudicium. cap.

cum

cum dilectus, in n. glo. ver. constitutum, de consuet. vt si statuat super iurisdictione sua Innoc. in cap. vestra de locato. Abb. ibid. Imo, & in præiudicium successorum, si statutum faciat, derogans antequam fuerit secutus actus aliquis quo iuris communis priuilegium acquiritur Episcopo, prælatus enim potest præiudicare ecclesiæ suæ in quærendis, licet in quæsitis præiudicare non possit Innoc. in cap. fraternitatem, de donat. Bald. in l. pupillorum, C. de repud. hæredit.

Quintò si faceret statutum consuetudini contrarium, nam licet consuetudinis, & legis par sit potestas, distinctione, 11. per totum, si tamen est minus rationabilis, licet fuerit iuramento firmata, adhuc tamen ab ea recedi potest, cap. in his, dist. cit. iun. glo. cap. 1. de ijs quæ fiunt à maiori par. Tanto magis si statuat circa solemnitates, & ordinem in sua Ecclesia contra consuetudinem sine aliquo præcepto maiorum, cap. Eleutherius, 91. dist. Arch. ibid.

Sexto si statuto suo auget vires iuris communis, sine alteratione ipsius, vt si decernat excommunicationem contra non seruantes Canones, quæ tamen excommunicatio nō exprimitur in ipsis Canonibus, vel si apponat pœnam vbi non est apposita, vel aggrauat appositam.

Septimo si iuris intellectus sit dubius, puta quod in vno loco nō residentes velit priuari beneficijs ipso iure, vt cap. ex tua de cler. nō resid. & in alio loco dicat priuandos per sententiam, cap. inter quatuor, ibid. tunc enim Episcopus posset statuere pœnam quam vtiliorem iudicauerit. Secus si esset in iure determinata, nam illam suo statuto immutare non posset, Abb. in cap. innotuit, de eo qui furt. ordin.

Octauò statuere potest aliquid non contraueniendo iuri communi in præiudicium Cleri ipso consentiente, vel præsente, & non contradicente. Innoc. cit. in cap. vestra, de locato, tantò magis si statuat contra id quod clero concedit ius commune, antequam ipsi ius fuerit quæsitum.

Nono in casu quo contra Canones rationabilis cōsuetudo fuerit præscripta, tunc enim viribus consuetudinis innixum statutum episcopi, valeret, licet contrariaretur Canoni Felin. in cap. quod super his, de maior. & obed. num. 10.

Eadem statuta facere debet episcopus cum consilio Capituli sui,
8 cap. Episcopus, 24. distinctione, & consuetudo si qua esset in contrarium reputaretur irrationabilis, nec tenenda. Hostien. de his, quæ fiunt à Præl. num. 2. Non tenetur tamen sequi consilium ipsius capituli.

tali, super quo responsum fuit Patriarch. Venet. à sacr. Congregat. vt sequitur.

Illustriß. & Reuerendiss. Domine vti Frater.

Sacra Congr. Illustriss. Patrum qui Trid. Conc. interpretando à S. D. N. præfecti sunt per libellum Ampl. tuæ nomine porrectum, consulta respondit, eãdem Amp. tuam, in synodo Diœcesana facere posse constitutiones absque consensu, & approbatione Cleri, debere tamen requirere consilium Capituli, licet illud non teneatur sequi nisi in casibus à iure expressis, non obstante, quod ex forma Rom. Pontificalis in celebranda Diœcesana, & prouinciali synodo, expressè habeatur, vt cõstitutiones in synodo publicandæ à patribus per verbum placet confirmentur, cui congregationis sententiæ Ampl. tua inhærens in suam synodum nauiter peragendam incumbat, & bene valeat in Domino, quem vt illi in huiusmodi Pastoralibus ac salutaribus munijs sua gratia semper adsit, ex animo rogamus, Romæ, die 27. Apr. 1592.

Hieron. Card. Matthaius.

Cum autem excipiat casus in iure expressos, videamus qui sint
9 isti, & breuiter. In primis de iure requiritur consensus Capituli in illis omnibus in quibus vertitur, ipsius interesse, cap. vlt. de his quæ fiunt à præl. Vnde si collatio beneficiorum pertineat tam ad capitulum, quam ad Episcopum, sine Capituli consensu, nihil de illis disponere poterit Episcopus, cap. ea noscitur, loc. cit.

Item in casu quo diminueretur Ecclesiæ authoritas, tunc enim nihil faceret, si statueret sine consensu capituli, cap. dilecti, de maior. & obed.

Similiter in casu quo ageretur de alienatione bonorum Ecclesię damnosa, cap. 1. de his quæ fiunt à præl. Vel si ageretur de obligatione Ecclesiæ, cap. quod quibusdam, de fideiuss.

Item si ageretur de præiudicio quoad subiectionem, vel limitationem consensus Capituli, cap. vlt. loc. cit. de maior. & obed.

Ad extremum in casuum criminalium ventilatione, 15. quæst. 7. per totum. Et maximè in iudicanda persona aliqua ex collegio capituli, siue Cathedralis siue collegiatæ Ecclesię, nam sine assistentia, & voto duorum ex capitulo deputatorum, non potest iudicare personam capitularem ex noua ordinatione Conc. Trid. ca. 6. sess. 25. de ref. quod videtur indultum capitularibus in recompensam priuilegiorum, & exemptionum antiquatum, quibus idem Concilium in multis derogauit.

Debet

Debet autem capitulum hos duos qui assistunt in iudicijs Episcopo eligere initio cuiuslibet anni, & si non elegerint, posset Episcopus procedere solus, & iudicare vt responsum fuit à Sacr. Cong. Episcopo Gerundinen. his verbis.

Cong. Conc. censuit debuisse canonicos, & debere in principio anni eligere illos duos, si id non fecerint, Episcopum posse procedere, & ita referendum Sanctissimo. Sanctissimus audita relatione Cong. dixit rescribẽdum Episcopo prout Congr. censuit, hoc addito, vt antea capitulum moneat, si à principio anni non eligant, se solum eam Iurisdictionem exerciturum, non admissa electione quam postea fecerint.

Illa autem specialiter aduertenda sunt episcopo in condẽdis statutis, vt quam rarissimè apponat excommunicationis pœnas, ne videlicet ex frequentia contemnantur. Abb. in c. clericos, de cohab. cler. & mul. Couarr. in cap. alma mater. num. 10. sed potius vtatur pœnis temporalibus, rarius tamen pecuniarijs, ad euitandam auaritiæ suspicionem, quæ abesse longè debet ab Episcopo, c. cum ab omni. de vita, & hon.

Et quoniam episcopi statuta ligare tantum debent quoad pœnam non quo ad culpam, vt tradit Abb. in cap. cum olim. de cler. cõiug. num. 5. ideo aperte deberet Episcopus declarare virtutem sui statuti. Henricus Bott. de synod Epis. part. 3.

Denique cauere debet vt abstineat à multitudine præceptorum, nec statuat nisi super necessarijs, neque faciat statuta quæ nihil proficere, vel quod grauius quæ verisimiliter contemptui futura suspicatur, aliquando enim toleranda sunt potius aliqua mala, ne eueniant grauiora, nã qui nimis emungit elicit sanguinem. ca. denique 4. dist. Imo illud Chrisostomi, super Matthæum, mente esset retinẽdum. *Circa vitam tuam esto austerus, circa aliorum benignus, audiant te homines parua mandãtẽ, & grandia facientem.* & aliud Bernardi. *Quid iugũ vestrum super eos aggrauatis, quorum onera potius portare deberetis.*

An autẽ possit aliquid exigere à Clero pro sui sustentatione, quæri posset hoc loco.

Et certum est quod taleis, & exactionibus Clerum onerare prohibetur, capit. quoniam, 18. distinct. cap. qui cognouimus, cap. quoniam relatum, 10. q. 3.

Synodaticum tamen seu cathedraticum Iure suo exigere potest, 10 cuius nomine à qualibet Ecclesia duo solidi debentur, valore ipsorum

rum computato, secundum antiquam consuetudinem dandi in qualibet Diœcesi, cap. conquerente, iun. gl. de off. Ord. Neq. vllo tempore præscribi potest quo minus debeatur synodaticum, cum detur in signum subiectionis, & in honorē Cathedræ. in parte tamen præscribi posse tenet Abb. in cap. pastoralis de donat. Enriquez. de Syn. Episcop. par. 2. num. 90. Imo licet pleno iure libertaretur Ecclesia, adhuc non cēsferetur remissum synodaticum nisi expresse ponatur, glos. in cap. pastoralis, cit. Innoc. ibid. nemo enim censetur esse sine subiectione, nisi probet, alioquin censeretur quis acephalus, ca. nulla ratione, 93. dist. Regulares tamen à præstatione synodatici sunt exempti. cap. inter cætera. 10. q. 3. cit.

11 Charitatiuum etiam subsidium petere potest in casibus à iure expressis, cap. fin. 10. q. 7.

Videlicet si fuerit pauper ita quod reditus mensæ ipsius ad tuendam dignitatem Episcopalem non sufficiant, vel si vrgeant debita ipsius Ecclesiæ, aut si non habeat sumptum pro expediendis Bullis in Curia. similiter & pro sumptu insumendo in itinere ad visitanda limina Apostolorum, seu ad Concilium Prouinciale siue Generale, quando esset pauper, cap. cauendum, 10. quæst. 3. cit. cap. cum Apostolus, §. prohibemus, de cens. vbi addit Innoc. quod etiamsi causa iusta subsit, tamen requiri in imponendo hoc subsidio consensum capituli, & cleri. Si autem dubitaretur de causa, pateret recursus clero ad superiorem, cap. cognouimus, 10. quæst. 3. cit. Host. de off. ordin. in sum. num. 3.

A pauperibus tamen exigi non potest, & dicitur pauper qui ex annuo reditu nō recipit vltra decentem sustentationem, vt notat Bellencinus, de charit. subsid. quæst. 30. Menoch. de arb. iud. cent. 6. casu. 520. num. 10.

Neque præscribi vnquam potest charitatiuum subsidium, esset enim præscribere contra charitatem, idem. Bellen. quæst. 45. Taxa autem est arbitraria. Card. in clem. 1. de excess. præl. §. nonnulli, nume. 4. Et arbitrium stat penes clerū offerentem, si petatur plus quā antea solebat dari; inuito enim clero vltra id quod dari antea consueuit exigi non posset. Afflict. decis. 136. videri potest & Boer. decisio. 133. & seq. Pauin. de charit. subsid. Duen. in Reg. verb. charitatiuum subsid.

Pro Rege autem seu Principe nullo casu exigi potest à clero aliquod subsidium seu donatiuū, nisi ipse clerus consentiat, penes quē etiam stat arbitrium quantum velit offerre, vt declarauit S. Cong. Oeconomo Messanen. 22. Ian. 1596.

Q Epe-

Expeditis negotijs synodi legit Notarius absentiũ nomina, qui absentiam suam siue per litteras siue per nuncios non excusarunt, & Episcopus pronunciat illos contumaces, pænasque decernit per ipsos intra tempus certum luendas. Et priusquam synodus dimittatur acclamationes fiunt cum gratiarum actione iuxta ritum Pontificalis, & accedunt singuli iterum ad osculum manus Episcopi, illudque sibi inuicem dant in charitate. Interim autem Archidiaconus verbis in Pontificali præscriptis, conclusam synodum dimitti significare debet, Episcopo solemniter omnes benedicente.

Cum autem decreta synodi Prouincialis non possint publicari nisi prius fuerint præsentata sedi Apostolicæ, & ab eadem probata, dubitari posset, an etiam Diœcesanę synodi decreta similiter publicari non debeant inconsulto Rom. Pontifice. sed hæc dubitatio soluta est responso Sac. Cong. Conc. ita quod non debent Romã trãs-
1 mitti, sed publicanda sunt arbitrio Episcopi. sequitur tenor rescripti Sac. Cong.

Illustriss. & Reuerendiss. Domino vti Fratri Domino Episcopo Hostiensi.

Illustriss. & Reuerendiss. Domine vti Frater. Non est in more positum apud Patres Illustrissimos, qui Trid. Conc. Decretis interpretandis præfecti sunt Diœcesanas synodos recognoscere, sed Prouinciales tantum emendare. Quare vt voluntati atque pastorali Ampl. tuæ zelo in tuæ synodi correctione quoquo modo satis per me fieret, illud pro mea in te, & Ecclesiam tuam charitate mihi sumpsi, vt synodum ipsam percurrerem, simulque ea adnotarem quæ notatu digna visa sunt, quemadmodum licebit in extremis ipsis synodi pagellis, vbi nostras animaduersiones adscripsimus,
inspicere. Quod superest, tu clerusque tuus in tot salutarium constitutionũ obseruatione, nauiter incumbite, memores vnam optimamque legem esse, legum obseruantiam. Valete in Domino. Romæ. prid. Kalend. Decemb. 1586.

Ampl. tuæ *vti frater.*

A. Card. Carafa.

Caput

Caput Tertium.

De Visitationibus.

SVMMARIVM.

1 *Visitationes singulis biennijs facere debet Episcopus.*
2 *Episcopus quam normam in viuendo tenere debeat.*
3 *Familia qualis esse debeat Episcopi.*
4 *Familiam armatam an possit tenere Episcopus.*



NON solum in synodali congregatione, de qua supra egimus, sed etiam in visitatione particulari, tenetur episcopus inquirere, & corrigere defectus subditorum. Vnde omnes Ecclesias sibi subiectas, totamque Diœcesim, ad minus semel quolibet biennio circumire obligatur, Concil. Trid. cit. sess. 24. cap. 3. de ref. Non tamen præcisè intra hoc tempus tenetur expedire visitationem suam, sed relictum est arbitrio ipsius, moderato tamen, super quo legitur rescriptum sacr. Congreg. Conc. in hæc verba.

Dubitauit Episcopus Asloricen. an teneretur suam visitationem concludere intra certum, & determinatum tempus, iuxta latitudinem suæ Diœcesis.

Congr. censuit Concilium nullum tempus ad hoc præfixisse, sed reliquisse arbitrio Episcopi, quod tamen debet esse moderatum, & discretum.

SEd quoniam nihil magis alios ædificat, quam innocentia Prælatorum, sicut è conuerso, maiorum delicta facilè trahuntur à subditis in exemplum, cap. nemo 33. distinctione ca. præcipuè, 11. quæstio. 3. ne visitator volens subditis exhibere medicamenta salutis, præbeat mortis exempla, prius domum suam reformare, moresque & vitam ad sanctorum Canonum præscripta componere, ac factis ipsis, & actionibus, se muneri suo conformem ostendere deberet. Ideò pauca nos quoque de norma in viuendo ab Episcopo seruanda visitationi præmittamus, non nostris verbis in materia tam gra-

ui vsuri, sed Conc. Trid. sess. 25. cap. 1. de ref. vt sequuntur.

Optandum, & infra. Quapropter exemplum Patrum nostrorum in Concilio Carthaginensi, non solum iubet, vt episcopi modesta suppellectili, & mensa, ac frugali victu contenti sint, verum etiam in reliquo vitæ genere, ac tota domo, caueant ne quid appareat, quod à sancto hoc instituto sit alienum, quodque non simplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præseferat, omnino vero eis interdicit, ne ex reditibus ecclesiæ, consanguineos, familiares vè suos augere studeant, cum & Apostolorum Canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent, sed si pauperes sint, ijs, vt pauperibus distribuant, eas autem non distrahant, nec dissipent illorum causa, imo quam maximè potest, eos sancta synodus monet, vt omnem humanum hunc erga fratres, nepotes, propinquosque carnis affectum, vnde multorum malorum in ecclesia seminarium extat, penitus deponant &c.

Viros item boni testimonij, graues, doctos, circa se habere debet Episcopus, & non nisi per clericos in cubiculo sibi inseruiri facere.
3 cap. cum pastoris, & cap. vlt. 2. quæst. 7. Et quia domus Episcopi quasi in specula est posita, estque magistra publicæ disciplinæ, & quicquid in ea agitur, id omnes putant sibi licere, prouidere debet Episcopus, vt tota familia sua sit honesta, ad hoc optimè faciunt verba S. Bernardi, ad Eugenium, lib. 4. cap. 10. vbi dicit.

Domum Episcopi decet sanctitudo, decet modestia, decet honestas, horum disciplina custos, sacerdotes domestici, aut cæteris honestiores, aut fabula omnibus sint: ament te domestici, si non, facito, vt te timeant, alius alia dispenset, de disciplina tu prouide, illud nemini credas, pertinet ad te vt his quos præ oculis habes, quatenus totius honestatis ac condecentiæ speculum sint, & forma: non licet tibi vt vitia domus tua vltimus sciasy si insolentior sermo coram te sonuerit, si indecens habitus apparuerit, manus tua sit super huiusmodi, tu vlciscere iniuriam Dei, in vultu, in habitu, in incessu illorum, qui tecum sunt, nihil residere impudicum, vel indecens patiaris, &c.

Maximè autem, tam in sua persona, quam in suis ministris, auaritiæ suspicionem vitare debet, cap. cum ab omni de vita & honestã. Conc. Trid. cit. sess. 21. cap. 1. de ref. vnde & Cancellariam suam Episcopum locare, & inde aliquod emolumentum habere non posse legitur fuisse rescriptum à sac. Cong. Cōc. in ann. 1598. Episcopo Ariminen.

minen. In quibus tamen casibus licite possit aliquid accipere à Clero, dicetur suo loco.

Hic non incongruè quæri adhuc posset, num Episcopus possit tenere familiam armatam, Et quidem cum Ecclesia habeat carcerem, & Episcopus pœnas corporis in causis ad forum suum spectantibus
4 infligere possit, cap. contra idolorum, 26. quæst. 5. cap. cum Episcopus, de offic. ord. Abb. in cap. 1. ibid. Dec. cons. 131. in princip. & consil. 300. num. 4. rationabiliter hinc concludi posset, quod debeat etiam habere executores armatos, per quos reos capere, in carcerē detrudere, & punire valeat. Et ita post multas Doctorum cōtrouersias testatur Franc. Leo in sua prax. cap. 9. num. 26. declaratum fuisse à sac. Congr. Conc. coram Pio Papa V. maximè intuitu textus cap. 3. sess. 25. Conc. Trid. vbi ordinatur, quod iudices Ecclesiastici debeant prius procedere contra reos ad pœnas reales, quam ad pœnā excommunicationis. Et de locis quidem vbi Ecclesia habet dominium temporale, nemini dubium est, posse prælatum seu ipsius in tēporalibus Vicarium tenere executores armatos, in alijs autem locis vbi nō habet iurisdictionem temporalem, licet, vt diximus in hoc defendi possit si teneat, tamen vbi non est consuetudo, cautius facit si non proprijs ministris vtitur in executione facienda, propter euitandum liuorem laicorum, qui his temporibus contra iurisdictionem Ecclesiasticam maximè efferbuit, sed potius in talibus requirendum est brachium sæculare, seu iudex sæcularis, vt familiam suam armatam Prælato præstet, cap. 1. de off. ord. Innoc. & Doctor. communiter, ibi. Dec. in cap. significasti, de offic. deleg. num. 5. Iudex autem sæcularis dum præstat familiam, non debet cognoscere de æquitate sententiæ iudicis Ecclesiastici, maximè si tantum accomodat ipsi familiam, Alciat. in cap. 1. cit. Lopez. ad Diaz. in cap. 154. vbi tamen ipse iudex sæcularis esset executor sententiæ prælati, vel delictum esset mixti fori, seu si notoriè appareret sententiam esse iniustam, cognoscere posset, Abb. Alciat. in cap. 1. cit. Genuen. in sua prax. cap. 44.

Quod autem ad ordinem in ipsa Visitatione prosequenda seruandum attinet, antequam ipsa incipiatur, præmonendi sunt subditi generali publicato per Ecclesias edicto de visitatione celebranda, tempusque ipsius, & locus à quo incipiendum sit intimandus, cuius intimationis forma videri potest, apud Ant. Resta in suo Direct. Visit. Reliqua autem in visitatione seruanda quo meliori methodo explicentur, distinctè de locis visitandis videamus.

De

De Visitatione Cathedralis Ecclesiæ.

SVMMARIVM.

5 *Cathedralis Eccl. nulla exemptione se tueri potest quominus visitetur.*
6 *Visitationis inchoandæ modus.*
7 *Præbendis non personis adiungenda sunt officia ordinum.*
8 *Distributiones quotidianæ præsentibus tantum debentur.*
9 *Distributiones absentium accrescunt præsentibus.*
10 *Distributiones, quando lucrantur absentes.*
11 *Abesse ab Ecclesia quanto tempore possit Canonicus.*
12 *Vnitæ Ecclesiæ præbendis quomodo sint administrandæ.*
13 *Habitum clericalem deferre obligantur beneficiati.*
14 *Habitus clericalis, quis sit.*
15 *Anniuersariorum numerus sicut, & missarum reduci potest.*

PRima itaque visitanda est Ecclesia Cathedralis, cap. Romana, de cens. in 6. nec aliqua exemptione se tueri potest, quo minus visitetur. Conc. Trid. sess. 6. cap. 4. de ref. Quare die præfixa visitationi adueniente, Clero comitante, cappa Pontificali super rocchetum
5 indutus Episcopus in Ecclesiam Cathedralem descendere debet, ibique missa de S. Spiritu per ipsummet Episcopum, siue eo impedito, per aliquem insigniorem prælatum celebrata, orationibusque ad eum vsum in Pontificali Romano præscriptis, recitatis, & sermone de vtilitate, & causis visitationis habito ad particularem Ecclesiæ visitationem descendet. Et primo Ciborium, Fontem Baptismalem, Altaria, sacristiam, vestes, apparamenta ecclesiæ, num in decenti custodia teneatur, reuidebit, circa, quæ particulariores animaduersiones videri possunt in direct. Visit. cit. & nos infra de visitatione parochialium aliqua referemus, hic solum ea quæ peculiaria sunt in visitatione Cathedralis Ecclesiæ videamus.

Reuisis itaque præmissis, descendere debet episcopus ad locum in quo congregari solet capitulum, cum omnibus Prælatis, Canonicis illius ecclesiæ ad sonum campanæ congregatis, adiuncto suo notario, qui clericus esse debet, argum. tex. cap. vt iuxta de offic. ord. & assumptis secum duobus iurisperitis, qui possunt esse externi, & non de gremio capituli Conc. Trid. in c. cit. & sess. 25. cap. 6. de ref.

Factis

Factis autem à notario connotari, numero Prælatorum, & Canonicorum, nominibus singulorum, tum & qualitate, quantitate prouentuum præbendarum, quærere debet quomodo capitula sua celebrent, quoties generalia, quoties particularia, & quo ordine, & num ad pulsum campanæ soleant congregari.

In receptione, in stallatione seu admissione ad possessionem Canonicatuum, præbendarum, vel distributionum, num accipiant deductiones aliquas ex fructibus, solutiones, donatiua, seu iucundos ingressus, vel si quo alio nomine vocentur, hæc enim non debent exigi nisi in pios vsus conuertantur. Conc. cit. sessio. 24. cap. 14. de refor.

Statuta qualia habeát, & ne faciant recipiendos iurare, de obseruando aliqua illicita, vel decretis Conc. Trid. contraria.

Professionem fidei num exigant à recipiendis, hanc enim tenetur quilibet emittere assequutus Canonicatum, vel præbendam, etiam si illam emiserit in manibus Episcopi seu in manibus cōferentis beneficium, Conc. loc. cit. cap. 12.

Archidiaconus, scholasticus, an sint Doctores seu licentiati in Teologia, vel iure Canonico, aliter enim ipsorum prouisio esset nulla Conc. loc. cit. & sess. 23. cap. 18. de ref.

7 Inquirendum etiam est an quilibet officium suæ præbendæ adnexum exerceat, & si non habuerint distincta officia, ipse episcopus assignare posset aliquibus ordinem presbyteratus, aliquibus ordinem Diaconatus, Subdiaconatus ordinem alijs imponendo, ita tamen vt ad minus dimidia pars Canonicatuum, presbyteratus ordinem adnexum habeat, nisi fuerit loci consuetudo, vt plures, vel omnes habeant presbyteratum. Conc. cit. sess. 24. cap. 12. de refor.

Et in hac ordinum distributione debet requirere episcopus consilium capituli, illud tamen non tenetur sequi, vt declaratum fuisse à sac. Cong. Conc. refert Zerol. in sua prax. par. 1. ver. capitulum.

Assignandus autem est ordo, non personis, sed canonicatibus seu præbendis singulis, ex voto eiusdem sacr. Congrega. Concil. edito his verbis.

Cong. Conc. censuit debere Episcopum cum consilio capituli, designare quibus canonicatibus quisque ordo annexus esse debeat, non quibus canonicis, quoniam Conc. sess. 24. cap. 12. mandat sacros ipsos ordines annexi canonicatibus, non autem personis eos obtinentibus.

Assignatis autem huiusmodi ordinum officijs, non teneret collatio

tio Canonicatus facta illi qui non haberet ætatem, quam ordo illius præbendæ annexus requirit, vel qui saltem infra annum ob ætatis defectum ordinem illum recipere non posset, id Conc. sess. 22. c. 4. & sess. 24. cap. 12. cit. de ref. Is etiam non posset habere vocem in capitulo antequam ordinem suæ præbendæ annexum susceperit, & si infra annum non promoueretur, dimidia pars distributionum ipsi subtrahẽda esset. Clem. 2. de ætat. & qual. multomagis illi qui ad minus subdiaconatus ordine non sunt insigniti, carere debent voce actiua in capitulo. clem. cit. & Conc. loc. cit. sess. 22. cap. 4. ita quod neque capitulum dispensare super hoc possit, & vocem prædictam concedere. Nau. de cler. non resid. consil. 7. Vocem tamen passiuam habere posset, item & stallum in choro, & domum seu præbendam optare, nisi loci obstaret consuetudo cõtraria, vt notat, gl. in Clem. cit. verb. capitulo & verb. extunc. Card. ibid. Gemin. in c. vn. de cler. non resid. in 6.

Videndum præterea in visitatione an obtinẽs præbendam Theologalem faciat functiones sibi incumbentes, & num sufficiens sit ad interpretandum sacram scripturam per seipsum. Conc. cit. sess. 5. c. 1. de ref. Vbi autem non fuerit erecta præbenda Theologalis, curare debet Episcopus vt erigatur super præbenda primo vacante, & si fructus præbendæ adhoc non sufficerent, dotari posset annexione fructuum alicuius simplicis beneficij.

De distributionibus quotidianis aduertẽdum est an aliquæ sint: an sint sufficientes, & ne sint ita tenues vt verisimiliter negligãtur, tunc enim Episcopus ex fructibus canonicatuum seu præbẽdarum tertiam partem detrahere, & distributiones augere deberet ex ordinatione cit. Conc. sess. 21. cap. 3. de ref. Vbi autem essent distributiones sufficientes, tertia pars huiusmodi fructuum præbendarum detrahi non posset applicanda distributionibus. Zerol. in prax. par. 2. verb. distributiones, neque posset detrahi aliqua pars fructuum beneficiorum extra Ecclesiam cathedralem existentium, applicanda distributionibus, nisi ipsa beneficia fuerint incorporata præbendis canonicalibus, quod responsum fuisse Archiepiscopo Genuen. à sac. Cong. Conc. refert. Zer. ver. distributiones cit. p. 1.

Per vnionem tamen aliquorum beneficiorum simplicium etiam extra cathedralem Ecclesiam existentium augeri possent distributiones prædictæ. Conc. cit. sess. 24. cap. 13. de ref.

Diligenter etiam visitator inquirere debet an distributiones hu-
8 iusmodi iuxta præscriptum iuris diuidantur. Non nisi enim præsentibus, & interessentibus dari debent, cap. vn. de cler. non resid. in 6.

Conc.

Conc.loc.cit.c.12.Nec sufficit adesse in Ecclesia dum Diuina peraguntur,sed oportet esse præsentem in choro vt lucrentur distributiones,vnde non excusaretur canonicus quominus amittat distributiones,etiãsi adesset in ecclesia missam celebrans extra chorum eo tempore quo horę canonicales decantantur,super quo declarationem editã à Sac.Cong.Cõc.refert Gonz.super 8.Canc.§.7.proem. num.81.in hæc verba.

Qui tempore quo cantatur vna hora in choro,missam celebrat in eadẽ Ecclesia ex deuotione vel obligatione, non dicitur interfuisse illi horæ, nec illius distributiones accipere potest. Si vero iussus fuerit à superiore vt celebraret,tunc reciperet,superior tamen debet cauere à tali iussione.

Neque excusaretur quominus amitteret distributiones, associãs Episcopum seu prælatum audientem missam in alia Ecclesia eo tẽpore quo horæ canonicales decantãtur,quod etiam fuisse declaratum ab eadem Sac.Cong. refert id Gonz. loc. citat. numero. 183. his verbis.

Non possunt canonici videlicet duo aut plures associantes eorum prælatum quandoque volentem audire missam non in cathedrali sed in alia Ecclesia ciuitatis,participes fieri distributionum quotidianarum,quæ nõ nisi præsentibus,& inseruientibus dantur.

Neque ratione trium mensium quibus abesse licitum est,lucrare potest absens distributiones.Paris.de resig.quæst.10.num.65.quod etiam declaratum fuisse à dicta S.Cong.testatur.ibid.

Neque debentur distributiones Vicario si non intersit occupatus in administratione iustitię.Neque episcopo obtinenti portionẽ canonicalem nisi intersit, quoad omnia enim tum censeri debet vt canonicus,& sedere debet inter canonicos in loco suę promotionis,cap.à collatione,iun.gl.de appel.in 6.

Neque debentur interessentibus per modicum tempus,omnibus enim horis interesse tenentur canonici, & per omnes horas debet fieri compartitio distributionum.Clem.cit.de ętat.& qual. iun. gl. verb.certis horis.Card. ibid. quod etiam declaratum fuisse à Sacr. Cong.testatur.Nau.de cler.non resid.consil.9.

Non potest etiam Episcopus neque capitulum remittere amissionem distributionum vt clare patet ex textu Conc.loc. cit. in illis verbis. (*quauis collusione aut remissione exclusa*) idem docet Na-

R uar.

uar.loc.cit.consil.7.nume.1. Menoch. de arb. iud. ad casum, 429. numero 6.

9 Distributiones autem huiusmodi quibus priuantur absentes, accrescere debent præsentibus si sit consuetudo loci.glos.in clement. citat. verbo. pars dimidia, distributiones nimirum antiquitus factæ ex fructibus mensæ communis, distributiones autem factæ post, Concilium Tridentinũ ex tertia parte fructuum præbendarum, non accrescunt interessentibus, sed applicari debent fabricæ ecclesiæ aut alicui pio loco ex ordinatione eiusdem Conc. sess.22. cap.3.de ref.& ita distinguit Nau.de verbor.significat. cons.3.Zerlo.supra cit.ad 4. Rebuff. autem in prax. benef. de dispens.de non resid.num.10.distinguit, quod si statutum ecclesiæ seu consuetudo sit vt distribuatur præsentibus aliqua summa, verbi gratia, decem, tunc accerscit absentium pars præsentibus: Si vero solitum sit cuilibet interessenti dari certam quantitatem, vt vnum aureum, tunc licet aliqui absint, præsentibus tamen nihil amplius est distribuendum, neque illis accrescit pars absentium, idem docet. Card.Imol. in cit.Clem.Couar.lib.3.var. res.cap.13. qui in talibus dicit attendendam esse locorum consuetudinem.

In casibus tamen, qui sequuntur etiam absens lucrari posset distributiones quotidianas. Vt si aliquis abest pro exercitio curæ animarum imminentis ipsi capitulo, vel qui abest pro negotijs capituli, cap.ex parte 2.de cler.non resid.Nauar.eod.tit.cons.8.num.1. Couar.loc.cit.num.8.

Pœnitentiarius quoque interim dum confessiones audit, censetur pro præsente in choro nec ammittit distributiones, Conc loco cit.cap.8.

Similiter, & Theologus seu Lector eo die quo legit sacram lectionem pro præsenti habetur. vt declaratum fuisse à sac.Congreg. conc.coram Gregor.XIII. testatur Gonz. loc.supra cit. nu.180.

Infirmus etiam infirmitate durante participare debet ex distributionibus quotidianis etiamsi culpa sua fuerit effectus ægrotus, cap.vn.de cler.non resid.in 6.cit.Franch. Gemin.ibi.si nimirum dũ erat bene sanus solitus fuerit frequentare chorum.Felin.in cap.apostolicæ, num.12.de excep. & si talis sit infirmitas cum qua non potest sine periculo adesse in choro, itemq; si decumbat in ciuitate seu loco vbi sita est ipsa ecclesia, Couar.loc.cit.à nu.8.

De senio autem confectis, & in specie de consuetudine ecclesiæ Compostellę, in qua senio cõfecti, & qui per quadraginta annos ecclesiæ deseruierint, postea tanquam rude donati, censentur semper

pro

pro præsentibus, participantque ex distributionibus quotidianis, respondit Grego. XIII. statutum, seu consuetudinem huiusmodi esse tolerandam.

Suspenso item interdicto excommunicato iniustè, vel in exilium relegato debentur distributiones, Felin. loc. cit. Similiter & carcerato licet propter violentam criminis suspitionem fuerit carceratus, dummodo postea declaretur ipsius innocentia, siue primi iudicis siue appellationis iudicis sententia, & solitus fuerit dum esset liber frequentare chorum. Gemin. in cap. vn. cit. de cler. non resid. in 6. Couar. loc. cit. Et in tantum quidem, quod ipsi debentur non tantum distributiones quotidie distribui solitæ, sed etiam fructus certis tantum temporibus præsentibus distribuendi. Nauar. loc. cit. de cler. non resid. consil. 10. & 11.

Similiter & mortuaria, portiones funerales, & quæ pro anniuersarijs mortuorum dari solent; hæc enim æquiparantur distributionibus quotidianis. Lap. Gemin. in cap. vn. cit. in 6.

Ad extremum distributiones grossæ quæ dantur in fine anni vel certis aliquibus temporibus, quæ non possunt propriè dici distributiones quotidianæ, extrauag. cum nonnullæ. §. præterea, de præb. cōmun. & efficiunt potius præbendam. Tiber. Decian. consil. 43. num. 13. maximè vero si in illis solis consistant omnes reditus canonicatus seu præbendæ, debentur absentibus ex iusta causa, vt ratione studiorum, cap. de cœtero. cap. audientiam, de cler. non resid. Gemin. in cap. vn. sup. cit. Calder. consil. 1. de cler. non resid. detracta nimirum portione quæ communi mensæ debetur. Innoc. in cap. licet de præben. seu detracta tertia parte interessentibus assignata à Conc. sup. cit. quod etiam declaratum fuisse à Sac. Cong. Conc. refertur, apud Quaran. verb. residentia, his verbis.

Cong. censuit canonicum absentem studiorum causa, percipere quidem fructus præbendæ, non autem distributiones quotidianas, quod si in huiusmodi distributionibus omnes capituli reditus consistant, percipere etiam distributiones dempta tertia parte quę inseruientibus accrescit; nullo autem casu debere ipsum canonicum percipere distributiones missis aut defunctorum anniuersarijs applicatas.

Similiter & duo canonici Episcopo inseruientes fructus huiusmodi præbendæ grossos, absentes licitè petere possunt iuxta. tex. in c. ad audientiam, cit. quod etiam docet Nau. loc. cit. de cler. non resid. consil. 2. nu. 2.

Non solum autem subtractione distributionum puniēdi sunt absentātes se à seruitio Ecclesiæ, sed etiam alijs pęnis si se non correxerint puniri possunt, videlicet sequestratione particularium fructuū prębendę, pro prima cōtumatia dimidia parte fructuum, pro secunda totis fructibus, Censuris ecclesiasticis, & alijs iuris remedijs, & crescente contumatia etiam priuatione ipsius beneficij. Conc. loc. cit. sess. 24. cap. 12. de ref. ita tamen vt intercedant ad minus sex mēses post iniunctam vnam pęnam antequam procedatur ad aliam, vt docent communiter doctores, in c. ex tuæ. de cler. non resid.

Necessario autem seruādi sunt dicti gradus pœnarum pręscripti à Concilio antequam deueniatur ad priuationem, facta enim priuatio non seruata forma hac Concilij, esset nulla, vt fuisse decisum in Rota Rom. coram Seraphino, in vna Salamātinen. del Petroso. die 5. Decem. 1567. testatur Genuen. sæpius. cit. c. 112. Citari etiam debet huiusmodi non residens in persona ante priuationem, si sciatur vbi moretur, & si non sciatur citandus est per edictum publicum trina citatione, nec sufficeret vna citatio pro tribus, & aliter facta priuatio esset omnino nulla vt probat. Abb. lib. 1. consil. Cons. 67. Fel. in cap. consuluit, num. 13. de off. deleg. Verall. decis. Rotę. 114. p. 1. & responsum fuit in dicta Salamantin.

Cēsetur autem abesse quis etiamsi maneat in ciuitate vbi sita est Ecclesia, sed non inseruit nec frequentat Ecclesiam vt declaratum legitur à Sac. Cong. his verbis.

An puniendi sint qui à seruitio Ecclesiæ absunt quamuis vbi ipsa Ecclesia consistit sint præsentes.

Cong. censuit esse puniendos.

Et ad eandem residentiam, etiam Collegiatarum Ecclesiarū canonici tenentur, super quo datum fuit rescriptum à Sac. Cong. Cōc. in vna Comen. An. 1598. die 5. Iulij vt sequitur.

Cong. Censuit canonicos Ecclesiarum collegiatarum etiam in oppidis non insignibus existentium teneri ad residentiam, nisi essent collegiatæ rurales prorsus destructæ, aut in quibus nunquam antea supra hominum memoriam solitum esset residere, & quarum canonicatus ea essent fructuum tenuitate, vt qui eos obtinuerint, nec ex eis ali possint, nec aliunde habeant vnde commodè viuant.

11 Tres tamen menses in anno licitum est abesse tam à cathedrali

quam

quam à collegiata, qui tres menses computati debent siue ex vna absentia continua, siue ex pluribus interpolatis. Conc. lo. cit. nec requiritur Ordinarij licentia ad huiusmodi absentiam trium mensium. Zerol. cit. par. 1. verb. priuatio ad 4.

Vltra tres etiam menses prædictos abesse licitum est cum licentia ordinarij, quam ipse concedere potest ex causa rationabili virtute textus, c. vnico, cit. de cler. non resid. in 6. nec isti facultati episcopi derogauit Concilium. vt docet Zerol. loc. cit.

Inquirendum est prętere a visitatori si aliquas Ecclesias curam animarum annexam habentes vnitas habeat capitulum, quomodo
12 illæ administrentur, & prouidendum ne ipsimet Canonici per ordinem in illis curam exerceant, sed vt assignent commendariũ perpetuum pro exercitio curæ, assignata ipsi certa fructuum portione.

Ipsi quoque canonici si aliquam animarum curam suis præbendis particularibus adnexam habent, videndum est ne in illa exercẽda negligentias committant.

Si autem aliquis haberet in titulum aliquod beneficium curatũ vltra canonicatum, compellẽdus est vt doceat de dispensatione, curatum enim beneficium cum canonicatu in cathedrali est omnino incompatibile, nec potest vtrumque simul retineri sine dispensatione, Conc. loc. cit. c. 17.

Præcipuè autem elaborandum est visitatori vt de morum, & vitę honestate capitularium se bene informet, & si quæ contraria Ecclesiasticis institutis inuenerit, corrigat. Et circa hæc præter ea quæ de persona Episcopi supra ex Concilio Trid. retulimus, ad quæ etiam quilibet inferiores clerici seruanda obligantur, vt patet ex textu ipsius Concilij; à sacris quoque Canonibus ordinatum est vt clerici ebrietates vitent, tabernas ne frequentent, aleas, taxillos, ne ludant negotiationes, artes mechanichas, sæculariaque negotia ne exerceant, mulieribus ne cohabitent. Host. in sum. de vita & hon. cleric. num. 2. quæ tanto magis in canonicis cathedralis Ecclesiæ euitari debent, cum illi norma totius cleri, & senatus Ecclesiæ censeantur. Vnde visatator inquirere debet an aliquis circa prędicta culpabilis inueniatur.

Prædia quoque conducere non debent vt ea colant lucri gratia, cap. secundum, ne cler. vel mon. Si tamen aliquis egeat ab Ecclesia vel ab alijs clericis conducere posset, ex sententia. Innoc. in cap. secundum. cit.

13 Ad vitæ honestatem spectat quod clerici iubentur deferre habitum, & tonsuram clericalem. Conc. cit. sess. 14. c. 6. de ref. nouissimè

autem

autem contra non deferentes habitum clericalem emanauit constitutio. Six. V. die. An. 1589. die. 5. Ian. vt sequitur.

Cum sacrosanctam, & infra. Hac nostra perpetuo valitura constitutione præcipimus, & mandamus omnibus, & quibuscunque clericis non solum in sacris, sed etiam in alijs minoribus ordinibus constitutis, & clericali tantum tonsura insignitis, & nedum beneficia Ecclesiastica qualiacunque etiam simplicia nunc, & pro tẽpore obtinentibus, & in illis vel ad ea ius habentibus, verum etiam pensiones super quibusuis fructibus, reditibus aut prouẽtibus quarumuis Patriarchalium, Primatialium, Metropolitanarum, Cathedralium, & aliarum quarumcunque Ecclesiarum seu Abbatialiũ Capitulariũ, & conuentualiũ mensarũ, necnon Monasteriorũ, Præposituraũ, Pręposita tuũ, Prioratuum, Præceptoriarum, Hospitalium, Canonicatuum, præbendarum, dignitatum, personatuum, administrationum, officiorum, & beneficiorum quorumcunque Ecclesiasticorũ, sæcularium, & quorumuis ordinum Regularium, seu illorum distributionibus quotidianis, ac iuribus, emolumentis, & obuentionibus vniuersis sibi reseruatas, aut fructus ipsos prædiauè, aut bona Ecclesiastica loco pẽsionum sibi assignatos vel assignata, ex quacunque concessione seu dispensatione Apostolica, percipientibus, etiam coniugatis, præsertim si ijdem clerici coniugati iuxta const. piæ memor. Bonif. PP. VIII. prædecessoris nostri in Concil. Trid. innouatam priuilegijs clericalibus vti velint, tam in Rom. curia degentibus, quam extra eam vbilibet gentium, & locorum constitutis, vt ipsi & eorum quilibet quantumuis exempti existant, & quouis priuilegio vel immunitate gaudeant, quacunque dilatione aut tergiuersatione postposita, debeant omnino qui in Vrbe præsentes fuerint, intra quindecim dies, qui vero citra montes intra quatuor menses, qui denique vltra montes constituti sunt intra octo menses à die publicationis pręsentium litterarum in Rom. Curia faciendæ, tonsuram, & habitum clericalem, vestes scilicet talares, aut milites infra dicendi quibus pensiones aut fructus aliauè bona Ecclesiastica reseruata sunt, suæ militię conuenientem, quacunque remota excusatione assumere, & iugiter deferre, in futurum autẽ non nisi actu clericis in habitu clericali, & tonsura, & militib. infra dicendis in militari incedentibus, suæ militiæ propria, aut alia quæcunque Ecclesiastica etiam simplicia beneficia respectiuè conferantur, aut commendentur, aut pensiones fructus vè aut bona Ecclesiastica reseruentur. Alioquin ipsos, & ipsorum quemlibet, qui quoad gestandum habitum clericalem, & militarem supradictum lapso huiusmodi tempore eorum vnicuique vt supradictum est præfixo, nostris huiusmodi præcepto, & mandato nunc & in posterum perpetuis futuris temporibus cum effe-

ctu

Etu non obediuerint, præter alias pœnas contra eos inflictas, etiam quibuscunque dignitatibus, administrationibus, officijs, canonicatibus, & præbendis ac beneficijs etiam simplicibus, & præstimonijs per eorum quemlibet in titulum, commendam, vel alias pro tempore obtentis, necnon pensionibus, & fructibus, ac prædijs, bonisque Ecclesiasticis huiusmodi quocunq; modo eis reseruatis vel reseruãdis, omnique iure sibi in eis vel ad ea quomodolibet competenti, harum serie ex certa nostra scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine priuamus, ac sine vlla alia monitione, citatione, iudicis decreto aut ministerio, ipso facto priuatos declaramus, ac tam beneficia ipsa per priuationem huiusmodi vacare, libere alijs cõferri posse, quàm etiam pensiones cassatas, extinctas esse, & fore ac fructuũ & aliarum rerum reseruationes cessare, & quenquam vlterius ad illorũ solutionem minimè teneri, & ob non solutionem censuras & pœnas aliquas incurrere non posse nec debere decernimus: ipsasq; dignitates, personatus administrationes, officia, necnon canonicatus, & præbendas & beneficia sic pro tempore vacantia, collationi prouisioni, & dispositioni, nostræ, & Romani Pontif. pro tempore existentis perpetuo reseruamus. Statuentes sic in præmissis vniuersis, & singulis per quoscumque iudices, & Commissarios etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi, facultate, in quauis causa, & instantia iudicari, & definiri debere, necnon irritũ, & inane, quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Cæterum milites quarumuis militiarum sub regula aliqua approbata canonicè institutarũ, vel alios Rom. Curiæ officiales, qui non vti clerici, sed potius tanquã milites iuxta priuilegia, & dispẽsationes Apostolicas eis in genere, vel in specie per nos aut prædecessores nostros nominatim concessa, & sub fel. recor. Pij Papæ V. prædecessoris nostri constitutione, quæ incipit, sacrosanctum. &c. huiusmodi priuilegiorum forsan reuocatoria minimè comprehensa, beneficia militiæ, quam professi sunt regularia obtinent, seu pensiones super quibusuis fructibus, reditibus, & prouentibus, Ecclesiasticis etiam prædictarum Ecclesiarum, & beneficiorum sæcularium, aut fructus ipsos sibi reseruatos percipiunt, aut obtinebunt, vel percipient, in futurum, siue clericali charactere insigniti sint, siue non sint, qui vero clerici sunt etiamsi ab initio tempore reseruationis pensionum seu fructuum huiusmodi regularem habitum nondum susceperint, nec militijs officiorum Romanæ Curiæ ascripti fuerint, sed post factas eorum cuique reseruationes, ante vel post publicationem, præsentis constitutionis milites effecti extiterint, sub præcepto, & mandato præfatis de habitu, & tonsura clericali deferendis, nolumus comprehendi,

bendi, sed ijs permittimus, vt regulari habitu militiæ, quam professi sunt conuenienti, vel si ipsi milites Roma. Cur. officiales fuerint, qui pensiones aut fructus alia vè prædia aut bona Ecclesiastica ex dispensatione seu priuilegio Apostolico percipiāt, habitu militari suprascripto absque alicuius censuræ, vel pœnæ Ecclesiasticæ incursu licitè vti valeant, & nihilominus tam beneficia sua militiæ regularia retineant, quam etiam pensiones super Ecclesiarum, & beneficiorum prædictorum etiam sæculariū fructibus, seu bona, vel fructus præfatos sibi pro tempore reseruatos percipiāt. Non obstantibus, &c.

Quæ constitutio fuit postea ab eodem Pont moderata, & declarata alia sua Const. anni eiusdem. prid. Kal. Febr. vt sequitur.

P*Astoralis, & infra. Omnibus, & quibuscumque clericis, tam in Roman. Curia. quam extra eam vbilibet gentium, & locorum constitutis, qui pensiones, fructus, aut prædia, vel bona Ecclesiastica, sibi in vna, vel pluribus vicibus reseruata, & concessa, summam seu valorem annuū 60. ducat. auri de Camera in simul nō excedētes seu excedentia percipiūt aut percipient in futurum: Ac præterea nostris familiaribus, nobis in quibusdam inferioribus ministerijs, quales sunt, qui à pedibus, seu parafrenarij, mensæ dispositores, aut credentiarij, aut dispēsatores vulgo dicuntur, & alijs similibus seruitijs actu ministrantibus, quique in futurum inseruient: necnon quibusuis nostrorum infirmorum familiarium, actu nobis in Palatio nostro Apostolico inseruientium familiaribus, continuis commensalibus, præsentibus, & futuris, qui pensiones aut fructus, bona vè Ecclesiastica loco pensionum, vsque ad quamcumque summam, & valorem nunc percipiunt, aut in posterum pro tempore percipient, vt ipsi, & eorū quilibet, in habitu, & tonsura clericali incedere minimè teneantur, sed laicali habitu impunè, & licitè vti possint, quo sua munia promptius expeditiusque obire valeant, nec pœnis in eadem constitutione inflictis subiaceant, authoritate Apostolica tenore præsentium de speciali gratia concedimus, & indulgemus, Reliquis autem nostris, aut personarum nobis inseruientium familiaribus continuis commensalibus, omnibusque, & singulis alijs tam clericis quam militibus, beneficia fructuum, vel bonorū Ecclesiasticorum reseruationes, ac pensiones obtinentibus, aut in ipsis beneficijs, vel ad ea ius habentibus in Vrbe præsentibus, tempus quindecim dierum in dicta Constit. præfixum, necdum elapsum, ad alios quindecim dies à fine dicto primi termini computādos extendimus, & prorogamus. Ac demum militibus, tam militiarum canonicè institutarum, quam Roman. Cur. officialibus, qui iuxta præfatam nostram Const. in militari habitu*

bitu incedere tenentur, vt vestibus communibus, cum insignibus tamen Crucis, aut Numismatis sua militia proprijs, vti valeant, atque hac ratione ipsius Const. præcepto plenè satisfacere censeantur pariter indulgemus. Eos vero clericos aut milites, quibus pensiones aut fructus, bona vè aut prædia Ecclesiastica ad quācumque summam reseruata, aut reseruari concessa sunt, vel post hac reseruabuntur, non aliter ad gerendum huiusmodi habitum teneri volumus, nisi postquam pensiones, fructus, aut alia præfata cum effectu exigere, aut percipere cæperint, vel per eos steterit, quominus exigant, vel percipiant. Decernentes, &c.

Quis autem habitus proprius sit clericorum nullibi determinatur, vt testatur, glo. fin. in Clem. 1. de elect. nisi quod nimia breuitas & longitudo reprobatur, cap. clerici, de vita, & honest. cler. quare
14 honestas vestium clericalium ponderabitur ex consuetudine, & vsu cuiusque regionis, cap. si quis virorum, 30. distinctione. iun. glo. ver. veste, videlicet ne sint communes cum illis quibus laici, & militares in illa regione vtuntur, gl. lo. cit. & alia gl. similis, in cap. clerici, cit. ver. deauratis. Prohibitus tamen est aliquorū vsus expressè. Vt primo vestes viridis, & rubei coloris prohibitæ sunt, Cardinalibus tantū S. Rom. Ecclesiæ ab Inn. I V. sub Concilio Lugdunensi de anno 1240. concessus fuit galeri, & purpuræ vsus. Platina in vita illius, PP.

Virgulatæ item vestes seu variatæ coloribus clericis prohibentur. Item frena, sellæ, pectoralia, calcaria deaurata, fibulæ, corrigiæ, auri, vel argenti ornatum habentes, annuli, nisi quibus ratione dignitatis est concessum, Clem. 2. de vita & honest. cler. Gregor. Tolos. partit. lib. 4. titu. 8. cap. 2. Arma item deferre, vnguentis inungi, barbam, vel comam nutrire prohibentur, cap. clerici, 23. distinctione & 21. quæst. 4. per totum.

Regulariter autem circa cultum habitus seruari à clero debet, vt neque sit vilis nimium, neque deliciosus, sed mediocris sublato excessu sæculari, & retenta dignitate Ecclesiastica, nam vt D. Hieronym. ad Eustoch. de virginit. ait, neque affectatæ sordes neque exquisitæ delitiæ conueniunt.

Excusaretur tamen clericus ab habitu decēti, si propter aliquod verisimile periculum transformari cogeretur, vel si propter paupertatem vestire se non posset, cap. clerici, cit. neque priuatus esset beneficio prout ordinat relata supra constitutio Six. V. vel priuilegio fori, propter vnicam habitus omissionem, sed ad hoc requiritur perseuerantia, & vt communiter existimetur laicus Prosper. Farinac.

in pract.crim.titu.de inquis.quæst.8.num.68. Dum etiam in itinere, vel in villa moratur clericus, vti eum posse veste talari vltra genua tantum propendente respondisse legitur Congr.Episcoporum. Episcopo Triuentinen.15.Ian.1591.

Circa bona stabilia communia Capituli,& particularia præbendarum, inquirendum est quomodo gubernentur: Alienatio prohibita Canonibus an aliqua sit facta, limites eorum quomodo defendantur: Ne locentur Iudæis, neque vltra triennium, neque anticipatis solutionibus propter prohibitionem, Concil.Triden. sess.25. cap.11.de ref.

Si non fuerit in præterito obseruatum, ordinandum est, vt certis temporibus aliqui ex capitulo deputentur, qui bona omnia tam communia quam particularium reuideant, & ex eorum relatione Capitulum, quæ viderit corrigenda, vel reparanda, illis quibus incumbit sub pœnis reparanda iniungat.

Oeconomum an habeant, & rationem redituum an singulis annis,& quo ordine ab ipso exigant, videri debet.

Domus etiam Canonicales ne locentur laicis, vel ne mulieribus concedantur ad habitandum prohiberi debet.

Priuilegia, scripturæ, libri fundationum seu actorum ecclesiæ, quo ordine teneantur,& custodiantur, quæri debet, & vt archiuiũ separatum pro ipsorum custodia habeatur, ordinari potest.

Statuta, vel ordinationes si quas habet Capitulum, visitator reuidere debet,& si quæ inuenerit irrationabilia, vel decretis Concilij Trident.seu Canonibus sacris contraria, illa cassare & annullare potest.

Videre item debet, an legata si quæ relinquuntur Ecclesiæ, secundum mentem testatorum dispensentur,& quomodo satisfaciant capitulares obligationibus missarum, anniuersariorum, si ad aliqua obligantur, tenentur enim ad missas, anniuersaria siue viuorum siue mortuorum,& alia munia, quæ antecessores ipsorum acceptauerunt, si legatũ pro quo illa munia fuerunt suscepta, cessit in vtilitatẽ Ecclesiæ, cap.significatum, de præben.ibique Abb.nu.7.Butr.ib.nume.12.& tanto magis tenerentur, si appareret ex consuetudine à prædecessoribus obseruata illa onera obeundi. vt fuisse decisum in Rota Rom.in vna Pampilonen.16. Nouemb.1588.coram Comitulo.testatur Genuen.in prax.cap.56.

Et circa eadem anniuersaria vtiliter adhuc notari potest, quod sicut missarum numerum reducere potest Episcopus ex iusta causa ad minorem numerum, seu aliter de illis disponere, ex concession e

Conc. Trid. cit. sess. 25. cap. 4. de refor. ita & anniuersaria reducere posset si subsit per ratio, vt patet ex rescripto sac. Cong. Conc. relato apud Quar. vet. missa, in hæc verba.

Perillustri ac Reuerendissimo vti frati Domino Archiep. Neapol.

PErillustr. & Reuerendiss. Domine. Cum ex libello hoc Capituli ipsius cathedralis nomine oblato cognitum esset Illustriss. Cardinalibus, qui sacra Trid. Concilij decreta interpretantur, dubitari abs te, an eiusdem Conc. decretum sess. 25. cap. 4. intelligatur etiã de anniuersarijs. Illi Amplitudini tuæ significandum censuerunt, decretum prædictum in sacrorũ etiã anniuersariorũ reductione locum habere, vt in margine ipsius libelli adscriptum est. Quamobrem Ampl. tua præfati Canonis facultate in casu proposito vti non dubitabit, & bene in Domino valebit, Romæ, die 26. Nouem. 1583.

Ampli. tuæ vti frater.

Philip. Boncomp. Card. S. Six.

De Visitatione Ecclesiæ Parochialis.

SVMMARIVM.

16 *Parochus tenetur erudire populum in rebus ad salutem necessarijs.*
17 *Prædicatori quæ sint vitanda in prædicando.*
18 *Conceptio B. M. V. an fuerit cum peccato orig. an sine, in concionibus disputari non debet.*
19 *Doctrinam Christianam tenetur docere pueros parochus.*
20 *Medici Iudæi ad ægrotos Christianos non sunt admittendi.*
21 *Sacramenta administrari debent gratis.*
22 *Missa semel tantum in die celebranda.*
23 *Festis diebus, quæ opera exercere sit licitum.*
24 *Reuerentia quanta sit seruanda in ecclesia.*
25 *Medici accedentes ad infirmos, quæ seruare debeant.*
26 *In administratione sacra matrimonij, quæ sint seruanda.*
27 *Parochum non potest liberare à residentia Episcopus.*
28 *Parochus an teneatur ad fabricam Ecclesiæ suæ ex suis prouentibus.*

EA quæ in præcedenti titulo retulimus, non solum Canonicorum visitationi, sed etiam Parochorum, & cuiusuis ex clero in

multis applicari possunt. Quæ autem specialiter in visitatione Parochi aduertenda sint, ex ijs, quæ propriè ad eius officium pertinent, facilè colligemus. Spectat autem ad ipsum, verbi Diuini prædicatio, missarum, & Diuinorum officiorum celebratio, sacramentorum videlicet Baptismi, Pœnitentiæ, Eucharistiæ, matrimonij, extremæ vnctionis administratio.

16. Vnde circa primum aduertere debet visitator, an Parochus diebus dominicis, & festis inter missarum solemnia explicet populo diuina eloquia, docendo necessaria ad salutem, quæuè sequenda, quæ fugiēda sint ad obtinendam vitam æternam. quod præcipit facere, Conc. Trid. sess. 5. cap. 2. de ref. Similiter an virtutem sacramentorum explicet, dum illa ministrat, leuia, & prophana, & discursus minus necessarios omittendo, id. Conc. sess. 24. cap. 7. de ref. Quod si circa hæc parochus negligens, vel insufficiens reperiatur, potest episcopus ex fructibus ipsius ecclesiæ assignare partem congruam fructuum alteri, qui hoc ministerium loco ipsius adimpleat. id. Conc. loc. cit. sess. 5.

Regulares, & quosuis alios ab episcopo non approbatos, in sua ecclesia prædicare ne permittat, Conc. loc. cit. nullus enim ne quidem episcopus dum est in aliena Diæcesi, prædicare potest absque Diæcesani licentia, vt respondit Clem. PP. VIII. in vna Neapol. testatur Genuen. in prax. cap. 58.

Et de habenda approbatione ad prædicandum, & de obseruandis, vitandisque in prædicatione libet hic referre ordinationem Leon. X. factam in Conc. Lateranen. vt sequitur.

17 *SVpernæ maiestatis præsidio. & infra. Sacro approbante Concilio, statuimus, & ordinamus, vt nullus tam clericus sæcularis, quam cuiuscumque etiam mendicantium ordinis regularis, aut quiuis alius, ad quē facultas prædicandi, tam de iure, quam de consuetudine, vel priuilegio aut alias pertinet, ad huiusmodi officiū exercendū admittatur, nisi prius per superiorem suum respectiuè, diligenter examinatus (qua in re consciētiam ipsius superioris oneramus) ac morum honestate, ætate, doctrina, probitate, prudentia, & vitæ exemplaritate ad illud aptus, & idoneus reperiatur, & hic quandocumque postea prædicaturus accesserit, de huiusmodi examine & idoneitate sua, per litteras authenticas seu alias sui examinatoris approbatorisque, episcopis, & alijs locorum ordinarijs fidem legitimè faciat. Mandantes omnibus, qui hoc onus sustinent, quique in futurum sustinebunt, vt Euangelicam veritatem, & sanctam scripturam, iuxta declarationem, interpretationem, & ampliationem Doctorū, quos*

Eccle-

Ecclesia, vel vsus diuturnus approbauit, legendosque hactenus recepit, & in posterum recipiet, prædicent, & explanent, nec quicquam eius proprio sensui contrarium, aut dissonum adijciant, sed illis semper insistant, quæ ab ipsius sacræ scripturæ verbis ritè ac sanè, & præfatorum Doctorum interpretationibus intellectis non discordant. Tempus quoque præfixum futurorum malorum, vel Antichristi aduentum, aut certum diem iudicij prædicare, vel asserere nequaquam presumant, cum veritas dicat, non esse nostrum nosse tempora, vel momenta, quæ pater posuit in sua potestate, ipsosque qui hactenus similia asserere ausi sunt mentitos, ac eorũ causa reliquorum etiam rectè prędicantium auctoritati, non modicum detractum fuisse constet. Inhibentes omnibus & singulis clericis secularibus vel regularibus præfatis, cęterisq; cuiuscunq; status, ordinis, & conditionis existant, qui hoc onus assument, ne de cætero in sermonibus suis publicis, alia queq; futura ex litteris sacris constanter prædicere, nec illa à Spiritu sancto vel diuina reuelatione se habuisse affirmare, & alienas inanesque diuinationes asseueranda, aut alio quocunque modo tractanda assumant, sed ex diuinæ vocis præcepto, euangelium omni creaturæ cum vitiorum detestatione, & virtutum commendatione enucleent, & declarent, & pacem ac dilectionem mutuam à Redemptore nostro tantopere commendatam vbique fouentes, non scindant vestem inconsutilem Christi, sed ab episcoporum, & prælatorum ac aliorum superiorũ eorumque status scandalosa detractione, quos coram vulgo, & laicis non modo incautè, sed etiam intemperanter reprehendunt, & mordent, & ab eis malè gestorum expressis quandoque nominibus, aperta, & manifesta redargutione abstineant. Denique constitutionem fe. re. Clementis PP. V. quæ incipit. Religiosi, quam tenore præsentium innouamus, & approbamus, inuiolabiliter ab eis obseruari debere decernimus, vt hac ratione ad vtilitatem populi prædicantes, & cum Domino lucrifacientes, talentum, quod ab illo acceperat, superlucrari, & eiusdem gratiam, & gloriam consequi mereantur. Cæterum si quibusdam eorum, Dominus futura quædam in Dei Ecclesia inspiratione quapiam reuelauerit, ut per Amos prophetam ipse promittit, & Paulus Apostolus prædicatorum princeps, Spiritum, inquit, nolite extinguere, prophetias nolite spernere, hos aliorum fabulosorum, & mendacium gregi connumerari, vel aliter impediri minime volumus. Extinguitur namque ipsius gratia spiritus Ambrosio teste, si incipientibus loqui, feruor contradictione sopitur, & tunc spiritui sancto iniuria certè fieri dicitur. Et quoniam res magni momenti est, eo quod non de facili credendum sit omni spiritui, sed sint probandi spiritus, teste Apostolo, an ex Deo proueniant, volumus vt lege ordinaria tales assertæ inspirationes, antequã publicentur, aut populo prædicentur, ex nunc Apostolicæ

stolicæ sedis examini reseruata intelligantur. Quod si sine moræ periculo id fieri non valeret, aut vrgens necessitas aliud suaderet, tunc eodem ordine seruato, ordinarijs loci notificetur, vt illi adhibitis secũ tribus aut quatuor doctis, & grauibus viris, & huiusmodi negotio cũ eis diligenter examinato, quando id expedire videbunt (super quo eorum conscientias oneramus) licentiam concedere possint. Si qui autem cõtra præmissorum aliquod committere quicquam ausi fuerint, vltra pœnas contra tales à iure statutas, excommunicationis etiam sententiam, à qua non nisi à Rom. Põtifice, præterquam in mortis articulo constituti, absolui possint, eos incurrere volumus. Et vt eorũ exemplo alij attentare similia minimè audeãt, eis prædicationis etiam officium interdictum esse perpetuo decernimus. Non obstantibus constitutionibus, ordinationibus ac priuilegijs, & indultis, & litteris Apostolicis, ordinibus, & personis præfatis, etiam in mari magno comprehensis, ac etiam à nobis forsan approbatis, innouatis vel etiam de nouo concessis, quæ quoad hoc, nolumus eis in aliquo suffragari. Nulli ergo, &c. Dat. Romæ in publica sess. in Lateran. sacrosan. Basilica solemniter celebrata, an. incar. Dom. 1516. 14. Kalend. Ianuar. Pontific. ann. 4.

Similiter prohibitum est ne prædicatores in suis sermonibus ad populum de conceptione B.M.V. in peccato originali, affirmatiuè vel negatiuè quicquam asserant, vt extrauag. Graue nimis. de reliquijs. comm. & cit. Conc. Trid. sess. 5. de peccato orig. quæ prohibitio innouata etiam fuit cum adiunctione pœnarum contra præuaricantes à Pio. V. const. sua quæ sequitur.

18 *Super specula, & infra. Nos igitur qui prædecessorum nostrorum saluberrima decreta, pro viribus salua esse cupimus, potissimum illa quæ à sacrosancta Synodo Trid. denuo sunt confirmata, liberam cuique facultatẽ relinquentes opinandi huius controuersiæ quamlibet partem, prout vel magis pium, vel magis probabilem esse iudicauerit. Prædictorum igitur concionatorum aliorumque contentioni, atque temeritati, populorumq; scandalis occurrere studentes, Motu proprio non ad alicuius nobis super hoc oblatæ petitionis instantiã, sed ex certa nostra scientia, ac de Apostolicę potestatis plenitudine, statutum. fe. re. Six. IV. prædecessoris nostri, super ea re, quod à præfata synodo innouatum est (illud præsentibus acsi de verbo ad verbum esset insertum, pro plenè & sufficienter expresso, & inserto habentes,) Apostolica auctoritate tenore præsentium, confirmamus, & approbamus, atque vt deinceps efficacius, à cunctis obseruetur, perpetuo statuimus, & ordinamus, ac per Apostolica scripta mandamus, quate-*

quatenus nemo cuiuscunque ordinis,gradus,cōditionis vel dignitatis existat,in popularibus concionibus,vel vbicunque promiscua virorum, & mulierum multitudo conuenire solet,de huius controuersiæ alterutra parte disputare,rationibus vel doctorum auctoritate asserendo propriam sententiam,& contrariam refellendo aut impugando, vel de hac ipsa quæstione,cuiusuis pietatis,aut necessitatis prætextu vulgari sermone scribere.vel dictare præsumat.Qui contrafecerit suspensionis pœnam à diuinis absque noua declaratione ipso facto incurrat,si modo fuerit in sacris constitutus,& quocunque prætereà gradu siue dignitate vel administratione fungatur,illis omnibus sit ipso iure priuatus,& ad eadem vel similia munera obtinenda,vel obeunda perpetuæ inhabilitatis censuræ,ipso etiam facto sit obnoxius,super quibus nisi à Rom.Pōtifice pro tempore existente, dispensari siue absolui non possit. Et nihilominus alijs pœnis si opus fuerit à proprio prælato pro delicti mensura infligendis subijciatur,prout subijcitur.Cæterum quamdiu per Apostolicam sedem,altera pars definita nō fuerit,oppositaque sententia condemnata, liceat viris doctis in publicis Academiæ disputationibus,siue generalium aut Prouincialium capitulorum, vel vbi alias intersunt,qui rem capere possunt,nec scandali vlla subest occasio,de illa quæstione disserere,& argumentis vtramlibet partem vel asserere vel impugnare,dum tamen neutra veluti erronea præiudicetur,seruenturque illa omnia quæ à dicto Sixto prædecessore nostro statuta sunt,quorum singula vt præfertur,etiam quantum ad alias pœnas duximus innouanda,& innouamus per præsentes,&c.Dat.Romæ.an.incarn. Dom.1570.prid.Kal.Decemb.Pont.an.5.

Indulgentias item quascunque absque ordinarij licentia Parochus publicare non debet.cit.Conc.sess.21.capit. vlt.de ref.& si in istis abusus irrepserit inquirere,& remediare tenetur visitator. id. Conc.sess.25.in decreto.de Indulg.

De sanctorum vtili,& necessaria inuocatione, & sacrarum reliquiarum veneratione iuxta Ecclesiæ vsum, videndum est an parochus populum instruat.id.Conc.loc.cit.de inuocat.Sanct.

Miracula ficta vel noua ne publicet,nisi prius fuerint ab Episcopo examinata, & approbata. Episcopus autem casibus huiusmodi miraculorum occurrentibus,singula diligenter examinare debet, adhibitis Theologis seu alijs peritis viris.Conc.loc.cit.

Nec credendum est in talibus testi singulari. Archid. in cap. nec mirum,26.quæs.5.& interrogari debent testes de singulis circumstantijs casus occurrentis,& de causis scientiæ, non enim sufficeret si diceret testis se scire quia audiuit ab alijs,vel quia manet in vicinia.

nia. Abb. in cap. venerabili. de testib. Felin. in cap. licet ex quadam, eod. titu. Cautius etiam Reuerendiss. Vicesgerens Illustriss. Card. Vicarij Vrbis nostro tempore occurrente miraculoso imaginis B. Borromæi sudore, ianuas Ecclesiæ claudi, imaginem ipsam operiri, concursum populi arceri fecit, donec ipse super facto cum peritis, & prudentibus viris sumpsisset informationem.

Videndum præterea quomodo se gerat parochus circa doctrinam Christianam, & fidei rudimenta singulis diebus dominicis, & festis pueris explicanda, iuxta ordinationem cit. Conc. sess. 24. cap.
29 4. de ref. Et ad huius præclari instituti maiorem obseruationem, emanauit quoque Pij. V. constitutio huiusmodi.

Ex debito pastoralis officij, & infra. Cupientes igitur tam pio tamque laudabili operi viribus totis fauere, & animas lucrifacere creatori, ex certa nostra scientia vniuersos, & singulos Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, cæterosque Ecclesiarum prælatos, & locorum quorumcunq; ordinarios, vbilibet constitutos præsentes, & futuros, rogamus, & hortamur attente, eis ac eorum in spiritualibus, & temporalibus Vicarijs seu officialibus generalibus per Apostolica scripta mandantes, quatenus hoc opus sanctissimum toto pectore amplectentes, aliquas Ecclesias in suis ciuitatibus, & Diœcesibus respectiuè, seu loca honesta in quibus præfati infantes, & pueri ad audiendum doctrinam christianam conuenire possint, deputent, & viros ad id idoneos vita, & moribus approbatos, qui diebus saltem dominicis eosdem infantes, & pueros, ac alias personas diuinæ legis expertes, in articulis fidei, et preceptis sãctæ matris Ecclesię instruãt, confirment, & erigant, atque tot societates seu confraternitates, quot ad hoc tam sanctissimum opus exercendum eis opportunæ videbuntur, inibi auctoritate nostra erigant, & instituant. Nos enim vt promptius, & alacrius ad hanc curam subeundam omnes Christi fideles alliciantur, & eo libentius curam ipsam suscipiant, quo ex hoc dono cælestis gratiæ conspexerint se vberius refectos, de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus, & singulis vtriusque sexus Christifidelibus verè pœnitentibus, & confessis, seu statutis à iure temporibus firmum confitendi propositum habentibus qui in aliqua dictarum societatum seu confraternitatum vbilibet constitutarum intrauerint, & adscripti fuerint, illis videlicet tam qui alios docuerint, quam qui ab alijs in articulis fidei, & præceptis ecclesiæ huiusmodi instructi fuerint, quotiescunque in præfato sanctissimo exercitio se occupauerint, quadraginta dies de iniũctis eis pænitẽtijs auctoritate Apostolica tenore præsentium misericorditer in Domino relaxamus præsentibus,

bus, perpetuis futuris temporibus valituris, &c. Dat. Romæ. die. 6. octobris. 1572.

Preterea vidẽdum est an Parochus prout tenetur, habeat Bullam Cœnæ Domini, eamque populo saltem semel in anno ad notitiam deducat. similiter, & constitutionem de medicis Hæbreis Gregor. XIII. vt sequitur.

20 *Alias piæ memoriæ, & infra. Vniuersis vtriusque sexus Christifidelibus districtè prohibemus, & interdicimus, ne posthac Iudæos vel alios infideles ad ipsorum Christianorum ægrotantium, & infirmorum curam vocent, seu admittant, aut vocari admittiuè faciant, concedant vel permittant. Mandantes propterea omnibus, & singulis venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis, nec non dilectis filijs alijs locorum ordinarijs, & quibusuis parochis alijsuè animarum curam habentibus, & exercentibus sub indignationis nostræ, ac alijs arbitrio nostro infligendis pœnis, vt præsentes litteras nostras in suis Ecclesijs quæ in illis ciuitatibus vel diæcesibus constitutæ sunt, in quibus Hæbrei, & alij infideles moram trahunt, quamprimum ad eos perlatæ fuerint, & deinde singulis annis initio quadragesimalis ieiunij publicent, aut publicari faciant, & quod si quis post earũ publicationem etiã quomodolibet exemptus, ac cuiuscunque status, gradus ordinis, conditionis, & præeminentiæ existens aduersus illas facere ausus fuerit, sacramẽta ei Ecclesiastica nullatenus ministrentur, nec etiam à Regularibus exẽptis, & sic decedens Ecclesiastica careat sepultura, Quæ quidem omnia parochi ægrotantibus significare apto tempore non omittant, præsertim cum Iudæum vel infidelẽ medicum ab eis admissum esse cognouerint, & alias ipsi locorum ordinarij contra huius mandati transgressores debita animaduersione procedant, Iudæosque ipsos nihilominus iuxta Pauli, & Pij Pontificum prædictorum litteras contra illos editas pro earum transgressione puniant. Non obstantibus, &c. Dat. Romæ. ann. 1581. Die. 30. Mart.*

Circa secundum videlicet missarum, & officiorum diuinorum celebrationem, videndum est visitatori, quomodo parochus sit frequens in missis celebrandis, & vt ad minus diebus dominicis, & festis celebret, cap. quotidie, de consecr. distinct. 2. Si autem Ecclesia abundaret fructibus, posset ipsi adiũgi capellanus vel etiam plures, quo frequentius missæ celebrentur, cit. Conc. sess. 21. cap. 4. de ref. Vt autem distinctius indagandi defectus circa missarum, & diuino-

rum celebrationem considerentur, reducendi videntur ad tria capita, ex quibus communiter omnes alij defectus emanare solent, & ista sunt, auaritia, irreuerentia, superstitio.

Quoad auaritiam prohibet Conc. sess. 22. de obser. in celeb. pacta quæuis, mercedem pro celebratione fieri; item & importunas eleemosynarum exactiones, si tamen datur aliquid gratis seu in modum eleemosynæ, licitè accipi potest, Nauar. in man. cap. 25. nume. 102. seu pro stipendio sustentationis si aliunde non habet sacerdos, quo viuat, Arm. ver. simonia, num. 19.

21 Similiter neque pro administratione aliorum sacramentorum, neque pro sepultura quicquam exigi debet, & exigens committeret simoniam, si tamen consuetudo sit circa huiusmodi aliquid accipiendi, licitè accipi potest, dummodo fiat sine pacto, & liberè sacramentum prius conferatur, cap. ad Apostolicam, de sim. & si non detur, non est propterea retardanda sacramenti administratio. Innoc. in cap. ad Apostolicam, cit. Nauar. cons. 2. de decimis, nisi forte deneganda sint sacramenta, vel sepultura, ex permissione seu mandato Episcopi, Genuen. in prax. cap. 76. num. 10.

Ad irreuerentiam autem spectat, ne missæ in Ecclesia non consecrata celebrentur. Potest tamen episcopus concedere licentiā in talibus ecclesijs celebrandi, super altari viatico seu portatili.

Neque in domibus priuatis missæ possunt celebrari, si tamen oratorium in domo priuata construatur de licentia Episcopi quod ipse potest concedere, licitè ibi missa celebraretur: magna tamen circumspectione vti debet Episcopus in ipsis concedendis, & non nisi ex causa grauis necessitatis concedere, ipsaq; oratoria postmodum singulis annis visitare obligatur, Conc. Trid. loc. cit. præcipuè autē in huiusmodi concessionibus apponi deberet. Vt oratorium decenter extructum, & ornatum, & ab omnibus actibus domesticis liberum existat. tum vt concessio intelligatur sine parochialis Ecclesiæ præiudicio, & excipiantur dies Natalis D. N. Resurrectionis, Pentecostes, quibus ibidem celebrari non liceat, sed parochialis frequentetur, quodque alij præterquā seruitio personę cuius intuitu oratorium conceditur necessarij, ibidem audientes missam, ab obligatione audiendi missam in ecclesia, per hoc non liberentur, quæ & stylus Rom. Curiæ in facultatibus extruendi oratoria huiusmodi, apponere consueuit.

Huc spectat, quod plures missæ eodem die ab eodem celebrari prohibentur, cap. sufficit, de consecr. distinctione 1. præterquam in die Natalis Domini, vel propter superuenientem depositionem corporis

22 poris defuncti, si consuetudo sit ne sepeliatur sine missa, vel si non sit Eucharistia, & necessario sit communicandus ægrotus, & vbi parochus haberet duas Ecclesias, nec habeatur, qui dicat missam in alia ecclesia, cap. consuluisti, de celeb. missæ, iun. glo. Nauar. in man. cap. 25. num. 87. vbi septem casus enumerat in quibus missa pluries eodem die celebrari potest, pęna tamen nulla statuta est contra plu ries celebrantes sine causa, vt testatur Diaz. in prax. crim. cap. 30. sed remittitur arbitrio iudicis qui secundum circumstantias delicti pœnam imponere potest, & quidem maiorem, si aliquis causa lu cri hoc fecerit, cap. sufficit, cit. & in simili casu fuisse in curia Neapol. impositam pęnam triremium per triennium refert Genuen. loc. cit. cap. 79.

Sine orario seu Stola, & alijs vestibus sacris celebrari, & alia sacramenta administrari non debent, contrafaciens iudicis arbitrio puniri posset. cap. Ecclesiastica, 23. distinctione. Diaz. vbi sup. cit. cap. 33. Neque alij ritus, ceremoniæ aut orationes adhiberi in celebratione possunt, nisi illæ, quæ sunt ab Ecclesia approbatæ, & vsu receptæ, Conc. loc. cit. Vnde & ritu græcorum celebrare Latinis, vel ritu Latino græcis prohibuit. Pius V. const. sua incip. Prouidentia, de ann. 1566. 28. Kal. Sept.

Statutis item horis celebrandum est, Conc. ibid. & horæ debitæ sunt, post horam diei tertiam, cap. nocte, distinctinctione 1. de consecr. siue, vt non celebretur post meridiem, neque ante diei lucem. Nauar. in man. cit. cap. 3. num. 86. præterquam in nocte Natiuitatis Domini, tum tamen non posse recte dici præterquam vnam missam ante lucem vult. Nau. loc. cit. num. 87. Neque priuilegio speciali aliquis se tueri potest vt missas non debito tempore, seu vespertino ce lebret. omnia enim priuilegia huiusmodi annullauit, idem Pius V. in an. 1566. constitutione sua, incipit. Sanctissimus pub. Romæ, 29. Mart. postmodum tamen Greg. XIII. indulsit patribus Socie. Iesu, vt vna hora ante auroram possint celebrare missam decreto suo incipien. quanta in vinea Domini. de ann. 1578. 9. Mart. relato in collectione priuil. mendican. Emanuelis Rod. to. 2. fol. 461.

Reliqua requisita ad celebrationem Missæ, vt nimirum ieiunus, & nocturno diei ad minus recitato, aliaque, quæ circa celebrationem obseruanda, vel euitanda sunt, videri possunt apud Siluest. Armil. Nauar. & communiter summistas locis supra cit.

Ad reuerentiam item diuinorum spectat ne publicè, & notoriè criminosi altari ministrent, vel sacris intersint, Conc. loc. cit. neque interdicti, suspensi, vel excommunicati, cap. cum desideres, cap. si-

T 2 signi-

gnificauit, de sentent. excommun. & cap. is qui, eod. tit. in 6.

Populum item obligatur monere Parochus, vt missas frequẽtet, & instruere de præcepto ecclesiæ sub peccato mortali diebus festis missam audiendi, cogi tamen non possunt, vt missam hanc audiant in Parochia, quia nimirum, Conc. loc. cit. vtitur verbo. (moneãt) & ita fuisse respõsum à S. Cong. Cõc. refert. Zerol. in prax. par. 2. ver. Parochia. Quinimo extat declaratio Leo X. qua declarat satisfieri huic præcepto si audiatur missa in ecclesijs Regularium, eius declarationis tenor relatus apud Confect. in collect. priu. mend. fol. 149. est huiusmodi.

Intelleximus quosdam in dubium reuocare, & perinde conscientijs timoratis scrupulum inijcere, si Christi fideles, qui Dominicis, & festis diebus extra ecclesias suas parochiales missas audiunt in ecclesijs Fratrum Ordinum mendicantium, ecclesiæ præcepto de missa audienda satisfaciant. Nos ambiguitatem huiusmodi penitus tollere volentes, vt cum sinceriori conscientia fideles quique Deo creatori suo seruiant, auctoritate Apostolica tenore præsentium notum facimus, omnes Christi fideles vtriusq; sexus (qui non contempto proprio sacerdote parochiali) in ecclesijs Fratrum Ordinum mendicantium Dominicis, & festis diebus missas audiunt, satisfacere præcepto ecclesiæ de missa audienda, nec in aliquam labem mortalis peccati pœnamvè propterea incurrere. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque, &c. Dat. Rom. sub annu. Piscat. die 13. Nouemb. 1517.

Non modicum etiam facit ad maiestatem decoris Ecclesiæ seruandum, apparatuum, vestium altaris, & ornamentorum ecclesiæ munda, & decens pro facultate loci custodia, vnde singula diligenter visitatori reuidenda sunt, & si quæ indecentia reperiatur corrigenda. Tecta item, & fabrica tota ecclesiæ intus, & foris circumspicienda est, & si quid reparatione indigeat prouidendum.

Quis autem teneatur ad expensas tam pro vestibus, quam pro fabrica ecclesiæ; dicendum est, quod si adsit quarta pro fabrica, ex illa sunt faciendæ expensæ, cap. vnio, 10. quæst. 3. si autem non habeatur quarta huiusmodi seu fructus separati pro fabrica, tenetur ad expensas parochus, c. decernimus, loc. cit. quæst. 1. & cap. de his, de eccl. ædif. si nimirum habeat vltra decentem sustentationẽ, quæ computatur ad centum ducatos, ita vt neque pensio imponi possit super Parochiali, nisi remaneant centum pro rectore, cit. Concil. sess. 24. cap. 13. de ref. Si autem Parochus fuerit pauper, ad expensis fabricæ ecclesiæ tenentur parochiani, & possunt ad hoc per episcopum

scopum compelli; id.Conc.sess.21.cap.4.de ref. ad conseruandam autem domū suam plebanalem tenetur omnino parochus ipse.vsu fructuarius enim ad sarta tecta seruanda obligatur,l.eum ad quem C.de vsufruct.

Non minus item ad cultum Diuinum cum decore perficiendum spectat, vt dies festi ab ecclesia instituti seu locorum vsu pio recepti seruentur, quæ obseruatio in quibusnam consistat consulendi sunt summistæ, nobis sufficiat ad hoc propositum referre sac.Congreg.Conc.declarationem relatam à Quar.ver.dies festus.

23. *Cong.Conc. censuit licere diebus festis dare operam rebus ad vitam necessarijs, ac tempore perituris præsertim tempore vindemiarum ac messium, ac recollectionis fructuum, vel si necessitas vrgeat ac suadeat pietas. Cæterum quoniam verendum est ne priuatis affectibus, domesticarumque rerum studio aliqui eo perducantur, vt hac sacrorum canonum indulgentia in alijs etiam casibus abutantur, ijdem Patres Illustriss. adijciunt ad ordinarij cuiusque iudicium ac censuram pertinere, vt dignoscat num vere vlla ex causis suprascriptis subsit, propter quam liceat diebus festis rebus seruilibus vacare vt nec dierum festorum obseruantia vlla in re violetur, nec opera illis diebus summa cum ratione permissa impediantur, &c.*

Hier.Card.Matth.

Sub eadem obseruantia dierum festorum poni potest, quod mercatus, & nundinæ diebus festiuis exerceri non debent, & ab ordinario prohiberi possunt. Steph. Gratian.in decis. Rotæ March.decis. 11.à num.17.vbi refert ad hoc propositum declarationem sac.Congreg. præfatæ occasione nundinarum Recanaten. factam relatam etiam à Quar.ver.dies festus in hoc verba.

Præceptum de Dominicis, & festiuis diebus sanctificandis, & obseruandis sub prætextu mercatuū, nundinarum, & feriarum nullatenus esse violandum. Cæterum his diebus licere Agasonibus, ac alijs iumentorum vectoribus, seu mercium conductoribus, bainlis, & alijs huiusmodi seruitutibus, ac ministris, sarcinas, & onera nundinarum causa exonerare, & deponere, inceptumque iter missa tamen prius audita, transeundo prosequi, & continuare. Non autem debere sarcinas componere, & iumenta onerare ad iter de nouo incipiendū; Neque mercatoribus aut alijs ciuibus, & viatoribus ijs diebus etiam clausis apothecis merces vēdere, emere, aut asportare licere, nisi tantum ad victum necessaria, aut alia minuscula

nuscula, & modici momenti opera iam conflata, & elaborata, pro transeuntium hospitum, aduenarum, & externorum vrgenti, & præsentanea necessitate, & opportunitate. In quo partes erunt Episcopi præpositis edictis prouidere, vt in primis hi festi dies debita obseruatione colantur, simulque populorum eo confluentium necessitatibus quantum sine diuina offensione fieri potest consulatur. Quo ad iudicia autem, quæ dominicis & festis diebus silere debent id obseruari poterit, quod iure communi permittitur, in quibusdam vrgentibus casibus, qui moram, & dilationem nō patiuntur. In quibus & alijs iurisdictionem consulum nundinis præpositorum concernentibus, constitutiones, & summorum Pont. si quæ habent priuilegia, & allegatum breue, fel. recor. Pij V. seruanda esse statuit.

Ad decorem item ecclesię facit ne ibidem conuiuia exerceantur, cap. nulli, 42. distinctione. suppellectilia profana ibi non asseruētur nisi tempore incendij, hospitalitatis, & similium, cap. 2. de cust. euchar. Laici ne presbyterium ingrediantur, dum missa celebratur, c. sacerdotum, de consecr. distinctione 2. cantus lasciui, & profani nō adhibeantur, Conc. loc. cit. de euit. in celeb.

Et ne singula circa sacrorum cultum enumerare cogamur, cum alterius potius instituti sint, & vix tractatu integro expediri queāt, solam adhuc constitutionem Pij V. circa hanc materiam editā, quæ omnino scitu rectoribus ecclesiarum, & necessaria videamus, cuius tenor sequitur.

24 *Cum primum Apostolatus, & infra. Statuimus, & ordinamus vt ad Ecclesiae sit humilis, & deuotus ingressus, quieta conuersatio, deuotis orationibus insistant, & omnes genibus flexis sanctissimum Sacramentū adorent, ad nomen Iesu Christi Domini nostri cum exhibitione reuerentiæ caput inclinent, nullus in dictis Ecclesijs seditionem faciat, tumultū excitet, clamores moueat, impetumque committat, cessent vana, fœda, & profana colloquia, risus immoderati, & strepitus omnes iudiciorum, & alia quæcunque diuinum officium perturbare possunt. Nullus intra Ecclesiae deambulare audeat, siue præsumat dum celebrantur sacra missarum misteria, & alia diuina officia. Qui vero prædicta petulanti animo contēpserint, præter Diuinæ vltionis acrimoniam, nostri quoque arbitrij pęnas incurrent, quæ omnia locorum quoque ordinarij in suis Ecclesijs facient obseruari. Quicunque vero in Ecclesijs dum ibi sacrificium missæ, & Diuina celebrantur officia, ac verbum Dei prædicatur, deambulare, vociferari, aut verso tergo ad Sanctissimum Sacramentum irreuerenter sedere, aut aliquid quod scandalum generet aut Diuina perturbet officia, facere*

præ-

præsumpserit, pœnam vigintiquinque ducatorum incurret præter alias arbitrio nostro imponendas, & moderandas pœnas, & qui non habet in ære, luet in corpore aut exilio mulctabitur. Qui vero in Ecclesijs cũ mulieribus impudicis siue etiam honestis colloquium scurrile habuerit, aut alios inhonestos actus fecerit, vigintiquinque ducatorum pœnam incurrat, & carceris per mensem. Qui in Ecclesijs vt supra obscænis, & inhonestis verbis aut signis vsus fuerit vel alia fœda colloquia cum personis quibuscunque habuerit, decem aureorum pœna mulctetur, aut alias corporaliter puniatur. Mandamus præterea omnibus, & singulis cathedraliũ collegiatarum, & parochialium ecclesiarum capitulis, Rectoribus, Vicarijs, sacristis, ostiarijs, & alijs ipsarum custodibus, quatenus præfatos omnes in Ecclesijs delinquentes admoneant, & vt in eis vetita fieri non permittant, vel saltem ipsis ordinarijs vel officialibus nostris puniendos deferant: quod si facere neglexerint, pœnam duorum aureorum vice qualibet incurrent. Pauperes quoque mendicantes seu Eleemosynas petentes per Ecclesias tempore Missarum, prædicationum, aliorumque Diuinorũ officiorum, ire non sinant, sed eos ad valuas Ecclesiarum stare faciant, sub pœna duorum aureorum capitulis infligenda pro qualibet vice, nisi eos eijci curauerint; & Parochis dimidij aurei, Religiosis etiam claustralibus siue regularibus præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ, vt in Ecclesijs suis deputent aliquem qui tales eijciat, & si negligentes fuerint, grauissimè ab ordinario corripiantur, quod si illi parere recusauerint, grauissimas pœnas incurrent, & pro qualitate personarum, etiam corporaliter punientur arbitrio nostro siue superiorum. Et vt in ecclesijs nihil indecens relinquatur, ijdem prouideant vt cripta omnes, & deposita seu alia cadauerum conditoria super terram existentia omnino amoueantur, prout alias statutum fuit, & defunctorum corpora in tumbis profundis infra terram collocẽtur. Cum vero dierum festorum obseruatio ad Dei cultum maximè pertineat, & in lege Diuina præcipiatur, cupientes abusus prauos qui ex eorũ inobseruantia inualuerunt omnino corrigere, & antiquorum canonum statuta renouantes, mandamus vt omnes dies dominici, & præcipuè in honorem Dei B. M. Virginis, Sanctorum Apostolorum feriati, cum omni ueneratione obseruentur, & omnes in diebus præfatis Ecclesias frequentent, Diuinis officijs deuotè intendant, ab omni illicito, & seruili opere abstineant, mercatus non fiant, profanæ negotiationes, & iudiciorum strepitus conquiescant. Qui vero in diebus præfatis opus aliquod illicitum fecisse deprehensus fuerit, præter Diuinam vltionem, & amissionem animalium quibus ad vecturam vtetur, etiam graues pœnas incurret arbitrio nostro seu Vicarij nostri in Vrbe, in alijs autem locis arbitrio ordinariorum vel aliorum magistratuum ita vt præuentioni locus sit. Quibus omni-

omnibus districtè præcipimus vt hæc diligenter obseruari procurent: illas autem festiuitates quæ iuxta consuetudinem locorum solemniter celebrari cõsueuerunt, iuxta laudabilem consuetudinem debita cum reuerentia obseruari faciant, sub pęnis arbitrio ipsorum imponendis, & moderandis, &c. Dat. Rom. Kal. April. An. 1566.

Superstitio demum vt corrigatur, inquirere debet visitator an aliquis circa candelarum vel missarum certum numerum vsus tenaciter seruetur, an super reb. aptis ad sortilegia, vel adhibitis verbis aut orationibus ceremonijsuè superstitiosis Diuina peragantur, talia enim prohibet Conc. loc. cit. de euit. in celeb.

Ne item missa pro defunctis ordinata, pro viuis celebretur quo illi mortis periculum incurrant, sic enim celebrans esset deponendus, cap. quicunque, 26. quæstio. 5. Diaz. in prax. citat. capitulo 35. & 39.

Imagines Ecclesię, & altarium aduertendum est an pietatem pręseferant, neuè ibi sit gestu aut corporis dispositione aliquid indecorum vel scurrile seu profanum. Ne etiam exponantur imagines aliorum sanctorum, quam illorum qui ab Ecclesia sunt approbati. cita. Conc. sess. 25. de reliquiis & vener. Sanct. Imagines item etiam in ædibus priuatis sitæ quibus populus superstitiosè abuteretur interdicendæ sunt. Siman. de cath. instit. tit. 33.

Quoad tertiam autem functionem Parochi quæ versatur circa sacramentorum administrationem plurima visitatori consideranda sunt, quorum singula facilius in ipso visitationis actu prudenti visitatori occurrere, quam scripto exprimi possunt, & satis exquisitè collecta reperiũtur, in Direct. Visit. Ant. Rest. cit. Nos ea solũ quę sæpius occurrunt, & maiori cum iactura omittuntur attingemus.

Vnde primo visitandum est Tabernaculum vbi SS. Sacramentum Eucharistiæ conseruatur, quod in Altari maiori, vel si commode ibi non poterit, saltem in aliquo ecclesię conspicuo, & nobiliori loco collocari debet, decenter pro facultatibus loci exornatum, bene clausum, & clauis ipsius non relinquatur in altari seu alio communi loco, sed penes capellanum vel Parochum custodiatur. Intus etiam decenter ornari debet, & tenēdæ sunt ibi duæ pixides, in quarum vna conseruetur. SS. Sacramentum, in altera deferatur ad infirmos, & pixides istæ non nisi super altari viatico vel super corporali collocentur, cauendum etiam ne ibidem olea sacra teneantur, sed in alio separato decenti loco. Videndum item quam frequenter renouetur. SS. Sacramētum, renouari enim debet saltem singulis octo diebus.

Ad

Ad infirmos cum defertur, non nisi præeuntibus luminarijs, sonã te campana, à Parocho seu capellano superpelliceo induto, & psalmos seu orationes inter eundum recitante deferatur. Per plateam etiam in qua habitant Iudæi deferendum non esse respondit. S. Cõgreg. Rituum. Episcopo Anconit. 22. Feb. 1593.

Circa festum Paschatis quo omnes fideles in propria Parochia cõmunicare obligantur, cap. omnis vtriusque, de pœnit. & remiss. videndum est an Parochus adhibeat diligentiam, & sciat qui præcepto non satisfecerint, deferatque superiori puniẽdos, possunt enim tales interdici ab ingressu Ecclesiæ, & si moriãtur denegari illis debet Ecclesiastica sepultura. cap. omnis vtriusque sexus, cit. Satisfacerent tamen tales præcepto Ecclesiæ si communicarẽt in Ecclesia cathedrali, Episcopus enim, & Ecclesia cathedralis concurrunt in cura animarum cum omnibus Parochis Diœcesis, cap. quæcunque, 10. quæst. 1. & quilibet ex Diœcesi recipere potest Sacramenta in cathedrali. Genuen. in prax. cap. 76. nu. 22. Similiter satisfacit præcepto communicans quocunque die hebdomadæ sanctæ vel infra octauã Paschæ seu quocunque die quadrigesimæ si sit consuetudo. Nauar. in Man. cap. 21. num. 45.

Videndum præterea ne parochus publicos, & notorios peccatores vt vsurarios publicos, meretrices, ad communionem admittat nisi ipsi constiterit de ipsorum pœnitentia; occultos tamen peccatores licet ipsis in confessione absolutionem nõ dederit, à communione quam petunt publicè, repellere non posset, ne videatur detegere peccata ipsorum occulta. Arm. verb. communio. num. 23. Nau. loc. cit. num. 55.

Periculo mortis item laborantes non nisi à Parocho viaticum sumere debent, Itaque videndum est quomodo Parochus diligens sit in reuisendis infirmis, & cohortandis ad pœnitentiam, & bene moriendum, puniendusque esset grauiter, si deprehenderentur aliqui mortui sine sacramentis negligentia ipsius, capitu. si præsbiter. 26. quæstio. 6. nullo enim casu excusari potest Parochus quominus ministret sacramenta morienti, ne quidem metu pestis seu alterius cõtagiosę infirmitatis, vt probat. Ripa. in tract. de peste. num. 147. Soarez. disp. 44. de extr. vnct. Genuen. in Man. c. 61. num. 8. Rebuff. de dispen. de non resid. num. 30.

De ijsdem infirmis à medicis curandis aptè hic referri potest cõstitutio Pij. V. de an. 1566. die 11. Mar. vt sequitur.

25 *Supra gregem dominicum, & infra. Sane cum infirmitas corporalis*

V *nonnun-*

nonnunquam ex peccato proueniat, dicente Domino languido quem sana uerat, vade noli amplius peccare ne quid deterius tibi contingat, ac propterea prouide fel. rec. Innoc. tertius prædecessor noster, medicis præceperit, vt cum eos ad ægrotos vocari contigerit, ipsos ante omnia moneāt, vt animarum medicos vocent, ne cum eis hoc in extrema ægritudine cōstitutis suadetur in desperationis articulum incidant; Nos igitur volentes hoc tam salutare præceptum nulla temporis præscriptione aboleri, sed semper obseruari, constitutionem præfatam auctoritate Apostolica tenore præsentium innouamus, & hac nostra in perpetuum valitura constitutione statuimus, & decernimus, quod omnes medici cum ad infirmos in lecto iacētes vocati fuerint, ipsos ante omnia moneant vt idoneo confessori omnia peccata sua iuxta ritum. S. R. E. confiteātur, neque tertio die vlterius eos visitent, nisi longius tempus infirmo confessor ob aliquam rationabilem causam, super quo eius conscientiam oneramus, concesserit, & eis per fidē confessoris in scriptis factam constiterit, quod infirmi vt præmittitur peccata sua confessi fuerint. Coniunctos vero ac omnes familiares, & domesticos infirmi in Domino rogamus, & monemus, vt de infirmitate Parochum certiorem faciant, ac tam parochus quam coniuncti, & familiares præfati, infirmum ad confessionem peccatorum suadeant, & inducant.

Quod si qui medicorum præmissa non obseruauerint, vltra pœnas in dicta constitutione cōtentas, quas incurrere declaramus, perpetuo infames, & gradu medicinæ quo insigniti erant, omnino priuentur, & à Collegio seu Vniuersitate medicorum eijciantur, ac pena etiam pecuniaria arbitrio ordinariorum vbi deliquerint, mulctentur. Et vt hæc omnia inuiolabiliter obseruentur, volumus, & eadem authoritate præcipimus, & mandamus, vt nullus posthac vbique locorum in medicina doctoretur, aut ei quomodolibet medendi facultas à quouis Collegio, & Vniuersitate concedatur, nisi omnia in præsenti nostra constitutione contenta, medio eorum iuramento, coram Notario publico, & testibus, obseruare in eorum manibus vel ordinarij iurauerint, & de huiusmodi iuramento in priuilegio seu licentia medēdi specialis mētio fiat. Quod si Collegia, & vniuersitates præfatę non recepto à promouendis iuramēto huiusmodi, eosdem ad gradum prædictum promouerint, aut eisdem medendi licentiam præstiterint, pœnam priuationis facultatis alios vlterius doctorandi, incurrant. Mandantes in virtute sanctæ obedientiæ omnibus, & singulis venerabilibus Patriarchis, primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, quatenus in ciuitatibus, & diœcesibus proprijs, præsentes nostras litteras publicari faciant, ac iuramentum prædictum à medicis iam promotis, seu licentiam medendi habentibus, omnibus iuris remedijs exigant, neque aliquos ad medendum in ciuitatibus, & Diœcesibus prædictis admittant, nisi eis constiterit, eosdē

iura-

iuramentum huiusmodi præstitisse, & contumaces, & iurare ac iuramentum huiusmodi iam præstitum exhibere recusantes, gradu medicinæ, & omnibus priuilegijs eisdem medicis, tam coniunctim, quam diuisim eis, & eorum cuilibet concessis per quosuis etiam Rom. Pontifi. priuent ac ab ingressu Ecclesiæ arceant donec resipuerint.

Non obstantibus præmissis priuilegijs, indultis, litteris Apostolicis, quibusuis personis, collegio, & vniuersitati sub quibusuis verborum formis, & tenoribus concessis. Quæ omnia quo ad effectum validitatis constitutionis nostræ tantũ reuocamus, cassamus, & annullamus, & omnes Principes sæculares ac alios Dominos, & magistratus temporales, rogamus, requirimus, & obsecramus per viscera misericordię Iesu Christi, eisdem in remissionem peccatorum nihilominus iniungentes, quod in præmissis omnibus eisdem Patriarchis, primatibus, Archiepiscopis, Episcopis assistant, & suum fauorem, & auxilium præstent, ac contrafacientes pœnis etiam temporalibus afficiant. &c.

Fontis baptismalis custodia reuidenda consequenter esset, num decenter pro facultate loci sit ornata, an intus sit aqua mũda, & sufficiens, & desuper cautè occlusa, & ne parochus aliquem culpa sua sine baptismo mori permittat, esset enim deponendus, si id admiserit, cap. quicumque de consecr. dist. 4.

Circa eiusdem Sacramenti administrationem videndum est ne parochus quosuis ad susceptionem ex baptismo admittat, sed tantum vnũ patrinum, & vnam patrinam, quibus etiã annunciet quodnam vinculum ex compaternitate cum ipso baptizato, baptizatiq; patre & matre contrahant: librum etiam vt habeat, in quo nomina baptizatorum, parentum compatrumque ipsorum diligenter annotentur. Conc. Trid. sess. 24. cap. 2. de ref. matr.

26 Circa matrimoniorum celebrationem videnda sunt, quæ sequũtur, nimirum ne tẽporibus prohibitis, à Dominica videlicet prima aduentus ad diem Epiphaniæ, & à feria tertia carnis priuij ad Dominicam in Albis, matrimonia solemniter celebrentur id. Conc. loc. cit. cap. 10. sine solemnitatibus tamen etiam his tẽporibus prohibitis contrahi, & consummari matrimonia, banna item publicari licitè possunt, cum solę solemnitates nuptiarum sint prohibitæ, Nau. cit. cap. 22. num. 71.

Videndum item vt ante mattimonij contractum trina denunciatio præmittatur, nisi Episcopus eam ex causa omittendam duxerit. Præterea vt in trium vel duorum ad minus testium præsentia contrahatur, alioqui omnino inualidus esset contractus, cit. Conc. ibi. cap. 1.

Secundæ item nuptiæ ne benedicantur, cap. vir. autem, de secun. nupt. nisi essent secundæ ex parte viri tantum, vt si viduus ducat virginem, tunc enim benedici possunt. Arm. ver. matrimonium, nume. 71. seu potius loci consuetudo in talibus obseruetur. Nauarr. cit. cap. 22. num. 83.

Cum autem residentia parochi ad exercitium curæ animarum præcipuè conducat, diligenter visitator aduertere debet, quomodo parochus frequens sit circa suam ecclesiam, & ne extra parochiã habitet, neque in ciuitate, sed penes ecclesiam in domo presbyterali, nevè frequenter absit, non enim potest amplius, quam per duos menses in anno abesse, siue isti menses continui sint, siue ex diuersis interpolatis absentijs computentur, & tunc adhuc non potest abesse nisi licentia ab episcopo obtenta, quæ gratis est concedenda, & substitui debet interim capellanus qui curã in absentia administret. cit. Conc. sess. 23. cap. 1. de reso. In tantum autem obligatur curatus
27 ad residẽtiam, vt ne quidem pro seruitio Episcopi, vel Diæcesis abesse possit vltra duos mẽses prædictos, quod in diuersis casibus fuisse declaratum à sac. Congr. Conc. refert. Gonz. super 8. Canc. glo. 6. num. 258. vbi legitur declaratio eiusdem Cong. in hæc verba.

An si Episcopus iudicauerit expedire vti opera alicuius curati pro Secretario, vel pro Vicario foraneo, possit abesse, vel excusetur à residentia, dummodo cura suæ Ecclesię diligenter exerceatur.
Cong. censuit non posse.

Et iterum.

Episcopus non potest vti opera parochi in visitatione, vel alio seruitio suæ Diæcesis, nisi pro tempore duorum mensium, & idoneus vicarius deputetur.

Eandem congregationem censuisse, quod etiam rector parochialis ecclesiæ, cui datus est coadiutor, & etiam ipse coadiutor teneatur ad residentiam, refert idem Gonz. ibid. glo. 4. §. 9. num. 15. & 30.

In casibus tamen à iure permissis quos notat gl. in ca. vlt. de cler. non resid. abesse posset, vt causa infirmitatis si inciderit in morbum dum esset extra parochiam, vel si eat ad curandam valetudinẽ; Propter graues inimicias ex quibus verisimiliter immineret ipsi vitæ periculum, dummodo Vicariũ pro exercitio curæ relinquat, & interim reconciliationem procuret, quod si culpa ipsius infra annum reconciliatio non haberet effectum, puniri posset, vt notat. Quar. cit. verb.

verb. residentia. Aliæ autem causæ à residentia excusantes licet non iuuent curatos, alijs tamē beneficiatis seruire possunt, vt eas enumerat Rebuff. loc. sup. cit.

Ad extremum De bonis, & prouentibus Ecclesiæ Parochialis videri debet quomodo administrentur, ne desolentur, vel alienentur
28 neuè locentur vltra triennium, vel anticipatis solutionibus. Si etiā exiguos fructus haberet Ecclesia, deberet visitator seu Episcopus prouidere vt necessaria Parocho non desint, vel per assignationem aliquarum decimarum, vel compellendo parochianos vt ipsi necessaria subministrent, cit. Conc. sess. 21. cap. 4. de ref. Vel etiam vnire posset duas parochiales, vbi vna non sufficeret ad sustentationem Rectoris, & populus non sit ita frequens vt vnus curæ animarum sufficere non possit Conc. loc. cit. cap. 5.

Posset, & nouam parochialem ecclesiam erigere vbi parochia esset tam ampla vt per vnum administrari non possit, vel vbi populo, ob locorum distantiam ad vnam ecclesiam difficilior pateret accessus. Et tum posset dotari noua ecclesia ex fructibus prioris ecclesiæ matricis si ipsa abundet fructibus, sine tamen præiudicio possessoris, vel ex collectis parochianorum. Conc. lo. cit. cap. 4.

De Visitatione ecclesiarum Græcorum.

SVMMARIVM.

29 *Græcorum Catholicorum ecclesiæ subduntur Episcopo loci.*
30 *Græcorum ritus in quibus tolerantur ab ecclesia.*

GRæcorum Ecclesiæ, qui ad vnitatem San. Rom. Ecclesiæ, Catholicæ redierunt, subduntur Episcopo Latino, in cuius Diæcesi existunt, cap. quod translationem, de tempor. ordin. & recenter emanauit super hoc constitutio Pij Papæ Quarti, vt sequitur.

Pius Papa IV. Ad futuram rei memoriam.

ROmanus Pontifex præcipuus æquitatis, & religionis assertor, facultates, & gratias ab Apostolica sede concessas, ex quibus tempore procedente animarum pericula, & inter Catholicos scandala prouenire animaduertit, pro sui pastoralis officij debito maturè reuocare consueuit.

n.t. Sane nonnulli locorum ordinarij nuper ad audientiam nostram referri curarũt, quod in quam pluribus Regni Siciliæ citra, & vltra pharum & alijs Christiani nominis ciuitatibus, & locis, magna Græcorum, tam Religiosorum, & sæcularium clericorum, quam laicorum multitudo reperitur, qui ecclesiæ Græcæ mores, & ritus obseruantes, seque suos proprios eiusdem nationis prælatos habere, ac illis, non autem locorum ordinarijs subesse, sed immunitatum, aliorumque priuilegiorum sibi per fe. re. Leonem X. Paulum III. Iulium etiam III. & forsan alios Rom. Pont. prædecessores nostros, & dictam sedem antiquitus concessorum prætextu, se ab eorundem ordinariorum iurisdictione, & superioritate exemptos esse prætẽdẽtes, impunitate sibi proposita, in diuersas hæreses, nefariasq; opiniones, & absurda deliramenta passim prolabuntur, asserentes inter alias eorum blasphemias nullum esse defunctorum purgatorium, Rom. Pontif. aliquam in eos iurisdictionem, vel auctoritatem habere negantes, indulgentias ab illo concessas damnantes, ecclesiasticas sententias, & censuras ab eo latas spernentes, sanctissimæ Dei genitricis Virg. Mariæ, Beatorum Apostolorum, & aliorum Dei sanctorum festiuitates ab ecclesia Romana sanctisque patribus ordinatas non obseruãtes, sanctissimum Eucharistiæ sacramentum suis infantibus in Baptismo exhibentes, inhumata defunctorum cadauera superstitione quadam impia, & plusquam barbarica è sepulchris eruentes igneque comburentes, Ordinariorum, locorum quos habitant visitationem iurisdictionemque contemnentes, & ecclesiasticam disciplinam perturbantes, ac demum huiusmodi alijsque suis opinionibus erroneis atq; sacrilegis, populos Latinos inficientes, correctionẽ legitimã suæ prætensæ exẽptionis clypeo repellentes, in suis impietatibus abusibusq; cõsenescunt, & immoriũtur, & in suarũ vicinorumq; populorũ præsertim simpliciũ animarũ perniciẽ, & scandalũ plurimorũ. Nos igitur prouidè considerantes, eiusdẽ sedis intentionẽ nunquã fuisse, exẽptionẽ aliudvè priuilegiũ à se concessum iri, vt inde scelerũ impunitas & aĩarum periculum emergat, abusibus, & periculis huiusmodi, quantum cum Deo possumus, tempestiuè obuiare volentes, ac quarumcunque exemptionum, aliorumque priuilegiorum dictis Græcis eorumque prelatis, rectoribus, Abbatibus, & alijs, tam S. Basilij, & alterius ordinis regularibus, quam sæcularibus ac etiam laicis personis quocumque nomine nuncupatis, per prefatos, & alios quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos, & sedem prefatam in genere, vel in specie hactenus concessorum, ac etiam iteratis vicibus approbatorum, & innouatorum, litterarumque desuper confectarum, & inde sequutorum tenores, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, motu proprio, & ex certa scientia nostra, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, omnes & singulas exemptiones,

nes, ac prout illas concernunt, desuper confectas litteras præfatas, ad hoc videlicet, vt ipsi locorum ordinarij quascumque Grecorum ecclesias, monasteria, prioratus, & alia pia loca, tam sæcularia, quam cuiusuis ordinis regularia, earumque prælatos, etiamsi Episcopali, Archiepiscopali, ac maiori dignitate præfulgeant, necnon Abbates, Rectores, ministros, & quasuis alias eiusdẽ nationis personas, in suis ciuitatibus, & Diæcesib. consistentia, quoties opus fuerit, visitare, ac in illis suam ordinariam iurisdictionem, plenamque, & omnimodam superioritatem, in ijs, quæ Dei cultum, sacramentorum administrationem, & animarum salutem, hæresumque extirpationem concernunt, exercere, & exequi liberè, & licitè valeant, reliquis ipsorum Græcorum in diuinis celebrandis, alijsque ritibus à sede Apostolica approbatis, nec nõ priuilegijs & gratijs Apostolicis intactis remanentibus, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo reuocamus cassamus, & annullamus, ac reuocatas, cassatas, & annullatas esse, nec ipsis Græcis clericis, vel laicis, eorũve Prælatis, Ecclesijs, Cœnobijs, aut alijs pijs locis in aliquo suffragari, sed illos omnes, & singulos, locorum, in quibus moram traxerint, ordinariorum visitationi, correctioni, punitioni, iurisdictioni, & oĩmodæ superioritati in præmissis subesse, illisque tanquam superioribus suis, suarumque animarum pastoribus humiliter obedire, & sic per quoscumque iudices, & Commissarios quauis auctoritate fungentes, etiam S.R.E. Cardinales, sublata eis quauis aliter iudicandi facultate, iudicari & definiri debere, ac quicquid secus à quoquã quauis auctoritate, scienter, vel ignoranter attentari contigerit, irritum, & inane decernimus. Non obstantibus premissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis ceterisque contrarijs quibuscumque. Per hoc tamen non intendimus, quod ipsi Greci ab eorum Grecanico ritu abstrahantur, vel alias desuper quoquomodo per locorum ordinarios, aut alios impediantur. Et quia difficilè foret, presentes ad diuersa loca in quibus illarum exhibitio forsan erit necessaria, circumferri, volumus, & eadem auctoritate similiter decernimus, quòd earundem presentiũ transumptis ẽt impressis, Notarij publici manu subscriptis, & personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ sigillo signatis, plenaria & indubia, eaque prorsus adhibeatur fides in iudicio, & extra, quę præsentibus adhiberi deberet, si forẽt exhibitæ, vel ostensæ. Dat. Romę apud S. Petrum sub annulo Piscator. die 16. Feb. 1564. Pont. anno 5.

Quæ autem Episcopo visitãti, in huiusmodi Ecclesijs Grecorum, saluis eorum quoad reliqua ritibus, aduertenda sint & corrigenda, facile ex subinsertis constitutionib. Romæ ex mandato Clem. Papæ VIII. impressis, petebit, vt sequuntur.

Per-

Perbreuis instructio super aliquibus ritibus Græcorum ad Reuerẽdiss. Patres DD. Episcopos Latinos, in quorum ciuitatibus, vel Diœcesibus Græci, vel Albanenses Græco ritu viuentes degunt, ac litteræ quædam Apostolicæ ad ipsos Græcos, & eorum ritus pertinentes, necnõ forma professionis fidei orthodoxę à Græcis ad vnitatem S.R.E. venientibus facienda, mandato sanctissimi D.N.D. Clem. Papæ VIII. simul excussæ Romæ, apud impressores camerales, Anno Domini 1597.

Circa Sacramentum Baptismi.

Præsbiteri Græci, baptizatos chrismate in fronte non consignent, & ideo ab ipsis in ordine baptismi apud eorum euchologium prætermittantur, quæ sequuntur post illa verba. καὶ μετὰ τὴν ἀρχὴν, *&c. vsque ibi.* εἶτα ποιεῖ ὁ ἱερεὺς σχῆμα κύκλου; *hoc est, & post orationẽ, &c. (vbi habetur forma huius consignationis, vsque ad verba. postea facit sacerdos figuram circuli, &c.*

Circa sacramentum Confirmationis.

Episcopi Latini infantes seu alios baptizatos, à presbyteris Græcis de facto chrismate in fronte consignatos confirment, & tutius videtur, vt cũ cautela, & sub conditione id faciant, videlicet (nisi es cõfirmatus, ego te non confirmo, sed si non es confirmatus, ego consigno te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti) præsertim vero cum verisimiliter dubitari potest, quod ab Episcopis Græcis fuerint baptizati.

Circa sacramentum Eucharistiæ.

Sanctissimum Eucharistiæ sacramẽtum, quod pro infirmis asseruatur, singulis octo diebus, aut saltem quindecim renouetur.

Non asseruetur idem sacramentum toto anno, si tamen asseruatum fuerit, saltem in fine anni sumatur.

Tollatur abusus tundendi, vel etiam miscendi sacro oleo, ac iterum coquendi, vel alias exsiccandi species sacramenti sacræ Eucharistiæ feria quinta Cœnæ Domini, vt deinde illud asseruent.

Si Græci velint accipere altaria portatilia ab Episcopis Latinis consecrata, bene erit, sin minus, tolerentur eorum, thioni siue throni super altaria lapidea ponendi cum celebrant.

Corporalia vti Latini habeant, nisi thionis etiam pro corporalibus vtantur.

Circa

Circa sacramentum Pœnitentiæ.

In casu necessitatis presbyteri Græci catholici, possint Latinos absolue re; vtantur forma absolutionis in generali Concilio Florentino præscripta, & postea si voluerint, dicant orationem illam deprecatiuam, quam pro forma huius absolutionis dicere tantum consueuerunt.

Tollendus abusus vbi est, vt vir atque vxor, simul, & eodem tempore, eidem presbytero confiteantur.

Aqua ex ritu Græco in die Epiphaniæ, vel primo die mensis benedicta, conseruetur in ecclesia, vt illa fideles aspergantur.

Circa oleum sanctum Cathecumenorum, & infirmorum.

Non sunt cogendi presbyteri Græci olea sancta, præter chrisma, ab Episcopis Latinis Diœcesanis accipere, cum huiusmodi olea ab eis in ipsa oleorum, & sacramentorum exhibitione ex veteri ritu conficiantur, seu benedicantur. Chrisma autem quod non nisi ab Episcopo, etiam iuxta eorum ritum, benedici potest, cogantur accipere. Probibeantur vero ab episcopis Græcis externis schismaticis seu San. Roma. Eccle. communionem non habentibus, illud accipere, vel eo vti.

Circa sacramentum Ordinis.

Ordinati ab episcopis schismaticis, aliàs ritè ordinatis seruata debita forma, recipiunt quidem ordinem, sed non executionem.

Proinde ordinati ab episcopis schismaticis, correcti, vel emendati, reconciliandi sunt, & absoluendi cum pœnitentijs salutaribus, dummodo errores, vel saltem schisma ordinatoris abiurent in iudicio, vel publicè, vel secretò pro qualitate facti. In ordinibus autem per eos alias ritè susceptis ministrare non permittantur, nisi cum ipsis super irregularitate, huiusmodi occasione contracta, auctoritate sanctæ sedis Apostolicæ fuerit dispensatum.

Non sunt admittendi, episcopi schismatici, siue pro ordinibus, siue pro alijs sacramentis conferendis, sed detinendi, quoad sancta sedes Apostolica desuper consulatur, & responsum habeatur.

Græci sine litteris dimissorijs episcopi Latini Diœcesani ad sacros ordines promoti, suspensi sunt, & si suspẽsi in suis ordinibus ministrauerint, efficiuntur irregulares, sicut & Latini.

Super huiusmodi autem & similibus irregularitatibus, dispensandi facultatem à sancta sede Apostolica, obtineri oportet.

Si Episcopus Latinus Grecum aliquem ordinare voluerit, qui à presbytero Græco in baptismo chrismate in fronte de facto fuerit consignatus, debet illum antea confirmare, saltem sub conditione, videlicet. Nisi es confirmatus, &c. vt supra.

Presbyteri vidui seu vxoribus orbati, habitum deferãt diuersũ ab alijs.

Circa sacramentum Matrimonij.

Curent ordinarij locorum, vt decretum sacri generalis Concilij Trid. de reformatione matrimonij, vertatur in linguam Grecam vulgarem, & in locis, & parochijs Grecorum, Albanensium euulgetur, & publicetur. Matrimonia inter coniuges grecos dirimi, seu diuortia quoad vinculum fieri, nullo modo permittãt, aut patiantur, & si qua de facto processerunt, nulla & irrita declarent.

Maritus Latinus, vxoris grecę ritum non sequatur.

Latina vxor non sequatur ritum mariti greci.

Græca vero vxor sequatur ritum mariti Latini.

Quod si id fieri non possit quisque coniugum in suo ritu, Catholico tamen manere permittatur.

Proles sequatur patris ritum, nisi præualuerit mater Latina.

Presbyter græcus coniugatus ante sacrum sacrificium, seu sanctam missam celebrandam, vel per hebdomadam, vel per triduum abstineat ab vxore.

Circa alia dogmata.

Græci credere tenentur, etiam à filio spiritum sanctum procedere, sed non tenentur pronunciare, nisi subesset scandalum, præsertim si degant inter Latinos, aut necessitas postularet confitendi fidem Catholicam, quia tunc oporteret etiam pronunciare.

Nunquam monachis Græcis, seu Calogeris, animarum cura committatur, nisi ex necessitate, vel alia iusta causa.

Presbyteri sæculares Græci abiuratis schismate, & erroribus, atque in fide Catholica benè instructi, in parochialibus seu curatis ecclesijs Græcorum institui possunt.

Tolerandus est apud Grecos vsus carnium die sabbathi, vbi sine scandalo fieri potest, in locis tamen ipsorum, & inter eos tantum.

Item tolerandum est, vt ad ieiunium eadem die sabbathi in quadragesima, excepto vno sabbatho sancto, ex antiqua traditione non teneãtur, sed duntaxat ad abstinentiam.

In ieiunijs biduanis, vel triduanis, vel alias à Diœcesanis, vel in iubileis à summo Rom. Pontifice indictis, dies sabbathi in eis comprehensus,

vel

vel præscriptus, in alium diem pro plebibus Græcis ab ipsis Diœcesanis Apostolica authoritate sanctissimis D.N.Clementis diuina prouidentia Papæ VIII.permittitur commutari.

Si ipsi Greci ad obseruationem ieiuniorum, & vigiliarum Latinę Ecclesiæ induci possent, optimum esset, sed non cogantur, cum ipsi qualibet hebdomada, & feria quarta, & sexta ieiunent.

Græci existentes inter Latinos, dies festos de præcepto eiusdem Latinæ Ecclesię, seruare teneantur.

Insuper idem Sanctissimus.D.N.constituit, Romæ habendum esse Episcopum Græcum Catholicum, qui Græcos Episcopis Latinis Italiæ, & Insularum adiacentium subiectos, ab episcopo Græco ordinari volentes, cum illorum dimissorijs, ad id tantum concedendis, ritu Græco ordinet.

Item mandauit, vt ad maiorem instructionem dominorum Episcoporum Latinorum, imprimantur cum hac ipsa Decretales seu litterę quadā Apostolicæ, ad Græcorum ritus pertinentes, ac etiam professio orthodoxæ fidei à Græcis, qui ad vnitatem sanctæ Roman. Ecclesiæ veniunt facienda.

Ita Sanctitas sua ex sententia Congregationis super reformatione Græcorum, decreuit, & declarauit, ac fieri mandauit. Romæ in Palatio montis Quirinalis apud S.Marcum die.31.mensis Augusti Anno Domini. 1595.Pontifi.sui an.4.

Iul. Ant.Card.S.Seuerinę.

Innocentij PP. IIII. Bulla seu litteræ ad Episcopum Tusculanū. Apostolicę sedis Legatum in Regno Cypri, quæ extant in eius Regesto Bullarum Pontificatus sui anno.II.apud Bibliothecam Vaticanam super ritibus Græcorum qui tolerari vel non tolerari possunt.

Innocentius.IV.&c.Episcopo Tusculano Apostol.Sedis Legato.

Sub Catholicæ professione fidei atque cultu consistere, ac proficere vniuersos, cæteris nostræ mentis desiderabilibus præferentes, illud tanquam acceptabilius pleniori desiderio cupimus, & ad hoc velut operatiuum salutis præcipuum intimis affectibus anxius aspiramus. Hæc inquam vnio, siue connexio cordi nostro inæstimabilis gaudij rorem infunderet, si varias gentium nationes eiusdem obseruantia fidei, in vnum acceptabilem in Christo populum adunaret. Id vtique anxiæ mentis nostræ ardorem affluentis lætitiæ refrigeraret irriguo, si omnes quos olim in vnum Catholi

cum gregem ouile collegit Domini, cum multi ab eo discesserint, In idē indiuiduū Collegium vnius pastoris solidaret magisterium, & custodia communiret. O si orientalibus oriens ex alto luceret, & sui luminis illustratione ipsos ad Catholicam reduceret vnitatem, vt cum reliquis orthodoxis in vnius aulæ collecti gremio, de matris Ecclesiæ vbere, fluenta doctrinæ salutaris haurirent, tunc ipsi Ecclesiæ proueniret magnū, & desiderabile salutare; tunc eius vterus sobole geminata concresceret, tūc Orientalibus oriretur supernæ illuminationis aurora, tunc eis claresceret lucifer veritatis: tunc per vniuersam Ecclesiam innundantis gaudij erumperet plenitudo: tunc exultatione nimia, clauresceret totus orbis, quia valde bonum, & iucundum existeret, fratres simul in domo Domini habitare: tunc eadem Ecclesia multiplicata lætitia, nouæ iucunditatis canticum personaret. Verum quia nonnulli Græcorum iamdudum ad deuotionē Sedis Apostolicæ redeuntes, ei reuerenter obediunt, & intendūt, licet expedit vt mores ac ritus eorum, quantum cum Deo possumus, tolerantes, ipsos in Ecclesiæ Romanæ obedientia præseruemus: quanquam in his quæ animarum periculū parerent, vel honestati Ecclesiasticæ derogarent, nec debeamus illis deferre aliquatenus, nec velimus. Sane inter Ven. Fratrem nostrum Archiepiscopum Nicosien. & eius Suffraganeos Latinos ex parte vna, & Episcopos Græcos Regni Cypri ex altera, de quibusdam certis articulis, discordiam, & turbationem forte subortam, & eorundem tenorem articulorum, ac responsiones ipsorum Græcorum ad illos; nobis vt melius possemus instrui super eis, plenè ac prouide per tuas litteras intimasti, sollicitè requirendo, vt prouidere super hoc Apostolica diligentia curaremus. Nos autem litteris ipsis affectuosè receptis, earum seriem, & ipsos articulos, ac responsiones easdem, & cætera quæ continebantur in illis, vnacum Fratribus nostris, perlegimus, intelleximus diligenter, prudentiam tuam multipliciter in Domino commendantes, & meditantes; ac deliberantes super his, prout rei qualitas exigebat.

1 *Circa hæc itaque sic deliberatio nostra resedit, vt Græci eiusdem Regni, in vnctionibus quæ circa Baptisma fiunt, morē Ecclesiæ Romanæ teneāt,*
2 *& obseruent: Ritus vero, seu consuetudo, quam habere dicuntur vngendi per totum Baptizandorum corpora, si tolli sine scandalo, vel remoueri nō potest, cum siue fiat, siue non, quātum ad baptismi efficaciam vel effectū,*
3 *non multum referat, toleretur. Nec refert etiam vtrum in frigida vel calida aqua baptizent, cum parem vim, & effectum in vtraque baptismum*
4 *habere, asseuerare dicantur. Soli autem Episcopi consignent Chrismate in frontibus baptizatos, quia huius vnctio non debet nisi per Episcopos exhiberi, quoniam soli Apostoli, quorum vices gerunt Episcopi, per manus impositionem, quam confirmatio, vel frontis chrismatio repræsentat, Spiritum*

ritum

ritum Sanctum tribuisse leguntur.
5 *Singuli quoque episcopi in suis ecclesijs in die Cænæ Domini, possunt*
secundum formam Ecclesiæ, chrisma conficere, ex balsamo quidē, & oleo
oliuarum. Nam Spiritus sancti donum, in chrismatis vnctione cōfertur,
& columba vtique, quæ ipsum designat Spiritum, oliuæ ramum, ad arcā
legitur retulisse: sed si suum antiquum ritum, in hoc Græci potius seruare
voluerint, videlicet quod Patriarcha, vna cum Archiepiscopis, & Epi-
scopis eius Suffraganeis, & Archiepiscopi cum Suffraganeis suis simul
6 *chrisma conficiant, in tali eorum consuetudine tolerentur. Nullis autem*
per sacerdotes vel Confessores pro satisfactione pœnitentiæ vnctio aliqua
7 *solummodo iniungatur. Infirmis vero, iuxta verbum Iacobi Apostoli, vn*
ctio exhibeatur extrema. Porro in appositione aquæ, siue frigidæ, siue cali
dæ, vel tepidæ, in altaris sacrificio, suam si velint consuetudinem Græci
sequantur, dummodo credant, & asserant, quod seruata canonis forma cō
8 *ficiatur pariter de vtraque. Sed eucharistiam in die Cænæ Domini conse*
cratam, vsque ad annum, prætextu infirmorum, vt de illa videlicet ipsos
cōmunicent, non reseruent; liceat tamen eis pro infirmis ipsis corpus Chri
9 *sti conficere, ac per quindecim dies, & non longiori temporis spatio, con-*
seruare, ne per diutinam ipsius reseruationem, alteratis forsitā speciebus,
reddatur minus habile ad sumendum, licet veritas, & efficacia, semper ea
dem omnino remaneat, nec vlla vnquam diuturnitate, seu volubilitate tē
10 *poris euanescat. In celebratione vero solemnium, & aliarum missarum,*
& de hora celebrandi eas, dummodo in confectione vel consecratione for
mam verborum à Domino expressam, & traditam obseruent, & celebrā
do non transgrediantur horam nonam, suam sequi consuetudinem permit
11 *tantur. Sacerdotes autem dicant horas canonicas more suo, sed missam*
celebrare, priusquam officium matutinale compleuerint, non præsumant.
12 *Promouendi vero ad Sacerdotium, & Præsbyteri qui preficiendi fuerint*
Ecclesiarum regimini, examinentur antea diligenter, si præcipuè de horis
canonicis, & missarum officijs, secundū distinctionem temporum exequē
dis, sint sufficienter instructi, vt ad hæc nisi digni, & idonei admittantur.
13 *Cæterum vnusquisque sacerdos, in aureo vel argenteo solum, aut saltem*
stamneo calice sacrificet, habens corporale de lino candidum, & nitidū,
& altare mundis vestimentis opertum, vel decentibus paramentis. Mu-
14 *lieres autem seruire ad altare non audeant, sed ab illius ministerio repel-*
lantur omnino. De ieiunio vero diei Sabbathi Quadragesimali tempore,
15 *quanquam honestius, & salubrius Græci agerent, si sic toto illo tempore*
abstinerent, vt nec vnico die institutum ieiunium violarent, teneant, &
16 *seruent pro libitu morem suum. Sacerdotes quoque coniugati, & alij qui*
bus parochiarum cura, vel ecclesiarum parochialium regimen per episco-

pos.

pos suos committitur, licitè ac liberè possint parochianorum suorum confessiones audire, ipsisque pœnitentiam iniungere pro peccatis: quia cui licet vel conceditur, quod est maius, cõpetit nimirum, nec negari conuenit,
17 *quod est minus: liberũ tamen sit ipsis episcopis, viros alios idoneos coadiutores, & cooperatores habere, in audiẽdis confessionibus, & pœnitentijs iniũgẽdis, ac cæteris quæ ad salutẽ pertinẽt animarũ, ipsisq; in his per eorũ diæceses absque sacerdotũ ipsorum prҫiudicio, & grauamine, committere vices suas, cum propter occupationes multiplices, & occasiones varias possit contingere, quod nequeant per easdem diæceses officium suum exequi per se ipsos. De fornicatione autem quam solutus cum soluta com*
18 *mittit, quin sit mortale peccatum, non est aliquatenus ambigendum, cum tam fornicarios quam adulteros à Regno Dei Apostololus asserat alienos.*

19 *Ad hæc volumus, & expresse præcipimus, quod episcopi Grҫci septem ordines secundum morem ecclesiҫ Romanҫ de cætero conferant, cum huc usque tres de minoribus circa ordinandos neglexisse vel prҫtermisisse dicantur. Illi tamen qui iam sunt taliter ordinati per eos, propter nimiam ipsorum multitudinem in sic susceptis ordinibus tolerentur.*

20 *Quia vero secundum Apostolum mulier mortuo viro ab ipsius est lege soluta, vt nubendi cui vult in Domino liberam habeat facultatem, secũdas et tertias, ac vlteriores etiam nuptias Græci non reprehẽdant aliquatenus, nec condemnent, sed potius illas approbẽt inter personas, quæ alias licitè ad inuicem matrimonio iungi possunt. Secundo tamen nubentes,*
21 *prҫsbyteri nullatenus benedicant.*

22 *Et quoniam apud eos consueuerunt contrahi matrimonia inter personas contingentes se, iuxta eorum computationem, octauo gradu, qui secũdum cõputationem, & distinctionem graduum, quam nos facimus, apud nos quartus habetur, ne id præsumatur deinceps, firmiter prohibemus, districtè præcipientes, vt cum in vlterioribus gradibus licitè matrimonia contrahantur, in prædicto quarto consanguinitatis vel affinitatis gradu, copulari vlterius non præsumant, statutum in hoc generalis Concilij obseruantes. Illos tamen qui iam in gradu huiusmodi contraxerunt, dispen-*
23 *satiuè permittimus in sic contracto matrimonio remanere. Denique cum veritas in Euãgelio asserat, quod si quis in spiritum sanctum blasphemiam dixerit, neque in hoc seculo, neque in futuro dimittetur ei, per quod datur intelligi, quasdam culpas in præsenti, quasdam vero in futuro posse sæculo relaxari, & Apostolus dicat, quod vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit, & cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem saluus erit; sic tamen quasi per ignem; & ipsi Græci verè ac indubitanter credere, ac affirmare dicantur, animas illorum*

rum qui suscepta pœnitentia, ea non peracta, vel qui sine mortali peccato cum venialibus tamen, & minutis decedunt, purgari post mortē, & posse suffragijs ecclesię adiuuari. Nos, quia locum purgationis huiusmodi dicunt non fuisse sibi ab eorum doctoribus certo, & proprio nomine indicatum, illum quidem iuxta traditiones, & authoritates Sanctorum patrum purgatorium nominantes, volumus quod de cætero apud ipsos isto nomine appelletur, illo enim transitorio igne, peccata vtique, non tamen criminalia, seu capitalia, quæ prius per pœnitentiam non fuere remissa, sed parua, & minuta purgantur, quę post mortem etiā grauant, si in vita nō
24 *fuerint relaxata. Si quis autem absque pœnitentia in peccato mortali decedit, hic proculdubio ęternę gehennę ardoribus perpetuo cruciatur. Ani*
25 *mę vero paruulorum post baptismi lauacrum, et adultorum etiam in charitate decedentium, qui nec peccato, nec ad satisfactionem aliquam pro ipso tenentur, ad patriam protinus transuolant sempiternam.*

26 *Ordinationes demum, & instituta regularia sanctorum patrum de vita & statu Monachorum, pręcipimus ab Abbatibus, & Monachis, Gręcis inuiolabiliter obseruari. Fraternitatem itaque tuam hortamur, attentè per Apostolica tibi scripta mandantes, quatenus præmissa omnia Episcopis Græcis præfati Regni seriatim, & diligēter exponi facias, districtè ipsis iniungens, vt ea sollicitè attendere, studiosè tenere ac efficaciter procurent, & à suis faciant subditis obseruari. Memoratis autem Archiepiscopo Nicosien. & eius Suffraganeis Latinis, firmiter authoritate nostra præcipiat, vt eosdem Græcos super præmissis contra huiusmodi prouisionem, & deliberationem nostram, non inquietent aliquatenus, nec molestent, Contradictores eadem authoritate, appellatione postposita cōpescendo. Non obstantibus, si prædictis Archiepiscopo, & suffraganeis, & quibuscunque alijs à sede Apost. sit indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas, plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum non facientes de indulto huiusmodi mentionem. Datum Lateran. 2. Non. Mar. anno. 11.*

De visitatione beneficiorum simplicium, Seminarij, Confraternitatum, Hospitalium.

SVMMARIVM.

31 ***Missarum onera in fundatione beneficio apposita diminui non possunt.***
32 ***Infirmus quando excusatur ab oneribus beneficij.***

Benefi-

33 *Beneficium obtinens simplex non tenetur ad personale exercitium onerum beneficij.*
34 *Parochi functiones quæ sint propriæ.*
35 *Seminarium scholarium quomodo visitandum.*
36 *Confraternitates laicorum quomodo visitandæ.*
37 *Confraternitates cogi non possunt ad processiones.*
38 *Hospitalia quando visitari possint.*

Circa visitationem Capellarum, altarium, seu quorumuis beneficiorum simplicium, vltra ea quæ de moribus ipsius beneficiati corrigendis ex superioribus cognosci possunt. Videri debet titulus, quo beneficium possidet, litteræ item ordinum, Videnda est fundatio seu erectio ipsius beneficij, fructus ipsius in quo cõsistant, quomodo administrentur, defendantur, neuè illicitè alienentur.

Onera in fundatione si quę annexa sunt beneficio, an adimpleãtur, adimpleri enim debent etiamsi fuerint grauia, vt quia esset onerosus missarũ numerus, iste enim expleri omnino debet, nec potest diminui ne quidem vigore Conc. Trid. c. 4. sess. 25. de ref. quo alias missarum numerus moderari potest, eo enim decreto non comprehendi numerum missarum in fundatione assignatum declarauit S. Cong. Conc. in an. 1597. die. 3. Mart. verbis sequentibus.

31 *Cong. Conc. censuit ex decreto Conc. c. 4. sess. 25. non licere Episcopo reducere onera missarum in fundatione apposita.*

32 Et ne quidem infirmitate excusari posset huiusmodi beneficiatus quominus missas celebret, vel per alium celebrari faciat, si beneficium principaliter fundatum est pro missis celebrandis, nisi infirmitas duret per tempus modicum vt per octo vel decẽ dies. Pet. Nau. de restit. li. 2. nu. 210. alterius tamen beneficij simplicis rector, quod non principaliter est fundatum pro missis celebrandis non tenetur ad onera beneficij obeunda tempore infirmitatis. Abb. in cap. 1. de cler. ægrot. Genuen. in prax. cap. 56. Posset tamen si velit etiã dũ bene valet per substitutum beneficio deseruire vel missas celebrari facere simplex huiusmodi beneficium obtinens, nec ab Episcopo cogi potest vt per seipsum deseruiat, quod fuisse declaratum à Sacr. Congreg. Concil. refert Gonz. citat. gloss. 5. num. 81. his verbis.

Episcopus non potest cogere obtinentem beneficia simplicia, personale aliquod

aliquod seruitium impendere,cum ex antiquissima totius Ecclesiæ consuetudine non teneatur.

33 Neque posset cogi taliter beneficiatus vt promoueri se faciat ad ordinem Præsbyteratus,ad hoc eiusdem S.Cong.decretum refert. id.Gonz.loc.cit.nu.88.vt sequitur.

Si fundatio capellæ esset sub verbis testatoris,quod capellanus debeat celebrare Diuina officia die noctuque sicut cæteri capellani faciunt,an capellanus hic debeat esse præsbiter.

Cong.censuit ex his verbis positis in fundatione huius capellæ nō inferri necessario vt capellanus debeat esse præsbiter.

Et iterum.ibid.num.84.

Episcopus non potest compellere obtinentem capellam vt ipsemet celebret,licet in eius fundatione disponatur,quod capellani celebrent, nam istis oneribus missarum rectè per substitutum satisfit.

Tum demum autem teneretur esse sacerdos,& per seipsum inseruire,si in fundatione diceretur,quod debeat esse sacerdos,& per se ipsum inseruire;si nimirū hoc fuerit appositum de consensu Episcopi,vbi enim fundator disponit de modo conferendi simplex beneficium aliter quam ius ordinat,non teneret nisi consenserit episcopus.Felin.in cap.cum accessissent,de constitut.

Aduertendum præterea visitatori ne huiusmodi beneficiati in concernentibus Ecclesię Parochiali sese intromittant,ad processiones publicas parochialis seu alterius maioris Ecclesiæ vt accedant, ad hoc enim obligantur,& compelli possunt.Conc.cit.sess.25.cap. 13.de Reg.

Fūctiones autem propriæ parocho,& in quibus capellarum seu quorumuis beneficiorum simplicium rectores intromittere se non possunt,determinantur in decreto S.Cong.Rituum relato à Quar. verb.missa vt sequitur.

In Ecclesijs Parochialibus,& quæ sub Magistrorum laicorum gubernio,& directione esse solent,ex stauritis nuncupatis,sacerdotalia munera ac præsbyterales functiones,quæ populi,& animarum curam quoquo modo concernere videntur,quales sunt.

Candelarum, Cinerum, Palmarum, fontis Baptismalis benedictiones,

nes, Sanctissimi Sacramenti delationes, celebrationes missarum feria. V. in Cena Domini, & sabbati Sancti aspersiones domorũ, & quæ in Dominicis diebus in ecclesia fiunt, quæque circa cultum Sanctissimi Sacramenti Corporis Christi in 40. horarum oratione, & similes, non ad Capellanos seu Sacristam Ecclesiarum huiusmodi ab eisdem laicis deputatos, sed ad Parochum seu Rectorem animarũ curã habentem in ecclesijs huiusmodi institutũ præcedente examine, & alijs requisitis ab Ordinario loci pro uisum, spectare debere censuit Sacrorum rituum Congregatio, die 18. Maij 1602.

Ptolomeus Cardinalis.

Alex. Gratianus pro Secretario.

Huc pertinet, quod in huiusmodi capellis, & alijs Ecclesijs non parochialibus, non potest asseruari Sãctissimum Sacramentum pro adoratione nequidem de licẽtia Episcopi, nisi ex auctoritate, & cõcessione Papæ, quod sibi responsum fuisse à Sac. Cong. Conc. in an. 1609. refert Genuen. in prax. cap. 110. his verbis.

Duo enim dubia circa hoc petij declarari. Primum an Episcopus possit concedere Ecclesiæ non parochiali, vt in ea retineatur Sanctissimum Sacramentum Eucharistiæ solum pro adoratione, vel requiratur auctoritas Papæ; Secundum, præsupposito quod Episcopus concesserit licentiam asseruandi Sanctissimum Sacramentum in Ecclesia non parochiali pro adoratione, an possit Episcopus successor dictam licentiam reuocare. Sacra Congregatio respõdit infrascriptis verbis.

Ad primum id non posse concedi ab Ordinario, sed requiri licentiam sedis Apostolicæ.

Ad secundum huiusmodi licentiam fuisse nullam, ac propterea ei non esse deferendum, nec esse necessariam reuocationem.

Necessarium itaque est ad hoc priuilegium Papæ vt habent Regulares.

Ad extremum huiusmodi beneficia simplicia si fuerint ad tenuitatem redacta, vel fundata in Ecclesijs quæ vetustate collapsæ amplius instaurari non possunt, transferri possent vel vniri alicui Ecclesiæ alteri, vocatis quorum interest. cit. Conc. Trid. sess. 21. cap. 7. de refor.

Circa

Circa visitationem Seminarij videndum est quomodo obseruetur in receptione singulorum, ne minores duodecim annis recipiantur; item vt recipiendi habeant bonam indolem, & aliqua principia litterarum, & vt de ijs sit spes, quod Ecclesiasticis ministerijs perpetuo sint inseruituri. Ne item recipiātur nisi pauperes, diuites autem ita demum recipiantur, si suo sumptu ibidem alantur.

Inquirendum præterea an aliqui sint discoli, & alios corrumpētes, & castigan i.

An habeant aliqua exercitia spiritualia, missas an audiant singulis diebus, an sæpius confiteantur, communicent.

In litteris quo ordine, à quibus præceptoribus, num à viris probis instituantur, In victu, & alijs necessarijs quomodo prouideantur; prouentus Seminarij quomodo dispensentur, & si ipse Episcopus visitat, posset vna cum deputatis ex clero, & capitulo rationem expensorum exigere, & auscultare.

Ordinationes item aliquas in posterū obseruandas, si quas salubres, & necessarias iudicauerit, posset ibidem de consilio dictorum deputatorum relinquere. Conc. cit. sess. 23. c. 18. de ref.

Quod autem confraternitates quascumque etiam laicorum attinet, istę quoque quoad actiones spirituales, vt quoad confessiones, communionem, missas, sepulturam, habitum, & modum in processionibus publicis seruandum, subsunt episcopo, etiamsi in ecclesijs Regularium congregationes suas habeant, Nauar. cons. 3. de foro comp. & possunt ab ipso visitari quoad pręmissa, nulla exemptione obstante: Eæ tamen, quæ sub Regum immediata protectione existunt, non nisi de eorundem Regum licentia visitari debent, cit. Conc. sess. 22. cap. 8. de ref. Administratores quoque confraternitatum earundem, reddere tenentur rationem administrationis suæ ordinario, quod si alicubi siue legitima consuetudine, siue priuilegio obtinuerint, vt rationem nō nisi deputatis è medio congregationis reddant, adhuc Episcopus posset cum illis deputatis interesse rationi. id. Conc. sess. 28. cap. 8. de ref. melius autem iudicari poterit, in quibus confraternitates huiusmodi Ordinario subsint, & quæ visitatori in earum visitatione aduertenda sint, si quædam ab eisdem cōfraternitatibus obseruanda, ex ordinatione, Clem. Papę VIII. viderimus, cuius Const. publicatæ Romæ, die 24. Decemb. 1604. tenor sequitur.

Clemens Papa VIII. ad perpetuam rei memoriam.

Quæcumque à sede Apostolica ad promouendam Christi fideliũ salutem aliquãdo concessa sunt, etsi ea maturo consilio, magnaque prudentia, & cautione sancita, & decreta sint, tamen cum Rom. Pontifex de animarum salute sollicitus progressu temporis animaduertit sensim aliquos abusus in eisdem statutis, & decretis obseruandis prouenire, debet pro sui pastoralis officij munere, illis opportuna ratione occurrere, & quantum cum Domino potest, adhibito salutari remedio, prouidere. Cum itaque à plurimis Rom. Pontificibus prædecessoribus nostris, & forsan etiam à nobis nõnullis Regularibus ordinibus, Religionibus, & institutis, ac etiã Christifidelium sæcularium Archiconfraternitatibus, & congregationibus diuersarum nationum, nominum, & institutorum, tam in alma Vrbe nostra, quam in alijs ciuitatibus, & locis Christiani orbis institutis, facultas erigendi, & instituendi in eorum, & alijs Ecclesijs, & Collegijs, necnon etiam sibi aggregandi Confraternitates, & Congregationes in eadem vrbe, & in alijs locis existentes, eisque priuilegia, indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias, & indulta sibi concessa respectiuè communicandi attributa fuerit, ac nulla certa forma, vel ratio præscripta sit, quæ in huiusmodi erectionibus, institutionib. aggregationibus, & communicationibus faciendis, seruari debeat, propterea siue negligentia superiorum Ordinum, Religionum, & institutorum, vel Officialium Archiconfraternitatum, & congregationum erigentium, instituentium, aggregantium, & communicantium, quæ confraternitatibus, & congregationibus erigendis, instituendis, & aggregandis, & quibus communicationes priuilegiorum, indulgentiarum, aliarumque gratiarum prædictarum fiunt, non seruant formam in huiusmodi erectionibus, institutionibus, aggregationibus, & communicationibus seruari debitam, neque præscribũt modum, quo priuilegia, indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias, indulta prędicta consequi debeant, seu ipsarum Confraternitatum, & congregationum incuria, quæ non inquirunt ea, quæ præstare oportet vt illa consequantur, nonnullæ prauæ consuetudines irrepserunt multaq; incommoda inde prouenerunt. Quibus Nos pro commisso nobis Apostolicæ sollicitudinis officio, paternaque erga omnes Christi fideles charitate prospicere volentes hac nostra constitutione perpetuo valitura.

Con-

Confraternitates non sunt erigendæ nisi de consensu loci ordinarij.

Decernimus atq; statuimus, vt in posterũ tã huius almæ Vrbis nostræ, quam aliarum ciuitatum, & locorum totius Christiani Orbis Regulariũ Ordinum, Religionum, & institutorum quibus in eorum, & quibuscumque alijs Ecclesijs, & Collegijs Confraternitates sæcularium erigendi, & instituendi facultas concessa est, necnon etiam Archiconfrater. & Congregationum cuiuscunq; nationis nominis, & instituti illæ sint, & in quibuscunque ecclesijs Domibus, & oratorijs, tam secularium, quam vt præfertur quorumcumque etiam mendicantium Ordinum Religionum, & institutorum Regularium quauis tam ordinaria quam Apostolica authoritate erectæ ac constitutæ existant, seu alias quouis modo introductæ reperiantur, quibus alias confraternitates, & congregationes instituendi erigendi ac sibi aggregandi, illisque priuilegia, indulgentias, facultates aliasque spirituales gratias, & indulta prædicta elargiendi, & communicandi potestas à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, vel à nobis, & Apostolica sede attributa fuit, magistri Priores, Præpositi, Rectores, Gubernatores, Præceptores, Primicerij, Prælati, Custodes, Guardiani, præfecti, administratores, & alij officiales seu superiores quouis modo nũcupati, regulariũ si quidem ordinum, religionum, & institutorum, vnam tãtum confraternitatem, & congregationem de consensu tamen ordinarij loci, & cum litteris eius testimonialibus quibus confraternitatis, & cõgreg. erigẽdæ, & instituẽdæ pietas, & Christianæ charitatis officia, quæ exercere cupit apud eos cõmendentur, in eorum, & quibuscumq; alijs ecclesijs, & collegijs erigere, & instituere, cæterarum vero Archiconfraternitatũ, & Congregationum in singulis ciuitatibus oppidis, vel locis vnam etiam confraternitatem, & congregationem duntaxat, quę Apostolica, vel ordinaria auctoritate prius erecta nulli alteri ordini Religioni, Instituto Archiconfraternitati, & congregationi eiusdem, vel alterius nationis, nominis, & instituti aggregata sit, præuio similiter loci ordinarij consensu, & cum eius litteris testimonialibus quibus eiusdem confraternitatis, & congregationis aggregandæ institutum pietas, & Christianæ charitatis officia, quæ exercere consueuit apud eos commendẽtur sibi adiungere, & aggregare possint. Huic vero confraternitati, & congregationi erigendæ, instituendæ seu aggregandæ ea tantum priuilegia, indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias, & indulta, quæ ipsi ordini, Religioni, instituto erigenti, instituenti ac communicanti, seu Archiconfraternitati, & congregationi aggreganti nominatim, & in specie, non antẽ, quæ per exten-

extensionem, vel communicationem sibi quouis modo concessa sunt, & illa quidem non sub generali forma verborum, vel ad instar, sed expresse, & in specie communicare valeant.

Statuta confratrum ab ord. examinari approbari & corrigi possunt.

Statuta autem pro regimine Ordinum, Religionum, & institutorum erigentium, & instituentium ac communicantium seu Archiconfraternitatum, & congregationum aggregantium edita, confraternitatibus, & congregationibus erigendis instituendis, & aggregandis, & quibus communicationes priuilegiorum, & aliorum prædictorum fiunt, impartiri nõ possint, nisi ea prius ab Episcopo Diœcesano examinata, & pro ratione loci approbata fuerint, quæ nihilominus eiusdem Episcopi decretis ac moderationi, & correctioni in omnibus semper subiecta remaneant.

Indulgentias concedendas aggregatis confraternit. Ordinarius prius recognoscere debet.

Insuper volumus, & ordinamus, vt prædicti ordines, Religiones, instituta erigentia, instituentia, ac communicantia, necnõ Archiconfraternitates, & congregationes aggregantes, certam erigendi instituendi aggregandi, & communicandi formulam à nobis nouissimè approbatam diligẽter obseruent, secundum quam priuilegia, indulgentias, facultates, aliasq; spirituales gratias, & indulta ipsis ordinibus, Religionibus, institutis erigentibus, instituentibus, & communicantibus seu Archiconfraternitatibus, seu congregationibus aggregantibus nominatim & expressè non autem per communicationem neque ad instar, vt supra concessa ipsis confraternitatibus, & congreg. erigendis institueñdis, & aggregandis, & quibus communicationes fiunt, communicare possint, quibus cõfraternitates, & congregationes eiusdem duntaxat nationis, & nominis, ordinis, Religionis, & instituti, Archiconfraternitatis, & congregationis cui aggregantur, tam hactenus aggregatæ, quam in posterum aggregandæ vtantur, potiantur, & gaudeant, ita vt dictarum confraternitatum, & congregationum erectarum institutarum, & aggregatarum, ac quibus communicationes facta sunt ministri, & officiales, & alij supradicti priuilegia indulgentias facultates aliasque spirituales gratias, & indulta huiusmodi prænia tamen recognitione Ordinarij loci, qui adhibitis duobus de eiusdem Ecclesiæ Capitulo illa iuxta sacri Conc. Trid. decretum promulganda decernat, debitis temporibus promulgare valeant.

Quibus

Quibus etiam ministris Officialibus, & alijs prędictis, eleemosynas, & alia oblata Christianæ charitatis subsidia iuxta modum & formam per ordinarium loci præscribendam, remotis tamẽ mensis, peluibus, & capsis, quæ in ecclesijs, & oratorijs dictarum confraternitatum, & congregationum publicè ad hoc exponi consueuerunt, excipiendi potestas detur. Atque hoc ipsum ordines, Religiones instituta erigentia, instituentia ac communicantia seu Archiconfraternitates, & congregationes aggregantes tam Almæ Vrbis nostræ quam aliarum ciuitatum, & locorum quorũcũque iuxta modũ à Vicario Vrbis, & alijs ordinarijs, locorum respectiuè præscribendum obseruare teneantur.

Eleemosynas collectas pro arbitrio Ordinarij ad pios vsus exponant Confrates.

Eleemosynas autem sic collectas in reparationem, & ornatum ecclesiarum tam Ordinum, Religionum, institutorum erigentium, instituentiũ, & communicantium, ac Archiconfraternitatum, & congregationum, aggregantium, quam confraternitatum, & congregationum, erigendarum, instituendarum, & aggregandarum, & quibus communicationes fient, aut in alios earum pios vsus arbitrio eiusdem Vicarij nostri in Vrbe, necnon Ordinariorum locorum respectiuè fideliter exponere atque erogare procurent, vt omnes intelligant cælestes ecclesiæ thesauros non quæstus, aut alicuius lucri causa, sed pietatis, & charitatis excitãdæ gratia ex Apostolicæ sedis benignitate Christi fidelibus aperiri.

Confessarij Confrater. sint approbati ab ordinario.

Præterea volumus, vt confessarij, qui vigore Priuilegiorum ipsis ordinibus, Religionibus, institutis erigentibus, instituentibus, & communicãtibus, seu Archiconfraternitatibus, ac congregationibus aggregantibus, concessorum, ac confraternitatibus, & congregationibus aggregandis, cõmunicandorum eligi possunt, & potuerunt, sæculares in alma Vrbe à prædicto nostro Vicario, extra Vrbem vero à locorũ ordinarijs, Regulares autem non solum à prædicto Vicario nostro, & à locorum ordinarijs respectiuè, sed etiam à suis superioribus approbati sint, vtque confratres confitentes à criminibus, casibus, & censuris iuxta dictorum priuilegiorum (quatenus tamen sint in vsu, & sacris Conc. Triden. decretis, ac Romanorum Pontif. prædecessorum nostrorum, & nostris constitutionibus non aduersentur, nec reuocata, aut sub aliquibus reuocantibus comprehensa sint) formam, & tenorem duntaxat absoluere valeant.

Casus

Casus reseruatos quos absoluere non possint Confessarij Confraternitatum.

Decernimus insuper, vt ijdem cōfessarij prædictos confratres cuiuscū que gradus, status, conditionis, & præeminentiæ, etiamsi speciali nota dignæ fuerint, à casibus contentis in litteris, quæ die Cœnæ Domini legi cōsueuerunt, necnon violationis immunitatis, & libertatis ecclesiasticæ, & Clausuræ monasteriorum monialium, si videlicet sine necessaria, & vrgenti causa, ac sine superiorum licentia, vel etiam si causa, & licentia cōcessa abutentes, prædicta monasteria ingressi fuerint, necnon violentæ manus iniectionis in Clericum, & singularis certaminis seu duelli, ac ab alijs etiam casibus tam à nobis, quam à prædicto nostro in Vrbe Vicario, & locorum Ordinarijs respectiuè reseruatis, & pro tempore reseruandis, & etiam à quauis excommunicatione ab homine lata absoluere, & super irregularitatibus, tam ex aliquo defectu prouenientibus, quam occasione delicti contractis cum aliquo dispensare prætextu dictorum priuilegiorum; nullo modo possint.

Confraternitates ante erectæ nouas erectionum litteras petant.

Demum statuimus, & pariter ordinamus, vt confraternitates, & congregationes, vbiuis locorum quauis auctoritate, vt præfertur erectæ, & institutæ, quibus communicationes, prædictæ factæ sunt, ac cuicumque ex dictis ordinibus, Religionibus, institutis Archiconfraternitatibus, & congregationibus vbilibet existentibus hactenus aggregatæ, ab eisdem respectiuè Ordinibus, Religionibus, institutis, Archiconfraternitatibus, & cōgregationibus, nouas erectionum, institutionum, communicationum, & aggregationum, litteras, iuxta formam à nobis nouissimè approbatam infra annum si in Europa sint, & si extra Europam fuerint, infra biennium, à die publicationis præsentium in Romana Curia faciendæ computandos, impetrare teneantur, alioquin dicto tempore elapso erectiones, institutiones, & quæcumque communicationes priuilegiorum facultatum indulgentiarum, quarumcumque spiritualium gratiarum, & indultorum, & aggregationes illarum vigore ipsis concessę, nullius sint roboris, & momēti ac reuocatæ, & abolitę censeantur eo ipso.

Litteræ erectionum gratis dandæ.

Erectionum autem institutionum, communicationum, & aggregationum, tam hactenus factarum, quam deinceps faciendarum litteræ ab ipsis ordini-

ordinibus, Religionibus, institutis, seu Archiconfraternitatibus, & congregationibus, gratis omnino ac nulla prorsus mercede etiam à sponte dātibus accepta expediri, & concedi debeant.

Pœnę contra contrauenientes.

Quod si ministri aliqui superiores, vel officiales quocunque nomine nūcupati, Ordinum, Religionum, institutorum, seu Archiconfraternitatum, congregationum, & cōfraternitatum, huiusmodi quauis auctoritate, vel priuilegio, & officio fungantur, & præfulgeant contra pręmissa in aliquo venire, vel facere præsumpserint, erectiones institutiones, & cōicationes, priuilegiorum, indulgentiarum, facultatū, spiritualiumq; gratiarum, & indultorum, aliorumque præmissorum concessiones, necnon aggregationes per ipsos faciendæ, seu reuocandę nullius sint roboris, & momenti, & quilibet eorundem ministrorum, superiorum, officialium, & aliorum prædictorum priuationis officiorum, quæ obtinet ac inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda pœnam, quę ab alio, quam à nobis, vel Romano Pontifice pro tempore existente remitti non possit incurrat eo ipso. Decernentes præsentes litteras perpetuo validas, & efficaces existere, & fore ac ab omnibus, & singulis ad quos spectat inuiolabiliter obseruari debere, sicque nostræ mentis, & intentionis existere, & ita, & non aliter per quoscumque iudices, &c. Non obstantibus, &c.

Frequenter etiam in negotijs confraternitatum occurrere solet dubium, an possint compelli ad publicas processiones per Episco-
32 pum, ad quod resoluendum subiunximus hic decretum S. Congr. Conc. datum Episcopo Scalensi, prout refertur apud Quar. ver. præcedentia, vt sequitur.

Reuerēdiss. vti frater. Quamuis Thesaurarij, magistri, & confratres sanctæ Mariæ Annunciatæ magis conscientiæ suæ ac pietati satisfecissent, si Ampl. tuæ eos ad publicas processiones vocanti morem gessissent, cum tamen ad eas accedere detestauerint, neque ab Ampl. tua compelli, neque vllis propterea Censuris distringi, atque innodari debuerunt, quod sæpius alias consulti responderunt Illustrissimi Patres Sac. Conc. Trid. interpretes, Itaque interdictum hac de causa latum protinus tollas oportet, ac de cætero à similibus compulsionibus abstineas. Deus Ampl. tuam incolumem seruet. Romæ. die 6. Maij. 1597.

Card. Matthæius.

Visitari possunt,& hospitalia quæcunque.Conc. loc.cita. cap.8. sess.22.si tamen immediatè sub Regum protectione sunt, sine ipsorum licentia visitari non debent.Conc.ibid.

38 Hospitale item nouiter fundatum, & ipso fundatore superstite, visitari non potest,nisi habeat formam Ecclesiæ,vel Altare pro missarum celebratione, seu sit fundatum authoritate Episcopi, aliter enim nullo modo subest Episcopo,cum nec censeatur locus religiosus,& subiaceat totali dispositioni fundatoris,ita, quod ab illo destrui,& ad libitum prout,& alia bona disponi possit, Innoc. in cap. inter dilectos,de donat.& cap.ad hoc.de Relig.dom.Syl.Arm.ver. hospitale.Mortuo tamen fundatore visitari potest,licet non habuerit Ecclesiam nec altare,cum sufficiat, quod sit locus pius, ad hoc vt visitari possit,& prouideri,vt omnia iuxta volũtatem testatoris procedant,cap.tua nobis,de testamen.imo etiamsi fundator prohibuisset,visitari adhuc posset vt docet.Nauar.cons.3.de relig. dom. Couarr.loc.cit.de testamen.num.6.

Similiter,& montes pietatis siue charitatis, & quæcunque alia pia loca visitanda sunt,Conc.loc.cit.nomine autem piorum locorũ, intelliguntur quæcunque destinantur ad honorem Dei vel Sanctorum,seu pro salute animarum.

In visitatione autem eorum videndum est an fideliter administrẽtur,Pauperes,peregrini seu infirmi,quo ordine alantur, & an iuxta fundationis præscriptum gubernentur. Fructus, & reditus talium locorum an fideliter dispẽsentur.Potest, & exigi ratio perceptorũ, & expensorum ab administratoribus. Quod si consuetudo vel priuilegium velit,vt administratores huiusmodi non nisi deputatis ex collegio ipsorum vel aliquibus alijs rationem reddant,adhuc tamẽ Episcopus vna cũ istis deputatis rationi interesse posset.Conc.loco. cit.nu.9.Iisdem administratorib.ne vltra trienniũ administratio cõmittatur, prouideri quoque debet.id.Conc.sess.25.c.8.de ref.

Ea quoque quæ alendis pauperibus supersunt, Episcopus cum consilio duorum ex capitulo vel etiam patronorum sæculariũ quorum interesset,in alium pium vsum conuertere, & etiam totos fructus in alium magis pium,& illi loco commodiorem vsum applicare posset Conc.cit.sess.25.c.8.de ref.

Capella item si quæ penes hospitale fundata est, ipsiusq; rector, visitari debet,& inquiri,quomodo muneri suo satisfaciat: capellã ipsam an in decẽti ordine pro facultatib.loci teneat:Infirmis an sacramenta administret, & si super hoc aliquod ius legitimum habeat,de iure enim communi non ad capellanum sed ad parochum

spectat

spectat Sacramentorum administratio, nisi capellanus hoc obtinuerit ex fundatione, priuilegio, vel ad minus annorum quadraginta præscriptione. Clem. quia contingit. §. cœterum, de relig. dom. iun. gl. Card. Imol. ibid. Vnde & capellanus claustri siue conseruatorij puellarum, non posset administrare sacramentum matrimonij alicuius puellarum, sed id pertineret ad parochum. Genuen. loc. cit. c. 61. quod & in facto decisum fuisse in curia Neap. testatur. ibid.

Ad extremum circa visitationem, & quouis alio tempore deberet Episcopus prouidere ne librorū impressores vel propolæ, libros hæreticos vel prohibitos imprimant, seu venales exponant, sine ipsius licentia, ad ipsum enim spectat censura librorum. Conc. cit. sess. 4. de edit. libr.

De Visitatione Regularium.

SVMMARIVM.

39 *Regulares omnes sua sibi inuicem priuilegia communicant.*
40 *Priuilegia Regularium moderata per Conc. Lateranen.*
41 *Priuilegia Regul. in quibus moderauit Conc. Trid.*
42 *Priuilegia Regularibus concessa post Conc. Trid. sunt postea reducta ad terminos. Conc. Trid.*
43 *Conseruatores sibi eligere debent Regulares coram quibus conueniantur.*
44 *Regulares delinquentes ad requisitionem Episcopi à suis superiorib. sūt puniendi.*
45 *Visitari possunt ab Episcopo Reg. monasteria commendata.*
46 *Regularium Ecclesiæ curam animarum habentes, quoad curam sunt subiectę Episcopo.*
47 *Monasteria noua quomodo sint ædificanda.*
48 *Præcedentiam inter Regulares quomodo iudicare debeat Episcopus.*
49 *Mendicantium nomine qui regulares comprehendantur.*
50 *Funera leuare cum scitu parochi debent regulares.*
51 *Contra exemptionem currit præscriptio.*
52 *Regularis excommunicatus à iure vel Apost. constitutione, declarari potest per episcopum excommunicatus.*

Licet Regulares varijs summorum Pontificum priuilegijs à iurisdictione ordinariorum sint exempti, vt latè colligit, & explicat eorum priuilegia Eman. Roder. quæst. Reg. Tom. 1. à quæst. 5.

& omnes tam mendicantes,quam non mendicantes inuicem ſua ſi
39 bi priuilegia communicent,illiſque ęqualiter,licet vni tantum eorum ordini ſint conceſſa,gaudeant,vt deducit Cōfect.in ſum. priu. mend.tit.3.cap.5.Sorb.in comp.priuil.verb.communicatio priuil. in multis tamen hæc eorum priuilegia reſtricta,& limitata fuere varijs ſummorum Pōtificum decretis,quorum vtiliora, & ad praxim Iuriſdictionis Epiſcopalis neceſſaria hic referre conabimur, vt appareat num aliquibus caſibus ſaltem,Iuriſdictionem ſuam in ipſos exercere poſſint locorum Ordinarij.Vnde,primo moderata fuerūt ipſorum priuilegia à Leon.X.in Conc.Lateran.conſtitutione ſubinſerta relata in Bull.fol.123.

Leo Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei.

40 *Sacro approbante Concilio. Dum intra mentis arcana reuoluimus, & infra.Sane cupientes vt iura ſpiritualia quæ ad Dei laudem, & Chriſti fidelium animarum ſalutem pertinent,& quorum exertitium præfatis Epiſcopis,& eorum ſuperioribus in ſuis Diæceſibus (cum ipſi in partem ſollicitudinis vt præfertur aſſumpti,ac Diæceſes diſtinctæ,& cuilibet eorundem Epiſcoporum aſſignatæ fuerint,) commiſſum extitit,per ipſos Epiſcopos exerceantur,& ius illa liberè exercendi quantum fieri poteſt eis illæſum prꝗſeruetur:Etſi aliqua dictis Fratribus Mendicantibus in eorundem Epiſcoporum læſionem per Rom. Pontifices prædeceſſores noſtros,& Sedem Apoſtolicam conceſſa fuerint,conceſſiones huiuſmodi eiſdem Religioſis factas in ſubſequentibus duximus moderandas,vt ipſi fratres potius ab eiſdem Epiſcopis omni cum charitate foueantur, quam aliquo modo moleſtentur,& inquietentur.Vna enim eſt Regularium,ſæcularium,Prælatorum,& ſubditorum exemptorum,& non exemptorū vniuerſalis Eccleſia,extra quam nullus omnino ſaluatur, eorumque omniū vnus Dominus,vna fides:& propterea decet eos qui eiuſdem ſunt corporis,vnius etiam eſſe voluntatis,& ſicut fratres,nexu inuicem charitatis aſtricti ſunt,ſic non conuenit alterum in alterius iniuriam ſeu iacturam proſilire dicente Saluatore. Hoc eſt præceptum meum vt diligatis inuicem ſicut dilexi vos.*

Ad conſeruandā igitur inter Epiſcopos,& eorū ſuperiores ac Prælatos, & Fratres huiuſmodi mutuam charitatem,& beneuolētiam,diuini quoque cultus augmentum,pacemque,& tranquillitatem Vniuerſalis Eccleſiæ ſtatus,quod ita demum fieri poſſe cognoſcimus,ſi vnicuique quantum fieri poteſt ſua iuriſdictio cōſeruetur:Sacro approbante Cōcilio ſtatuimus,

& or-

& ordinamus, quod Episcopi, & eorum superiores, & alij Prælati præfa t', parochiales Ecclesias ad eosdem Fratres ratione locorum suorum legitimè spectantes, quo ad ea quæ ad parochianorum curam, & sacramentorum conseruationem administrationemque pertinent (sine tamen visitatorum insolito grauamine vel impensa) visitare, & illarum curam gerẽtes, & circa illam delinquentes, si religiosi fuerint, iuxta ipsius ordinis regularia instituta intra septa regularis loci, sæculares vero præsbiteros, & fratres huiusmodi beneficia obtinentes, libere tanquam suæ iurisdictioni subiectos punire, ac tam prælati quam præsbiteri sæculares, qui vinculo excommunicationis ligati non fuerint missas in Ecclesijs domorum eorundem deuotionis causa celebrare volentes libenter recipere debeant.

Ac ab eisdem Prælatis ad processiones solemnes protempore faciendas requisiti (dummodo eorum loca suburbana vltra vnum milliare à ciuitatibus respectiuè non sint remota) accedere.

Necnon superiores eorundem Fratrum, Fratres quos ad audiendas cõfessiones subditorum eorundem Prælatorum pro tempore elegerint, eisdẽ prælatis personaliter exhibere ac præsentare, si eos sibi exhiberi, & præsentari petierint, alioquin eorum Vicarijs (dummodo ad prælatos vltra duas dietas accedere non cogantur) omnino teneantur. Possintque illi per eosdem Episcopos, & prælatos super sufficienti litteratura, & aliqua saltem huiusmodi Sacramenti peritia duntaxat examinari, Talibusque præsentatis admissis, vel etiam indebitè recusatis, confitentes, constitutioni quæ incipit. Omnis vtriusque sexus. quo ad confessionem duntaxat satisfecisse censeantur.

Ipsique Fratres etiam forensium confessiones audire valeant, laicos tamen, & clericos sæculares à sententijs ab homine latis nullatenus absoluere possint.

Eucharistiæ vero, & extremæ vnctionis aliaq; ecclesiastica sacramẽta, illis, quorum, etiam infirmorum ac decedentium, confessiones audierint, dicentibus proprium sacerdotem illa sibi dare denegasse, dare nequeant, nisi denegatio sine legittima causa facta, vicinorum testimonio probata, aut requisitio coram notario publico facta doceretur. Eorundem vero fratrum obsequio insistentibus sacramenta huiusmodi nullatenus ministrare valeant nisi illorum durante obsequio.

Pacta autem, & conuentiones inter eosdem Fratres, & Prælatos atq; curatos pro tempore inita valeant, nisi per subsequutum capitulum proximum generale vel prouinciale refutata, per eos refutatio huiusmodi intimata debito tempore fuerit.

Parochias autẽ cũ cruce ad leuanda funera eorum qui apud ecclesias domorum, & locorum eorundem suam elegerint sepulturam, intrare non possint;

possint, nisi prius præmonito, & requisito ac recusante parochiano presbytero, & tunc sine eius ac ordinarij præiudicio, nisi eisdem Fratribus super hoc antiqua consuetudo, quæ sit in viridi obseruantia, & cum pacifica possessione suffragetur.

Volentes quoque sepeliri in habitu eorundem fratrum in claustro non degentes, sed in proprijs domibus habitantes, in eorum vltima voluntate sepulturam sibi eligere possint.

Quodque Fratres ipsi ad ordines promouendi, per ordinarios de grammatica, & sufficientia examinari, & dummodo competenter respondeant per eosdem ordinarios libere admitti, ac nullatenus in eorum ecclesijs seu domibus aut alijs eorum locis ab alio quā à Diœcesano episcopo vel eius Vicario super hoc cum debita reuerentia requisito, & absque rationabili causa contradicente, vel eo à Diœcesi absente, ad dictos ordines promoueri debeant.

Nec ab alieno episcopo consecrationem ecclesiæ vel altaris aut cimiterij benedictionem petere, seu in ecclesijs per eos pro tempore ædificādis, primum lapidem per alienum episcopum poni facere possint, nisi ordinarius bis aut ter cum debitis reuerentia, & instantia requisitus, sine legittima causa id recusauerit.

Et absque curatorum consensu, sponsum, & sponsam benedicere nequeant.

Et vt debitus honor matrici ecclesiæ reddatur, tam ipsi fratres, quam alij clerici sæculares, etiam super hoc Apostolicæ sedis priuilegio muniti die Sabbati maioris hebdomadæ, antequam campana Cathedralis vel matricis ecclesiæ pulsauerit, campanas in ecclesijs suis pulsare minimè possint, contrafacientes pœnam centum ducatorum incurrant.

Censuras autem per eosdem Ordinarios latas, & promulgatas, ac in matrici ecclesia ciuitatum, necnon in collegiatis, & parochialibus ecclesijs, castrorum, & oppidorum respectiuè solemniter publicatas, quando super hoc ab eisdem Ordinarijs requisiti fuerint, in ecclesijs domorū suarum publicare ac seruare:

Et vt animarum vtriusque sexus Christi fidelium saluti vberius consulatur, illos quorum confessiones pro tempore audierint, cuiuscumque status, & conditionis fuerint, ad soluendum decimas, siue aliam bonorū, seu fructuum quotam, in locis in quibus decimæ ipsæ aut similia solui consueuerunt, etiam sub onere conscientiarum suarum monere, & hortari, ipsisque etiam illas soluere recusantibus absolutionem denegare, & super hoc requisiti id populo etiam publicè prædicare, & persuadere teneantur.

Conseruatores autem eisdem Fratribus pro tempore à sede Apostolica deputandi, doctrina, & probitate præstantes, & in ecclesiastica dignitate

tate constituti esse debeant, & coram eis per eosdem fratres quibus dati fuerint, vltra duas dietas à loco solitæ suæ habitationis nullus trahi possit, priuilegijs super hoc alias eis concessis nullatenus suffragantibus. Excommunicati quoque ordinem mendicantium profiteri volentes, vbi de interesse tertij ageretur, absolui non possint, nisi præuia satisfactione.

Procuratores quoque, & negotiorum gestores ac operarij eorundem Fratrum seruitijs insistẽtes, sententijs excommunicationis promulgatis, illaqueati sint, & esse censeantur, si illis causam dederint, aut dantibus, consilium, auxilium, vel fauorem præstiterint.

Fratres autem, & sorores Tertij ordinis, necnon mantellati, corrigiati, Pizochare, cordellati, & alij quocumque nomine nuncupati, in proprijs domibus habitantes, sepulturam vbi voluerint, eligere valeant Sed die Paschatis tantum Eucharistiam, necnon extremam vnctionem, cæteraque Ecclesiastica sacramenta (pœnitentiæ sacramento duntaxat excepto) à proprio sacerdote recipere, & ad onera, quæ laicis incumbunt, perferenda teneantur, ac in foro sæculari, coram iudicibus sæcularibus conueniri possint.

Et ne censura vilescat ecclesiastica, & minoris auctoritatis interdicti sententia reputetur, ijdem dicti Tertij ordinis ad diuina audienda in ecclesijs suorum ordinum tempore interdicti nullatenus admittantur, si causam dederint interdicto, vel causam ipsam nutriant, seu foueant, aut dantibus, auxilium, consilium, vel fauorem quoquomodo præstiterint. Collegialiter autem viuentes, seu cum claustralibus habitantes, ac mulieres virginalem, seu cælibem, aut castam vidualem expresso voto, & sub dicto habitu vitam ducentes, priuilegijs quibus fratres ordinis cuius tertiæ regulæ habitum gestant, gaudere debeant.

Omnia etiam singula supradicta ad reliquos religiosos ordinum quorumcumque extendi, & per eos etiam seruari debere volumus atque decernimus. Saluis tamen in reliquis desuper non expressis tam Episcoporum, quam fratrum, & aliorum religiosorum prædictorum iuribus quibus per præmissa in aliquo præiudicare, seu quicquam innouare non intẽdimus. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus, Apostolicis, ac statutis, & consuetudinibus dictorum ordinum, iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, priuilegijs quoque, & indultis ac litteris Apostolicis contra præmissa seu aliquod præmissorum eisdem ordinibus cõcessis, etiam in Mari magno contentis, quibus (etiamsi ad illorum derogationem, de eis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autẽ per clausulas generales idem importantes, mẽtio, seu quæuis alia expres-

sio

sio habenda, aut aliqua alia exquisita forma seruanda esset, illorumque te nores præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes) specialiter, & expreßè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscumque. Decernentes ex nunc irritum, & inane si secus super his à quoquam quauis au ctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Eosdem insuper Fratres in virtute sanctæ obedietiæ monemus, vt eosdem Episcopos loco sanctorum Apostolorum subrogatos, pro debita, & nostra, ac sedis Apostolicæ reuerentia, congruo honore, & conuenienti obseruantia venerentur. Ipsos quoque Episcopos hortamur, ac per viscera misericordiæ Dei nostri requirimus, vt Fratres ipsos affectu beneuolo prosequentes, charitatiuè tractent, ac benignè foueant, seque illis minimè difficiles aut duros, vel morosos, sed potius faciles, mites, propitios, piaq; munificentia liberales exhibeant, ac in omnibus prædictis tanquam in agro dominico cooperatores, eorumque laborum participes prompta benignitate recipiant, eorumque iura omni cum charitate, custodiant, atq; defendant, vt tam Episcopi, quam Fratres præfati (quorum operæ veluti lucernæ ardentes supra montem positæ, omnibus Christifidelibus lumen præbere debent) ad Dei laudem, fidei Catholicæ exaltationem, populorumq; salutem, de virtute in virtutem proficiant, ac exinde à largissimo bonorū omnium retributore Domino perennis vitæ præmium consequi mereantur. Nulli ergo, &c. Dat. Romæ in publica sessione in Lateranensi sacrosancta Basilica solemniter celebrata, anno Incarnatio. Dominicæ, 1516, 19. Decemb. Pont. nostri, ann. 4.

Aliorum etiam summorum Pontificum varijs decretis restricta fuerunt eorundem Regularium priuilegia, & iurisdictio ordinariorum contra ipsos ampliata, præcipuè autem in Concilio Tridentino, vt ex sequentibus patebit.

41 Et primo quidem libros de rebus fidei seu sacris imprimere seu imprimi facere non possunt, nisi prius examinatos, & probatos ab Episcopo, Conc. Trid. sess. 4. de edit. libr.

Item vt lectionem sacræ scripturæ in monasterijs suis habeant, compelli possunt ab Episcopo. id. Conc. sess. 5. cap. 1. de ref. nouissimè autem Paulus V. ordinauit, vt in omnibus Regularium domibus seu monasterijs lectio linguarum Hebraicæ, Græcæ, Latinæ, & Arabicæ, habeatur, & à Regularibus diligenter addiscatur, constitutione suæ, incip. Apostolicæ seruitutis, ann. 1610. kal. Aug.

Prædicator item Regularis prædicare non debet in sua Ecclesia, nisi fuerit approbatus à suis superioribus, & se præsentauerit Episcopo pro benedictione ab ipso obtinenda. In Ecclesia vero non sui ordi-

ordinis, si prædicare voluerit non tantum benedictionem, sed etiã licentiam ad sic prædicãdum obtinere prius debet ab ordinario, id. Conc. loc. cit. cap. 2. & fidem de sua doctrina, moribus, idoneitate per litteras authenticas suorum superiorum, eidem ordinario facere obligatur ex ordinatione cõstitutionis, Leon X. incip. supernæ, in Concil. Lateran. citat. factæ, quam alia occasione supra retulimus.

Prędicans tamen absque huiusmodi Episcopi licentia, non ab episcopo, sed à suo superiore puniri debet ex voto sac. Congreg. Conci. relato à Quar. ver. priuilegia Regularium, in hæc verba.

Congr. Conc. censuit. Regulares, qui absque licentia Episcopi prædicauerint in Ecclesijs, quæ suorum ordinum non sunt, tametsi decreto eiusdem, Conc. cap. 2. sess. 5. contra fecerint, non posse tamen puniri ab Episcopo, sed tantum à suis superioribus Regularibus.

Si item prædicet errores Regularis, prædicationem ipsi interdicere potest Episcopus, Concil. loc. cit. Imo quocunque alio modo etiam non reddita causa, potest Episcopus interdicere Regulari ne prædicet, virtute decreti, cit. Conc. Trid. sess. 24. cap. 4. de ref. illo loco (contradicente Episcopo) & declaratum fuisse idem à sac. Congreg. Conc. testatur, Franc. Leo. in sua prax. par. 1. cap. 8. num. 9. Et licet Pius V. constitutione sua incip. Ad hoc nos Deus, de an. 1571. die 23. Sept. Regularibus concesserit, vt irrequisito, & contradicente Episcopo prædicare possint, in multisque alijs contra dicti Concil. Trid. decreta, tum illa constitutione tum & alia incip. Etsi mendicantium, de ann. 1567. 17. Kal. Iun. & alia incip. ex supernæ, eiusdem, anni 7. Kal. Sep. itemque alia incip. Ad exequendum, eo. an. kal. Nouemb. Cum ipsis Regularibus dispensauerit, pariterque inter omnes regulares, tam mendicantes, quam non mendicantes eadem priuilegia, & declarationes communicauerit, illa tamen omnia, per Greg. XIII. reuocata, & ad terminos iuris, & Concil. Trid. reducta fuerunt constitutione ipsius Greg. quæ sequitur.

In tanta rerum, & negotiorum mole qua Rom. Pontifex ex omnibus mundi partibus assiduè premitur, vix vitari potest, ne aliqua interdum exiliãt, quibus postea recognitis, necesse est moderationis remedium adhibere. Cum itaque alias fel. rec. Pius Papa V. prædecessor noster, auditis grauaminibus, quæ Fratribus ordinum mẽdicantium ab ordinarijs locorum, & Parochialium Ecclesiarum rectoribus multis modis inferri dicebãtur super sacris, concionibus, & lectionibus habendis, confessionibus audien-

dis, pœnitentijs iniungendis, fratribus ad ordines promouendis, celebratione missarum, cura animarum, sacramẽtorum administratione, sepulturis, quarta funeralium, legatis, donationibus, eleemosynis, collectionibus, aliisque huiusmodi iuribus, necnon decimis, & diuersis oneribus, ac etiam super statu, & regimine sanctimonialium ipsis fratribus subiectarum, formatione processuum, cẽsurarum publicatione, processionibus, præcedẽtia, locorum acquisitione, cæterisq; alijs rebus tunc expensis, multa per quasdam suas litteras pro dictis fratribus non modo statuerit, sed & quæ iã in Conc. Tridentino decreta fuerunt ad hæc pertinentia, declarauerit, multaque præterea priuilegia eisdem 17. kal. Iun. Pont. sui anno secundo. & deinde ea omnia diuersis alijs ordinibus, & congregationibus regularium non mendicantium, etiam per modum communicationis concesserit. Postea per quandam suam constitutionem de Vicarijs perpetuis in Parochialibus ecclesijs vnitis per ordinarios locorum instituendis, & portione illarum vicarijs assignanda, editam, alia super constitutione fratrũ eorundem ad exercitium curæ animarum in eorum parochialibus ecclesijs, quæ domibus, & locis suis vnitæ sunt, decreuerit. Demum animaduerso, quod ea omnia multis dubitationibus inuoluta, magnisque difficultatibus obstructa, multas magnasque dissensiones, altercationes, & lites inter prædictos locorum ordinarios, & fratrum ipsorum ordines, non sine graui diuini cultus, & animarum detrimento, ac populorum scandalo concitauerãt, contra ac ipse sperabat, & præter suam expectationem, vt qui interdum conquereretur multò aliter, alioque sensu à se prolata fuisse, quã litteris expressa essent. Cupiens his mederi incommodis, primum illa omnia, quæ regularibus aliorum ordinum, quam mendicantium communicauerat, & secundum præmissa concesserat, motu proprio restrinxerit. Deinde plenius prouidere volens, prioribus litteris à se quoad ipsas mendicantes magna in parte moderatis, omnes, & quascunque alias litteras, quæ de alijs ordinibus, & congregationibus extra mendicantium ordines de obseruantia nuncupatos, emanauerant, omnino, abolcuerit, causas omnes iam de his etiam in Rom. Curia pendentes ad se aduocando, lites extinguendo, ac formatos super illis processus, latasque sententias annullãdo, quemadmodum alijs suis litteris in registro proximè compertis, nunquam tamen publicatis plenius continetur. Postremo circa confessariorum regularium etiam mendicantium approbationem iuxta Concilij prædicti decretum faciendam, etiam lectores in Theologia graduatos, & certos alios tunc expressos comprehendi debere declarauit. Nos hac tanta varietate cognita, quæ etiam ex multiplici litterarum, & cõstitutionum editione, procedit, præsentibus, & futuris discriminibus occurrere volentes. De nobis attributa potestatis plenitudine statuimus, & ordinamus,

de

de prædictis, & alijs omnibus litteris, & constitutionibus, quæ ab eodem prædecessore eisdē de rebus pro quorumcumque regularium etiam mendicantium ordinibus, & congregationibus, quomodolibet emanarunt, ac omnibus, & quibuscunque in eis contentis; eam deinceps dispositionem atque decisionem pro subiecta materia futuram esse, quæ siue ex iure veteri, siue ex sacris dicti Concilij decretis, siue alias legittimè ante dictarū litterarum, & constitutionum editionem erat, & si ipsæ non emanassent futura fuisset, ad quam dispositionem, & decisionem, suumque pristinum, & integrum statum ac terminum illa omnia reducimus. Quin etiam tollimus, & abrogamus omnia irritantia, & alia decreta: necnon prohibitiones, declarationes, mandata, & quæcumque alia ipsa litteris, constitutionibus apposita, & alias eorum occasione, vel causa factis, his nostris statuto, ordinationi, & reductioni aduersantia, quibuscunque illa sint concepta formulis, ac præseruationibus, declarationibus, modificationibus, restitutionibus, mentis attestationibus, derogatoriarū derogatorijs, alijsq; fortissimis, efficacissimis, & inuiolabilibus clausulis; etiam motu, & potestatis plenitudine similibus, & ex certa scientia, etiam pro conseruatione status regularis, & ex quibuscumque alijs vrgentissimis causis quotiescunque roborata. Decernētes illa omnia pro nullis, & infectis haberi; omnesque supradictos illarum vsu, commodo, & effectu carere. Ac omnes lites controuersias, quæ coram quibusuis iudicibus siue ordinarijs, siue commissarijs etiam causarum Palatij Apostolici Auditoribus, & Sanctæ Rom. Eccle. Cardinalib. etiam de latere Legatis, prædictarum litterarū, & constitutionum occasione super premissis iam motæ sunt, necdum decisæ aut finitę, vel ēt quæ iam decisæ sunt, si modo tractum habeant successiuum, easque rursus, & inter quoscunque excitari in posterum contingat, secundum prædictam dispositionem; nec aliter decidendas, futura vero dubia, & difficultates, quandocunque, & vbicunque orientur, ad nos, & Sedem Apostolicam, vbi & cętera quæ ad decreta dicti Concilij pertinēt quotidie declarantur, omnino referenda esse: Necnon irritū, & inane quicquid secus super his per quoscunque scienter vel ignoranter contigerit attentari: Mandamus itaque in virtute sanctæ obedientiæ præsentes ab omnibus vbique Episcopis, & locorum ordinarijs; necnon Ecclesiarum prælatis, rectoribus, fratribusque prædictis ac cæteris ad quos pertinet semper inuiolata obseruari. Non obstantibus præmissis ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon Ecclesiarum, monasteriorum, conuētuum, domorum, locorum, & ordinum quorumcunque, iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & cōsuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apostolicis, etiā mare magnum, & Bulla aurea nuncupatis, dictis ecclesijs, ordinibus, & con

gregationibus quomodolibet concessis, & confirmatis: quibus omnib. etiã si de illis eorũque totis tenoribus specialis, expressa, indiuidua, & ad verbum, non autem per clausulas generales idẽ importantes, mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma adhoc seruanda foret, tenores huiusmodi ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus, pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter, & expresse derogamus, cęterisque contrarijs quibuscunque. Vt autem præsentes omnibus plenius innotescant, &c. Nulli ergo, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum. an. incarn. Dom. 1572. Kal. Mart. Pont. an. 1.

Et licet idem Greg. postmodum priuilegia mendicantium confirmauerit, cum clausula (nullis contrarijs etiam suis obstantibus,) in ipsis tamen confirmationis litteris apposita est alia clausula, (in quantum decretis Concilij Trid. non sunt contraria) ita quod nec posteriores reconfirmationes reualidẽt dicta decreta Pij V. in quantum aduersantur Conc. prædicto; quam clausulam etiam alij Pontifices in similibus suis confirmationibus semper apponi voluerũt vt ex ipsarum confirmationum tenore cognoscere licet.

Idem Greg. XIII. reuocauit confirmationem eiusdem. Pij V. priuilegiorum militum S. Ioãnis Hierosolimitani, & eam similiter reduxit ad terminos dicti Conc. Trid. cõstit. sua incip. circumspect a. de an. 1580. die 25. Nouemb.



Vltra præmissa autem, Regularem prædicantem hæresim Episcopus ipsemet punire potest. Conc. loc. cit. sess. 5. & quocunq; alio modo de hæresi se fecerit suspectum regularis, ab Episcopo, & inquisitore iudicari debet, cap. ad abolendam, de hæret. in 6. Nau. cons. 1. num. 5. de hæret. Similiter, & de omni crimine depositione digno, non superior regularis sed Episcopus cognoscere debet. id. Nauar. de foro compet. consil. 6. Zerol. par. 2. verb. regulares.

In causis item mercedum, & miserabilium personarum, contra regulares extra claustra degentes exemptione non obstante, & quãuis habeant conseruatorem seu iudicem suum deputatum, procedere potest Episcopus. Conc. cit. sess. 7. c. 14. de ref.

Eosdem regulares degentes extra claustrum, si delinquant punire potest idem Episcopus. id. Conc. sess. 6. ca. 3. de ref. Idque etiam si in studijs morentur, seu alias de superioris licentia in ciuitate extra monasterium sui ordinis habitent. id. Conc. sess. 25. cap. 4. de Reg idemque declaratum fuisse à sacra Cong. Concil. refert Genuen. in prax. c. 59. in hæc verba.

Regu-

Regularis manens extra claustrum de licentia superioris etiam in domo deputata ad erectionem monasterij, nisi in dicta domo sit regularis obseruantia, vt saltem viuat sub superiore conuentualiter, potest puniri ab Ordinario.

Item & vagabundi, & absque litteris obedientiæ, per ciuitates seu Diæcesim transeuntes, ab Episcopo detineri, carcerari, & tāquā instituti sui desertores puniri possunt. Conc. loc. cit.

Intra claustra autem degentes Regulares in causis mercedum, & miserabilium personarum, tum demum ab Episcopo iudicari possunt si conseruatores sibi non elegerint. id. Conc. sess. 7. cap. 14. de ref. super quorum electione editum decretum à dicta Sac. Cong. refert, Confect. in comp. priuil. tit. 4. c. 9. & Quar. verb. priuilegia. Regul. verbis quæ sequuntur.

43 *Iussu Greg. XIII. per Sac. Cong. declaratum fuit quod Regulares omnes in ciuitatibus existentes sibi conseruatores eligerent coram quibus conuenirentur, ac semel electos non nisi in capitulis prouincialibus mutarēt, eorundemque nomina intra mensem à die electionis Episcopis locorum ordinarijs indicerent, alioquin coram ipsis Ordinarijs conueniri possent.*

Intra claustra item degens Regularis, sed extra ea ita notoriè delinquens vt populo scandalo sit, ad requisitionem Episcopi à suo superiore puniri debet intra tempus ab Episcopo præfigendum, & si superior requisitus non puniret, Episcopus ipse punire posset. id. Cōcil. cit. sess. 25. de Reg. ca. 14. Et hoc casu posset Regularis deprehēsus in delicto deduci ad carcerem Episcopi, & sumpta informatione super delicto, dummodo sine mora sumatur, remitti cum copia processus ad suum superiorem puniendus cum præfixione termini ad puniendum, quod seruari in praxi Curiæ Neap. testatur. Genuen. loco citato. numero. 3.

Ad maiorem autem dicti. cap. 14. exequutionem, & ne Regularium superiores, Episcopum requirentem vt puniantur huiusmodi delicta quouis prætextu eludant, emanauit Cōstitutio Clem. VIII. vt sequitur.

44 *Suscepti muneris ratio postulat vt ea quæ in sacro. Trid. Concilio prouidè constituta sunt ab iis ad quos spectat, inuiolatè obseruari curemus. Maturo sane consilio ipsius concilij decreto prouisum est vt quicunque regu-*

regularis non subditus Episcopo, intra claustra degens, extra ea ita notoriè deliquerit vt populo scandalo sit, episcopo instante à suo superiore intra tempus ab episcopo præfigendum seuerè puniatur, & superior de punitione episcopum certiorem faciat; sin minus, ipse à suo item superiore officio priuetur, & delinquens ab episcopo puniri possit. Verum quia experientia compertum est, interdum in huiusmodi decreti executione nimis remissè procedi, cum enim episcopus instat, aliquem regularem eo quo supradictum est modo delinquentem, à suo superiore puniri, sæpè fit vt superior, regularem delinquentem, ad alia suorum ordinum loca, extra episcopi diæcesim, ex industria impunitum transmittat, atque etiam ipse aliquando ad alias prouincias se conferat, nec vlterius super delinquentis excessibus inquirat, & de eius punitione episcopum certiorē reddat; Vnde nec Regularis delinquens tunc ab episcopo puniri potest, cum extra ipsius diæcesim existat, nec superior qui delinquentem corrigere negligit, officio priuatur. Nos pro pastorali nostra sollicitudine, præfati decreti executioni quantum cum Domino possumus, fauere, & præmissis malis (vt par est) opportuno aliquo remedio occurrere volentes, de Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium prædicti concilij interpretum sententia: Motu proprio, & ex certa scientia nostris, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura constitutione, omnibus, & singulis cuiuscunque ordinis, & instituti regularium, etiam mendicantium superioribus, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub indignationis nostræ, ac priuationis dignitatum, & officiorum, per eos obtentorum, eo ipso incurrendis pœnis, præcipimus, & mandamus, vt iuxta prædictum decretum, quilibet ipsorum regularem non subditum episcopo, intra claustra degentem, & extra ea ita notoriè delinquentem vt populo scandalo sit, episcopo instante, intra tempus ab Episcopo præfigendum, seuerè puniat, ac de punitione episcopum certiorem faciat, & alias decretum ipsum in omnibus, & per omnia exequatur. Cæterum si superior in regularem delinquētem, non animaduerterit, quinimo si illum impunitum ad alia suorum ordinum loca extra episcopi diæcesim vt præfertur transmiserit, volumus, & simili motu atque auctoritate decernimus, vt superior instante episcopo intra terminum ab episcopo præfigendum, & sub eisdem indignationis nostræ ac priuationis dignitatum, & officiorum obtentorum, necnon & sub inhabilitatis, ad illa & alia in posterum obtinen. ac vlterius priuationis actiuæ, & passiuæ vocis ad quas à nemine præterquam à nobis, & à Rom. Pontifice pro tempore existente restitui possit, ipso facto similiter incurrendis pœnis, ipsum regularem delinquentem à loco ad quem trāsmissus fuit reuocare, & in quo deliquit constituere seu sistere teneatur. Quod si hoc etiam facere prætermiserit, per præsentes similiter statuimus, vt ordina-

dinarius loci ad quem regularis delinquens transmissus fuerit, super præmissis ab ipso Ordinario loci in quo deliquit similiter requisitus, vel alias de illius delicto informatus vt præfertur, tãquam sedis Apost. delegatus, prædictum concilij decretum omnino exequi, in regularem delinquentem seuerè animaduertere possit, & debeat. Decernentes sic, & non aliter per quoscunque Iudices, &c. Non obstantibus quibusuis eorundem ordinum vel institutorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & approbatis, cæterisque contrarijs quibuscunque. &c. Nulli ergo, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum, an. incarn. Dom. 1595. 7. Kal. Mart. Pont. an. 5.

45. Visitari etiam possunt ab Episcopo Monasteria Regularium cõmendata, in quibus non viget regularis obseruantia, nulla præscriptione, priuilegio, conseruatorum deputatione obstante. Et si in eis viget obseruantia regularis, monere debet Episcopus eorum superiores vt ipsi visitent, & corrigenda corrigant: qui si intra sex menses visitare neglexerint, Episcopus ipse visitare posset, & corrigere nullo priuilegio aut appellatione obstante. id. Conc. sess. 21. cap. 8. de reform.

Similiter monasteria quæ generalibus capitulis nõ subsunt, nec suos habent Visitatores Regulares, si monita in congregationes sese non redegerint, in omnibus episcopi iurisdictioni subiecta sunt. id. Conc. sess. 25. cit. c. 8. de regul.

46. Item monasteria quæuis seu ecclesiæ locauè regularium, curam animarum adnexam habentia, quoad ipsam curam visitari debent ab episcopo; itemque, & personæ curam huiusmodi exercentes siue sint sæculares siue regulares in omnibus curam ipsam concernẽtibus nulla exceptione se tueri possunt quominus visitentur, & corrigantur per episcopum. id. Cõc. c. 7. sess. 7. de ref. & c. 11. sess. 25. cit. quod idem disponi in Bulla Leon. X. vidimus superius.

Particulariter autem Militum S. Ioannis Hierosolimitani, quos merito inter huiusmodi exemptorum seriem recensere possumus, ecclesias, quibus cura animarum incumbit, in concernẽtibus ipsam curam Ordinario subiectas esse, & ab eisdem visitari posse, clare patebit ex rescripto Pij PP. V. quod sequitur.

Exposcit, & infra. Decernimus, declaramus, statuimus, omnes, & singulos locorum Episcopos, & alios superiores, tanquam Apostol. sedis delegatos,

legatos, omnes, & quascunque Parochiales Ecclesias, cæteraque beneficia ecclesiastica suarũ ciuitatum, & Diœcesum quibus animarum cura imminet, ad dictam religionem eiusque milites, Capellanos, Ministros, Rectores, quolibet pertinen. Et quod in eis episcopalẽ, & tẽporalẽ iurisdictionem religio, & milites prædicti haberẽt, eorumque ecclesias, Rectores, Vicarios, & ministros quoscumque (in his tamen duntaxat, quæ animarum curam, illiusque exercitium, & sacramentorum administrationem respiciunt) visitare, omnesque actus visitationem concernentes exercere posse, & debere; ac rectores cæterosque huiusmodi ministros curam animarum exercentes minus idoneos repertos, siquidem ad nutum amouibiles sint, statim amouere, sin vero titulares sint, illico suspendere, ac superiores eorum monere, vt intra aliquem breuem terminum in locum amotorũ subrogent alios idoneos, prius tamen per ipsos episcopos, & alios superiores examinatos, & approbatos, titularibus vero suspensis, deputent alios idoneos pariter examinatos, & approbatos, vt supra, in coadiutores seu Vicarios iuxta decretũ Conc. sess. 21. cap. 6. Interea vero dum hæc subrogatio seu deputatio fiat, ipsi episcopi, & alij superiores pro necessitate curæ animarum prouideant arbitrio suo, quod si superiores dictorum Rectorum, & ministrorum, intra tempus præfixum non subrogauerint aut deputauerint, vt supra, tunc dicto termino elapso ipsi episcopi, & alij superiores, alios præuio examine iuxta eiusdem Conc. formam idoneos repertos in locum amotorum subrogent: titularibus vero suspensis coadiutores deputent, iuxta dictũ, c. 6. sess. 21. qui tñ in dictis parochialibus perinde inseruiãt, ac si subrogati aut deputati ab ipsis superioribus religionis, & militum prædictorum fuissent. Volumus autem quod episcopi, & alij superiores prædicti, visitationem huiusmodi, & prædicta omnia solum tanquam delegati Apost. sedis, & gratis, & absque vlla dictæ religionis rectorum impensa, & onere faciant. In collatione item ordinum, necnon consecratione Ecclesiarum, & sacrorum vasorum, ac benedictionibus, & alijs actibus spiritualitatem concernentibus, ac institutione præsentatorum ab eisdem militibus ad beneficia, aut approbatione, seu confirmatione, quas ab eisdem fieri harum præsentium vigore contigerit, gratis omnia faciãt, & diligenter attendant, vt nullos admittant, qui qualitates à Concilio requisitas non habeant, ac præuio examine, iuxta eiusdem Concilij decreta idonei non existant. Nolumus autem episcopos, & alios superiores locorũ, suprascripta facultate vti, qui cum eadem religione, & militibus super iurisdictione episcopali in locis visitan. coram quibuscunque iudicibus litigant, nisi ipsi episcopi, & alij superiores viciniores, ius aliquod in iurisdictione huiusmodi non habentes, nullumque interesse prorsus prætẽdentes, facultate prædicta vtãtur. Nolumus item per præsentes vllum afferri præ-

iudicium

iudicium iuri visitandi dictas parochiales ecclesias, & alia beneficia curam animarum habentia, quod antea religioni, & militibus, predictis cõpetebat, inhibemusque expresse dictis episcopis, & alijs superioribus, ne hac facultate visitandi eis per presentes concessa alio vtantur modo, quã prescripto, sicque per quoscunque indices, &c. Dat. Romę apud S. Petrũ sub annulo Piscat. die. 22. Septem. 1571 Pont. nostri an. 6.

Qui etiam dictam curam exerceant, siue seculares siue regulares esse debeant, poni debent ad arbitrium superiorum ipsorum regularium, non autem ad arbitrium Episcopi, nisi quod examinari, & approbari prius debent ab episcopo antequam ponantur, quod declaratum fuisse à Sac. Cong. Conc. refert Gonz. super. 8. Cancel. gl. 5. §. 3. num. 34. his verbis.

Petentibus Iesuitis an Parochia Toletana in Monasterium erecta, & vnita eorum collegio, gubernari possit à deputato ab ipsis, modo sit approbatus ab Ordinario.

Censuerunt posse.

Et iterum.

Neque Vicarios perpetuos, neque temporales posse ab Ordinario poni in monasterijs, quibus cura imminet animarum, vel à principio, vel ratione annexionis, sed tantum à superioribus eorum, præuio tamen examine ipsius ordinarij iuxta præscriptum decreti Conc. sess. 25. c. 11.

Si tamen in deputando ipsi superiores regulares negligentes essent, vel non deputarent tot personas, quot ad exercitium ipsius curæ sufficerent, ab Episcopo compelli possent vt deputent, quod etiã fuisse declaratum à dicta Congr. testatur Confect. citat. titul o. 5. capitulo. 4.

Ijdem deputati ad curam animarum in Ecclesijs Regularium, ad Synodum Episcopi venire tenentur. citat. Conc. sess. 24. capit. 2. de reforma.

Beneficia item in quibus habent ius præsentandi vel instituendi regulares, si intra debitum tempus beneficijs huiusmodi non prouiderint, collatio ipsorum deuoluitur ad Episcopũ. Clem. vn. de supplic. negl. præl. Rebuff. de deuolut. num. 37.

Regulares ijdem subditi sunt Episcopo quoad confessiones personarum secularium audiendas, ita quod illas audire non possunt

nisi prius fuerint approbati ab Episcopo, ad quod vltra Const. Leo. X. supra allatam, faciũt etiam declarationes alias à nobis relatę de foro pœnitent.

Et si habuerint approbationem huiusmodi, adhuc non possunt absoluere pœnitentes ab excommunicatione lata ab homine, alioquin incurrunt ipso facto excommunicationem Papæ reseruatam, & eandem excommunicationem incurrunt si administrẽt infirmo Eucharistiæ vel extremæ vnctionis Sacramentum, vel benedicunt spõsos sine Parochi licẽtia, ex dispositione. Clem. 1. de priuil. vltra qđ illis hæc etiam sunt prohibita dicta const. Leonina.

Similiter incurrunt Regulares excommunicationis sententiam, si aliquid in concionibus vel sermonibus alijs prædicent quo populus à decimarum solutione abstrahatur. Clem. cupientes, de pœnis.

Ordines item suscipere non debent nisi ab Ordinario, ad quod videnda declaratio Clem. VIII. supra de Ordin. allatã.

Positionem primarij lapidis, consecrationem Ecclesiæ, Altaris, Cimiterij petere non debent nisi ab Ordinario. vt supra in dicta Leon.

Nouum etiam Monasterium ædificare seu fundare nõ possunt, nisi obtenta licentia ab Episcopo. cit. Conc. sess. 25. cap. 3. de Regu. Quem autem modum tenere debeat Episcopus in concedenda huiusmodi licentia, ordinauit Clemen. VIII. constitutione sua quæ sequitur.

47 *Quoniam ad institutã Regulariũ locorum, & personarum reformationem promouendam, & cõseruandam maximè pertinet, vt in quibuscũq; domib. & monasterijs, is tũ numerus Religiosorũ, qui commodè ibidẽ ali possit contineatur, ac eo pariter spectat, vt in quibusque ciuitatibus, & locis nouæ domus, & monasteria, præsertim mendicantium, non erigantur nisi in eisdem ciuitatibus, & locis, aliorum domorum, & monasteriorum in eis existentium habita ratione, commodè sustentari posse dignoscatur. Hac igitur nos consideratione ducti, & in præmissis pro nostro pastorali munere oportunè prouidere volentes. Motu proprio, & ex certa nostra scientia, ac matura deliberatione, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ex voto etiam S. R. E. Cardinalium, super consultationibus, negotijs Episcoporum, & regularium præpositorum, harum serie declaramus, locorum ordinarios non posse licentiam ad nouos conuentus cuiusque etiã mendicantiũ ordinis in ciuitatibus, & locis eorum ordinariæ iurisdictioni subiectis, erigendos impartiri, nisi vocatis, & auditis aliorum in eisdẽ ciuitatibus, & locis existentium conuentuum prioribus seu procuratoribus, &*

bus,& alijs interesse habentib.& causa seruatis seruandis cognita consti terit,in eisdē ciuitatib.& locis nouos huiusmodi erigendos conuentus sine aliorum detrimento cōmodè sustentari posse.Si vero ab eorum in huius modi causis,& sententijs ad nos & Apostolicam sedem prouocari,& appellari contigerit,ipsos ordinarios,tam diu erectionem nouorum conuentuum suspendere debere,quousque à nobis, & Apostolica sede in eadem causa pronunciatum extiterit,irritū nihilominus, & inane decernentes, quicquid secus super his à quoquam quauis authoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca vniuersis venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis,Episcopis,& alijs locorum ordinarijs, per præsentes in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipiendo, mandamus, vt præsentes nostras litteras obseruent,& obseruari curent,& faciant.Non obstantibus,&c.Dat.Romæ,apud San. Marcum,sub annulo piscatoris,die 23.Iulij 1603.Pont.ann.12.

Similiter & oratoria priuata ædificare non possunt,nisi prius ab ordinario fuerint designata,cir.Conc.sess.22.in decreto,de celebr. miss.quo decreto derogatum esse priuilegio regularium à Six.IV. concesso de celebranda missa quocumque loco super altari portatili,ita vt hodie post Conc.Trid. hoc priuilegio vti non possint,tenet Confect. sup. cita. titu.19.cap.2. quinimo subsunt in omnibus alijs quæ in illo decreto Conc.disponuntur, vt quoad ceremonias superstitiosas,mercedum conditiones, Eleemosynarum circa celeberationem importunas exactiones aliosque abusus ibidem expressos,vitandos.

Dies festos quos in sua Diæcesi Episcopus seruandos præceperit, Regulares quoque seruare tenentur,cit.Conc.sess.2.cap.12.de reg. circa quam festorum obseruationem emanauit decretum,Sac.Congregat. Conc. relatum à Quaran. loc.cit. tenore verborum huiusmodi.

Cong.Conc.censuit,decretum,cap.12. vers. Dies etiam festi, sess.25. de reg.ita esse intelligendum, vt regularium ritus, illis festis semper permaneant quoad missas celebrandas,& cætera diuina officia tam publicè quam priuatim ab ipsis Regularibus in eorum ecclesijs persoluenda, nec circa hæc ab Episcopis quoquomodo quicquam in contrarium eisdem regularibus præcipi posse.Quod si de facto præceperint, Regulares neutiquā ipsis Episcopis obedire teneri.Verū quoad Conciones, & lectiones, quas ijdem Regulares ad populum habuerint,debere se conformare Euangelijs & Epistolis,quibus clerus sæcularis vtitur illis diebus festis.

Censuras item & interdicta lata ab episcopo, ad mandatum ipsius Episcopi publicare, & obseruare in suis Ecclesijs obligantur, id. Conc. ibid.

Indulgentias quascumque publicare non debent, absque scitu, & auctoritate Episcopi, id. Conc. sess. 21. c. 9. de ref.

Quoad quæstuationes etiam & Eleemosynarum exactiones subduntur regulares in eo Episcopo, quod ipsi quæstuantes tenetur Episcopo facere fidem per litteras authēticas de licentia ad huiusmodi quæstuationem à suis superioribus sibi data, circa quod cōsulta Sac. Cong. Conc. respondisse legitur his verbis.

Cong. Conc. censuit Regulares mendicantes teneri ad ostendendam ordinario licentiam quærendi Eleemosynas à suis superioribus sibi datam.

Imo & prohiberi possunt per Episcopum ab immoderata exactione Eleemosynæ, vel ne exigant Eleemosynas pro conuentu extra Diæcesim existente, & ne exigant, nisi illi quorum licentias confirmauerit prius Episcopus, quod praxi suarum partium obseruari refert Genuen. in prax. sua, cit. cap. 59. num. 11.

Vt accedant ad processiones publicas compelli possunt per Episcopum, cit. Conc. sess. 25. cit. cap. 13. de reg. cum moderatione nimirum sac. Cong. Conc. relata à Quar. loc. cit. vt sequitur.

Congr. Conc. censuit, Regulares monasterij vltra medium milliare à ciuitate distantis, non posse ab Episcopo compelli accedere ad processiones.

Controuersias etiam de præcedentia, in processionibus publicis inter ipsos Regulares seu etiam sæculares clericos quosuis exortas componere omni appellatione remota; pertinet ad episcopum id. Concil. loc. cit. quis autem modus in eis componēdis tenendus sit, declarauit Gregor. XIII. constitutione sua relata apud Confect. fol. 250. vt sequitur.

48 *Exposcit Pastoralis officij munus. & infra. De nobis attributæ potestatis plenitudine volumus, & Apostolica auctoritate decernimus, quod quicumque ex dictis fratribus mendicantibus inter se de præcedentia huiusmodi contendentibus, aut Confratribus confraternitatum prædictarū, inter quos lites, & causæ præmissorum occasione ortæ iam sint seu oriri contigerit in futurum, qui in quasi possessione præcedentiæ ac iuris præ-*

cedendi

cedendi sunt, ij (quibuscumque reclamationibus, protestationibus, appellationibus, & alijs subterfugijs prorsus remotis, & cessantibus, & postpositis) in processionibus tam publicis quam priuatis praecedere debeant. Quando vero non probetur aut non constet de quasi possessione praecedentię huiusmodi, inter fratres quidem mendicantes ij, qui antiquiores in loco controuersiae, inter confratres vero inter se litigantes ij qui prius facceis vsi sunt, in processionibus, tam publicis quam priuatis praecedere debeant, ita vt si contigerit noua monasteria aut domos alicuius ordinis mẽdicantium in loco in quo alterius ordinis ex dictis mendicantibus monasteria aut domus prius erecta, & instituta sint, ille ordo, qui prius monasterium seu domum in loco habuerit praecedat. Praeterea quia inter praedictos ordines plerumque alia in processionibus, & alia in Concilijs Generalibus, & alijs actibus publicis siue priuatis ratio circa modum praecedẽdi seruatur, nolumus per praesentes praerogatiuis dictorum ordinum quoad praecedentias huiusmodi, quae proprijs ordinibus praeterquam in processionibus praedictis debentur, aut fratribus Cappucinis nuncupatis, qui in processionibus publicis sub conuentualium S. Francisci aut Minorum de obseruantia fratrum nuncupatorum Cruce, vt solent, incedere possint, aliquod praeiudicium generari, sicque per quoscumque iudices, &c. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apost. necnon Ecclesiarum monasteriorum ordinum congregationum Domorum aut confraternitatum quarumcunque, etiam iuramento confirmatione Apostol. vel quauis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus priuilegijs quoque indultis, & litteris Apost. &c. Dat. Rom. apud S. Marcum, die 15. Iul. 1583.

Et iterum sac. Congr. consulta super dubijs controuersiarũ de pręcedentia respondit die 26. August. 1593. in haec verba relata, apud Quar. ver. praecedentia.

Sacra Congregatio Illustrissimorum, & Reuerẽdiss. DD. Cardinalium negotijs, & consultationibus Episcoporum, & Regularium praefecta, ad tollendas omnes lites, & controuersias, quae inter Regulares plerumque solent oriri super eorum praecedentia in processionibus caeterisque actibus tum publicis, tum priuatis, illud in futurum obseruandum censuit, quod in hac alma Vrbe omnium magistra seruatur.

Die 30. Aug. 1593. Illustriss. & Reuerendiss. D. Card. Alexan. retulit suprascriptam Cõgregationis sententiam Sanctissimo placuisse, & iuxta eam in casibus occurrentibus semper rescribi, & si oportunum fore videbitur generalem constitutionem desuper fieri mandasse, illa Gregor. XIII. quae incipit exposcit alijsque contrarijs quibuscunque non obstantibus.

Sub-

Subduntur præterea Regulares Episcopo quoad cõtributionem pro seminario præstandam, eam enim pro modo facultatum monasterij cuiusq; imponere ipsis põt episcopus Cõc. cit. c. vlt. sess. 23. vbi tamen excipiuntur mendicantes. quorum nomine quænam intelligi debeant, declarauit Pius V. constitutione sua relata apud Cõfec. cit. fol. 290. cuius verba sequuntur.

49 *Romanus Pontifex, & infra. Motu proprio non ad ipsorum fratrum vel alicuius eorum nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, omnes, & singulos quatuor mendicantium ordinum videlicet Sancti Dominici, & Sancti Francisci, ac Eremitarum Sancti Augustini, necnon Carmelitarum, & quos etiã recenseri volumus seruorum Beatæ Mariæ nominibus comprehensos fratres, eorumque domus monasteria, & loca etiamsi in cõmuni propria bona tam mobilia quam immobilia, & stabilia ac alia quæcunque possederint, mendicantium vocabulo, & omnibus & singulis mẽdicantium priuilegijs eis quomodolibet concessis, vti posse, & debere nec super præmissis vllo vnquam tempore molestari posse auctoritate Apostolica per præsentes statuimus, & declaramus, ac tam Conc. Triden. quam omnia & singula alia decreta, statuta ordinationes priuilegia, & iura de mendicantibus loquentia, ad omnes & singulos ordines præfatos eorũque, domos & loca etiam propria bona in communi tamen retinentes extendimus, & ampliamus, illaque de illis loqui etiam auctoritate præfata per easdem præsentes declaramus. Ac insuper eisdem ordinarijs, & quibusuis alijs tam ecclesiasticis, quam sæcularibus quauis auctoritate fungentibus in virtute sanctæ obedientiæ, & alijs arbitrio nostro moderandis pœnis similiter per præsentes mandamus, vt si quid per eos tam nostro quam prædecessoris nostri temporibus, tam ratione seminarij, subsidij, & decimarum, quam aliorum onerum huiusmodi exactum fuit, id totum eisdem fratribus omni mora, & dilatione postpositis, restituant, districtius inhibentes eisdem locorum ordinarijs cæterisque personis tam ecclesiasticis quam sæcularibus, quauis auctoritate fungentibus, & cuiusuis dignitatis, gradus, & conditionis existentibus, ne eosdem mendicantium ordinum fratres præfatos, bona huiusmodi retinentes quouis prætextu super seminarij, subsidij, & decimarũ contributione molestare inquietare, vel perturbare audeant, vel præsumant. Decernentes, &c. Datum Romæ, die 1. Octob. 1568.*

Patres quoque Societ. Iesu inter mendicantium ordines comprehendi voluit Pius V. Constit. sua, quæ sequitur.

Pius

Pius Papa V. ad perpetuam rei memoriam.

DVm indefessæ considerationis intuitu perscrutamur, quantam Christianæ Reipubl. vtilitatem attulerint, dilecti filij presbyteri Soc. Iesu, ac planè conspicimus, eos verè mundi huius relictis illecebris se adeo saluatori suo dedicasse, vt conculcatis thesauris quos ærugo, & tinea comedit, lumbisque paupertate, & humilitate præcinctis, non contenti terrarum finibus, vsque ad orientales, & occidētales Indias penetrauerint, ac eorum aliquos Domini amor perstrinxerit, vt etiam proprij sanguinis prodigi, vt verbum Dei inibi efficacius plantarent, martyrio voluntario se supposuerint, perque eorum spiritualia exercitia, etiam Regna ipsa fidē Christi agnouerint, ac tam inibi quam vbiq; terrarum, charitatis, & misericordiæ opera exercere. Studeāt, facere nullo modo possumus, quin eos tanquam veros palmites in Christo per charitatē coniunctos, & benignè amplectamur, & ea sibi specialiter concedamus, quæ & paupertatis per eos emissæ voto, & eorum instituto ac commoditati credimus profutura. Hinc est, quod nos attendentes, quod licet dilecti filij præpositus Generalis, & presbyteri Soc. huiusmodi, tum quia ipsa Societas mendicans existit, quippe, quæ ex eius instituto, & constitutionibus Apostolica authoritate confirmatis, bona stabilia possidere nequit, sed incertis eleemosynis, fideliumq; largitionibus, & subuentionibus viuit, tum quia non minus, quam cæteri mendicantes in excolenda vinea Domini assiduè laborant, fructusque ingentes, & salutiferos producunt, ac propterea eisdem priuilegijs, indultis & gratijs fratribus mēdicantibus hactenus concessis, vti, frui, potiri, gaudere merito possint ac debeant. Cum autem illud aliquando in controuersiam deduci posset, ex eo quod dicta Soc. Collegia habeat secum adiuncta. Nos ambiguitatem huiusmodi omnino amputare volentes, eosdem Præpositum, & Societatem, eorumque singulos à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris & pœnis, à iure, vel ab homine, quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existant, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, necnon dictæ Soc. instituti, constitutionum, & dispositionum, tam de iure, quam ab homine prouenientium, necnon priuilegiorum immunitatum, indulgentiarū, & gratiarum mendicantibus fratribus huiusmodi quomodolibet concessorum, ac litterarum desuper confectarum tenores, præsentibus pro expressis habentes, motu proprio non ad ipsorum Præpositi generalis, & Societatis, vel alicuius eorum, aut alterius pro eis nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex mera liberalitate, & certa

scientia

scientia nostris, illam & illius præpositum ac singulas personas Soc. huiusmodi, verè, & non fictè, mendicãtes fuisse, & esse, & fore, & inter aliorum fratrum, & religiosorum mendicantium ordines, aliosque fratres, & religiosos mendicantes, prout illos nos connumeramus, & connumerari debere, ac omnes, & singulos tam iuris quam hominum dispositiones in fauorẽ religiosorũ, seu fratrũ mendicantiũ, nunc & pro tẽpore emanatas, & in Soc. illiusq; domib. Collegijs, Præposito & alijs Religiosis locũ habere, necnon oĩa, & singula quæcunq;, quotcunq; & qualiacunq; sint, & speciali nota digna, priuilegia, ĩmunitates, exẽptiones, facultates, cõcessiones, indulta indulgẽtias, peccatorũ remissiones, & gratias tã spirituales, quã temporales, literasque Apostolicas etiam iustitiam, siue mixtum concernentia, hactenus per nos, & quoscunque alios Pontifices, tam prædecessores, quam successores nostros, & denique Sedem Apost. & illius Legatos de latere siue Nuncios, & quascunque alias personas quauis authoritate fungentes, etiam motu, & scientia similibus ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, etiam Consistorialiter, tam in genere, quam in specie, & tam communiter, & coniunctim, quam particulariter, & diuisim, etiã per modum extensionis seu communicationis, & alias quomodolibet, quibusuis ordinibus fratrum, & sororum mendicantium, quocunque nomine nuncupentur, illorumque Congregationibus, conuentibus, & capitulis, ac vtriusque sexus personis ac illorum monasterijs, domibus, Ecclesiis, hospitalibus, & alijs pijs locis, hactenus concessa, & in posterum concedenda; quorum omnium, & singulorum tenores, acsi de verbo ad verbum inserti forent, præsentibus pro insertis, & expressis haberi volumus, eisdem præposito ac Societati, & omnibus illius personis, domibus ac collegijs vbiq; terrarum sitis, ita quod Societas, domus, collegia, præpositus, & personæ huiusmodi, omnibus, & singulis prædictis priuilegijs, immunitatibus exemptionibus, facultatibus, concessionibus, indultis, indulgentijs, remissionibus, gratijs, & litteris eisdem fratrum, & sororum mendicantium ordinibus, congregationibus conuentibus, capitulis, personis, monasterijs, domibus, ecclesijs, hospitalibus, & alijs pijs locis vt præfertur concessis, & concedendis, ante potuerint, ex nunc ac in futurum, dummodo instituto societatis, & præpositi seu deputatarum personarum huiusmodi, volũtatis beneplacito non refragentur, possint libere, & licite vti, frui, potiri, & gaudere in omnibus, & per omnia, nõ solum ad illorum instar, sed pariformiter, & æquè principaliter absque vlla prorsus differentia, perinde acsi societati, præposito, personis, domibus, & collegijs prædictis, nominatim, specialiter, ac generaliter concessa fuissent, Apostolica authoritate tenore præsentium perpetuo sancimus, volumus, & declaramus, ac pariter concedimus, indulgemus, & elargimur. Decernentes præsentes litteras

nullo

nullo vnquam tempore per nos aut sedem prædictam reuocari, aut limitari, vel illis derogari posse, neque sub vllis similium, vel dissimilium gratiarum reuocationibus, alterationibus, limitationibus, derogationib. aut alijs contrarijs dispositionibus, nunc & pro tempore emanatis comprehendi, sed semper ab illis excipi, & quoties reuocari, alterari, limitari, & derogari contingat, toties in pristinum, & eum in quo ante præmissa erant statum restitutas, & de nouo etiam sub posteriore data per pro tempore existentem Soc. huiusmodi præpositum generalem eligendam, concessas esse, & fore. Ac ita, & non aliter per quoscunque iudices, tam ordinaria, quã delegata, & mixta authoritate fungẽtes, etiam S.R.E. Cardinales, etiam sedis Apost. Legatos de latere, & Nuncios, ac causarum Palatij Apost. Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi facultate, vbique & in quauis instantia interpretari, censeri, iudicari, cognosci, & decidi debere. Irritum quoque & inane quicquid secus super his à quoquã quauis authoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca Venerab. fratribus Patriarchis. &c. Non obstantibus, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscat. 1571. die 7. Iulij. Pont. an. 6.

Similiter, & ordo minimorũ, S. Franc. de Paula annumeratus fuit inter mendicãtes ab eodẽ Pio V. Const. sua incip. Apostolicæ, de an. 1567. 9. Nouẽb. & alia Const. incip. Romanus, eiusdẽ eo. an. 19. Nouẽb. Congreg. Iesuatorũ, mẽdicantiũ ordinibus annumerata fuit. Et demum, Clemen. VIII. Const. incip. Rom. Pontifi. decet, ann. 1603. 20. Aug. Carmelitas discalceatos, declarauit esse ex or. ine mendicantium.

Moderata etiam fuerunt priuilegia Regularium, vt ad leuanda defunctorum corpora intra parochiam cum Cruce sine scitu parochi intrare non possint à Leon. X. in Concil. Lateran. citat. Constit. Dum intra mentis arcana. super quo extat declaratio sacr. Congregat. relata apud, Quaran. ver. priuilegia Regul. cit. hoc verborum tenore.

50 *Licet in sacro generali Lateranensi Concilio statutum, & ordinatum fuerit, vt fratres ordinum mendicantium cæterique Religiosi Regulares non possint intrare Parochias cum Cruce ad leuanda funera eorum, qui apud ecclesias Domorum, & locorum eorundem suam elegerint sepulturã nisi prius præmonito, & requisitò ac recusante parochiano presbytero, & tunc sine eius & ordinarij præiudicio, significatũ tamen est sacr. Congreg. S.R.E. Card. negotijs Episcoporũ, & Regul. ꝑposit æ, nõnullos fratres præsertim ordinis Minorum de obseruantia cuiusdam consuetudinis prætextu, quam neque antiquitate vallari, neque obseruantia viridi inniti,*

neque pacifica,& non interrupta possessione firmatam esse constat, contendere sibi licere, defunctorum funera proprio eorum parocho absente, eoque irrequisito, efferre, & leuare; idque haud leues controuersias, & altercationes aliquibus in locis nō sine populi scandalo, & Dei offensione excitasse, Ideo volens eadem Sacra Congreg. omnem eiusmodi dissensionum, & scandalorum materiam, & occasionem pracidere, atque in futurum prouidere, vt tam parochi quam Fratres ipsi vnanimi inter se voluntate, & ea qua par est charitate vltima hac christianæ pietatis officia defunctis, præstēt, declarat, & huius decreti tenore statuit prædictis Fratribus Ordinis minorum de obseruantia alijsque quibusuis Regularibus quorumcunque ordinum, & congregationum tam mendicantium quam non mendicantium existant, nullo modo licere etiam specialis alicuius cōsuetudinis prætextu parochias cum Cruce processionaliter aut alias ad efferenda, & leuanda defunctorum funera intrare, vel illa leuare, & efferre, nisi vocato, & expectato proprio defuncti parocho, eoque ibidem præsente, si tamen ipse aliter fieri non consentiat, & permittat, vel nisi requisitus venire expressè omnino recuset. Atque ita obseruari mandat, & districtè præcipit, firmis cæteroqui, & in suo robore permanentibus ijs omnibus quæ super quarta funerum, & canonica portione alijsq; iuribus ad sepulturas pertinentibus à sacris canonibus, & Conciliorum Decretis sūmorumque Pontificum constitutionibus hactenus sancita, ordinata sunt, vel alias ex particulari consuetudine vel alio iure obseruātur. Rom. die. 12. Ian. 1603.

Alex. Card. Flor.

Funeralium etiam medietatem seu eius æstimationem parocho dare obligantur, Regulares, extrauag. inter cunctas. §. de funeralibus, de priuil. comm. vel si fuerit quoad quantitatem soluendi, loci specialis consuetudo, seu conuentio cum parocho, illa seruanda est. Confect. in cit. sum. tit. 20. cap. 1.

Funeralium autem nomine intelliguntur ea omnia quæ circa funus deferuntur, exceptis candellis qūas fratres in māibus deferunt, de quibus portio funeralis peti non potest. extrauag. cit.

Regularis item suscipiens onus exequutionis testamenti ex permissu superiorum, tenetur reddere rationem exequutionis suæ Episcopo, & si in ea deliquerit potest puniri ab Episcopo. cl. vn. de testam. Pro delicto etiam in seculo seu ante ingressum religionis commisso ab Episcopo puniri debet Regularis. Confect. cit. tit. 5. cap. 2. in fine. Item, & ratione reconuentionis, ca. 1. de mut. pet. Mar. 4. p. dist.

dist.6.num.44.Zer.verb.excommunicatio materialis,in fine.

Regularis sepeliens interdictum excommunicatum, seu in alijs casibus prohibitis,ab excommunicatione quam ipso facto incurrit non est absoluendus nisi a rbitrio Episcopi læsæ parti satisfecerit. clem.1 .de sepult.

Renũciatio bonorum quæuis per nouitium ante annum professionis facienda,fieri debet de consensu Episcopi,alioquin subiacet vitio nullitatis.Conc.cit.sess.25.cap.16.de Regul. Exeũti ante professionem omnia quæ sua sunt,vt restituantur Episcopus per Censuras compellere potest.ibid.

Controuersia de validitate professionis Regularium spectat ad iudicium Episcopi Conc.ibid.cap.19.vbi & modus traditur in huiusmodi causis procedendi,vt videlicet opponens de inualiditate causas afferat legittimas,& si sponte ante dimiserit habitum, non amplius oppositio ipsi suffragetur.

Cathedrali Ecclesiæ honorem præstare debẽt ijdem Regulares, vt in eo quod Leo.X.in cit.sua constitutione ordinauit his verbis.

Et vt debitus honor matrici Ecclesiæ reddatur tam ipsi fratres,quam alij Clerici sæculares,etiam super hoc Apostolicæ sedis priuilegio muniti,die Sabbati maioris hebdomadæ antequam campana Cathedralis vel matricis Ecclesiæ pulsauerit,campanas in Ecclesijs suis pulsare minimè possint,contrafacientes pœnam centum ducatorum incurrant.

Tenentur,& ad reuerentiam condignam Episcopo exhibendam, nec possunt ipsum prohibere quominus in eorum Ecclesijs populũ benedicere,pontificaliter celebrare,vel celebrationi pontificalib. indutus adesse valeat. Cle. vn. de priuileg.specialiter autem quod Baldachino vti possit in Ecclesijs Regularium,declarauit.Sacra Cõgreg.in hæc verba relata apud Quar.loc.cit.

Decet Episcopis,& infra. Atque ideo Sac.Cõg.S.R.E. Cardinalium negotijs,& consultationibus Episcoporum,& Regularium præposita,facto verbo cum sanctissimo.D.N.Clemente PP.VIII.ac de Sanctitatis suę speciali,& expresso mandato hoc præsenti decreto perpetuis futuris temporibus valituro declarat,statuit,decernit,& mandat,vt de cætero Episcopi vbi tam ex consuetudine,& priuilegio,quam ex sacrorum Canonũ constitutionibus, & Pontificalis Romani præscripto aut alio iure, Pontificalia exercere,aut Pontificalibus paramentis cum mitra,vel etiam sola cappa induti,in quibusuis Regularium tã mẽdicantiũ,quam non mendi

cantium Monachorum, etiam Cassinensium Clericorum præsbiterorum, & cuiusuis alterius Ordinis, & Religionis Militiæ Societatis aut Congregationis ecclesijs interesse possunt, ipsi Regulares quoties opus fuerit teneantur ibi, & debeant in loco ad solium episcopi constituendũ opportuno, & cõgruo Baldachinum attollere: Eis autem id facere negligentibus aut nolentibus, liceat eisdẽ episcopis illud apportari, & in quacunque eorundem Regularium aut alia quantumuis exempta ecclesia, supra solium episcopale seu Pontificale faldistorium erigi facere, atque sub eo sedere, & stare quemadmodum in proprijs, & Cathedralibus eorum ecclesijs stare, & sedere solent, eo tamen duntaxat tempore, quo Pontificales eiusmodi functiones exercebunt, vel dum actus ipse cui in Pontificalibus aderũt, peragetur. Si qui vero Regularium huic declarationi statuto, decreto, & mandato inobedientes, & contumaces fuerint, sciant se ab eisdem episcopis ad id per censuras, pœnas ecclesiasticas huius Decreti virtute cogi, & compelli posse, & alijsque pœnis tam spiritualibus, quam temporalib. arbitrio Summi Romani Pontificis subiacere, & obnoxios fore. Non obstantibus, quibusuis constitutionibus, &c. Romæ. 10. Iun. 1603.

Alex. Card. Flor. Ep. Prænest.

In qua declaratione illud specialiter est notandum posse hoc casu Episcopum contra Regulares contumaces excommunicationis, & censurarum pœnis se tueri, quod & Quar. cit. notat.

Abbates item exempti tenentur exhibere reuerẽtiam Episcopo. Felin. in cap. conquerente, num. 1. de off. Ord. & electi ab Episcopo sunt confirmandi, & benedicendi. c. cum monasterium, de electio. Abb. in cap. 1. de suppl. negl. præl. Host. in sum. ibid. nu. 4. circa quã confirmationem, & benedictionem, potest Episcopus exigere iuramentum ab Abbate de præstanda sibi reuerentia, & obedientia iuxta formam traditam. in c. ne Dei Ecclesia, de Simon.

Vltra prædicta contra Regulares exemptos Episcopus Iurisdictionem prætendere potest in illis quæ in ipsorum priuilegijs, non sunt expressa, quod ex inspectione ipsorum priuilegiorum dignosci potest. capit. porro, de pruil. & notat. gloss. in cap. sane de excess. prælat. potestati enim ordinariorum nunquam detrahitur nisi in quantum fuerit expressum, vt notat similiter, gl. in verb. quantum, cap. 1. de priuil. in 6. Tenentur autem requisiti exhibere suæ exemptionis priuilegium, quando non constat notorie de eorum exemptione. cap. Abbate. iun. gl. verb. fiat fides. de verb. sign. c. cum personæ. de priuil. in 6. Confect. loc. cit. tit. 5. c. 2.

Pro

Pro regula etiam vniuersali notat Innoc.in cap. cum capella. de priuil.exemptos ratione rei non exemptę subiacere Iurisdictioni ordinarij.

51 Similiter subsunt Episcopi iurisdictioni si contra exemptionem legittimè fuerit præscriptum,præscribi enim potest contra priuilegia Regularium spacio annorum quadraginta si ipsis scienter,& voluntarie,& oblata vtendi occasione non fuerint vsi,non quidem in totum,sed ita vt de exemptione tantum detrahatur quantum fuerit præscriptū,videlicet respectu claustri,& Episcopi seu alterius præscribentis,& respectu rei præscriptæ,cap.accedentibus, c. si de terra.iun.glos.de priuil.quod & præsupponere solent Sum.Pont.in cōfirmationibus huiusmodi priuilegiorum,vt Greg.XIII. in sua Bulla.incip.ex benigna.de anno.1575.21.Mar.adhibuit clausulā (quatenus sint in vsu,& Sacris Canonibus ac decretis sacri Conc. Trid. non aduersentur approbamus,&c.) & Six.V.in aliquibus suis confirmationibus,vt refert Eman.Roder.Reg.quæst.tom.1.quæstio.8. artic.3.

Subsunt item Regulares Iurisdictioni Episcopi si in aliquo sponte ipsi se submiserint,hoc enim facere possunt,cum quilibet priuilegio suo speciali,licet non priuilegio iuris communis, renūciare possit,cap.si de terra.cit.maximè vero vniuersitas seu Claustrum totū, & non persona singularis,vel saltem in suum pręiudicium,& non in præiudiciū superioris eximentis.Ab.in c.significasti,de foro comp. Ang.Arm.ver.exempt.nu.5.& 8. Vnde & pacta per Regulares inita licet non fuerint approbata à Capitulo ipsorum Generali vel prouinciali,ligant ipsos regulares,c.vlt.de pactis,in 6. quod magis confirmant verba constitutionis supra à nobis relatæ Leo.X.illo loco.

Pacta autem,& conuentiones inter eosdem Fratres, & Prælatos atque curatos pro tempore inita valeant,nisi per subsequntum Capitulum proximum generale vel Prouinciale refutata,& per eos refutatio huiusmodi intimata debito tempore fuerit.

Ad extremū ponēdū hic est quod licet Regulares delinquentes contra statutū Episcopi excōicationē annexā trahens,propter eorū priuilegia,quibus ipsis conceditur, quod excommunicari non possint, non incidant in excommunicationem sic statuto Episcopi annexam,sed puniendi sint à suis superioribus Regularibus, ad requi-
52 sitionem ipsius Episcopi,excommunicati tamen à iure,vel constitutionibus Apostolicis,declarari ab Episcopo, et pro excommunica-

tis

tis publicari, ad effectum, vt euitentur à populo Diæcesis, Clem.1. de priuil.ibique Card.num.24. Felin. in cap.non potest. num.3.de re iud.vbi dicit exemptum sic excommunicatum, citari etiam posse ad videndum se declarari. Absoluere tamen Regulares non potest Episcopus ab excommunicatione sic incursa, licet alias suos subditos si eandem excommunicationem incurrant, aliqua ratione absoluere possit, quia nimirum Regulares nō sunt illius subditi, Abb. in cap.significasti, de foro comp. Ange.Arm. ver.exemptio, num.6. & 9. Sed huiusmodi absolutio spectat ad superiores ipsorum regulares, qui etiam in casibus, cap.6.sess.24.Conc.Trid.cit.de ref.suos subditos itidem regulares absoluere possunt facultate ipsis ad hoc data à Pio V. constitutione sua incip. Romana.de an.1571.die 21. Iulij, quam etiam refert Confect.sup.cit.

Delinquentes autem Religiosi in casibus in quibus ex Conc.Triden.iurisdictioni Episcoporum subduntur, excommunicari, & alijs pœnis puniri possunt ab Epō, cū quoad contenta in dicto Conc.cessent omnes eorum exemptiones, & priuilegia, vt patet ex textu eiusdem Conc.cap.vlt.sess.25.de reg.& ex Bulla Pij IV.incipit.In Principis, ann.1565.24. Febr. qua reuocantur priuilegia Regularium, quoad contenta in decretis Conc.Trid. ita Genuen. lo.sup.cit.cap. 59.num.9.

Similiter, & in omnibus alijs casibus præmissorum, quibus Regulares subesse diximus Episcopo, ijdem regulares excommunicari possunt ab ipso Episcopo, maximè vero si episcopus reperiatur in possessione iurisdictionis contra ipsos, tunc enim episcopus ad defensionem iuris proprij posset contumaces excommunicare de facto, etiam non obseruato iudiciali processu nec monitione præmissa, tunc enim faceret non vt iudex, sed vt pars defendens ius suum, nec obligaretur ad obseruationem iudicialis processus, Felin.in ca. sacro, num.6.de sentent.excommun. neque appellatione huiusmodi excommunicatio impediri posset.Innoc. in cap.venerabili, de cēsibus. E contra vero si ipsi regulares in possessione reperiantur cū titulo saltem colorato, in ea manuteneri debent, quousque per superiorem dubium de exemptione cognoscatur, cap.1.vt lite pendēte, Innoc. Abb.ib. cognitio autem huiusmodi spectat ad Papam, ca. cum venissent, de iudicijs, tum vero maximè, quia ipse sibi eam reseruare solet in ipsorum priuilegiorum contextu, vt videre licet in ipsismet priuilegijs varijs regularibus concessis.

Et hæc pro visitatione Regularium dicta sint, qui licet absolutè visitari non possint, nisi in casibus supra expressis, tamen cum Episcopus

scopus visitat suam Diœcesim,& loca domicilijs regularium vicina, an regulares ibidem degentes in casibus præmissis iurisdictionem ipsius Episcopi concernentibus,delinquant,inquirere, eosque iuris remedijs in disciplina continere potest.

De Visitatione sanctimonialium.

SVMMARIVM.

53 *Clausuram monialium prouidere spectat ad Episcopum.*
54 *Moniales alloquendi facultas à quo danda.*
55 *Monasteria monial. ingrediendi licentia quando non iuuat.*
56 *Moniales vltra numerum præfixum non sunt recipiendæ.*
57 *Puellæ educationis causa teneri possunt in monast. monial.*
58 *Tertiariæ quando non gaudeant priuilegio regulæ.*

MOniales sub aliqua regula certa,& approbata viuentes,priuilegijs fratrum eius regulæ cui sunt adscriptæ,gaudent,præcipuè vero moniales ordinum mendicantium,quorum priuilegia fratribus, & sororibus inuicem communicauit Leo X. constitutione sua,incip. Dudum per nos, ann. 1519. 10. Decemb. relata apud cit. Confect. fol. 160. Aliquando tamen,vel ex fundationis modo, siue legitima præscriptione,seu alia quauis vt diximus de ipsis fratribus rationũ,quæ in multis, monialibus quoque applicari possunt, sub-
53 duntur iurisdictioni episcopi,specialiter aũt quoad clausuram omnes moniales indifferenter subiectæ sunt episcopo, etiam illę quæ à regularibus reguntur, ita quod episcopus quoad clausuram huiusmodi eas sẽper visitare possit,& cogere,vt ea diligẽter obseruetur, cap. vn. de stat. regul. in 6. cit. Conc. sess. 25. ca.. 5. de reg. Quod idem confirmauit Pius V. Constit. sua, quæ sequitur

CIrca Pastoralis officij,& infra. Hac igitur perpetuo valitura constitutione, inhærentes etiam constitutioni fel. rec. Bonif. Papæ VIII. prædecessoris nostri, quæ incipit. Periculoso, & decretis Conc. Trid. super clausura Monialium editis, authoritate Apostolica tenore præsentium statuimus, atque perpetuo decernimus, vniuersas & singulas moniales, presentes atque futuras, cuiuscumque religionis, ordinis, vel militiarum, etiam Hierosolimitan. sint, quæ vel iam receptæ sint, vel in posterum in quibusuis monasterijs siue domibus recipientur, & tacitè, vel ex

pressè

presse religionem professæ, etiamsi conuersæ aut quocumque alio nomine appellentur, etiamsi ex institutis, & fundationibus earum regulæ ad clausuram non teneantur, nec vnquam in earum monasterijs seu domibus, etiam ab immemorabili tempore, ea seruata non fuerit, sub perpetua in suis monasterijs seu domibus de cætero debere permanere clausura, iuxta formam dictæ Const. fe. rec. Bonif. Papæ VIII. prædeces. nostri, quæ incipit. Periculoso, in sacro Conc. Trid. approbatam, & innouatam, quam nos authoritate præfata etiam approbamus, & innouamus in omnibus, & per omnia, ac illam districtè obseruari mandamus. Quod si aliquæ moniales forsan reperiantur, quæ consuetudine etiam immemorabili, aut instituto, vel fundatione regulæ suæ fretæ, animo obstinato huic clausuræ resistant, aut quoquomodo reluctentur, Ordinarij vna cum superioribus earum, omnibus iuris, & facti remedijs compellant easdem tanquam rebelles, & incorrigibiles ad præcisè subeundum dictam clausuram, & perpetuo obseruandum. mulieres quoque, quæ Tertiariæ, seu de pœnitentia dicuntur, cuiuscunque fuerint ordinis, in congregatione viuentes, si & ipsæ professæ fuerint, ita vt solemne votum emiserint, ad clausuram præcisè, vt præmittitur, & ipsæ teneantur. Quod si votum solemne nõ emiserint, Ordinarij vna cum superioribus earum, hortẽtur, & persuadere studeãt, vt illud emittant, & profiteantur, ac post emissionem, & professionem eidẽ clausuræ se subijciant: quod si recusauerint, & aliqua ex eis inuentæ fuerint scandalosè viuere, seuerissimè puniantur. Cæteris autem omnibus sic absque emissione professionis, & clausura viuere omnino volentibus, interdicimus, & perpetuo prohibemus, ne in futurum vllam aliam prorsus in suum ordinem, Religionem, Congregationem vè recipiant.

Quod si contra huiusmodi hanc nostram prohibitionem, & decretum aliquas receperint, eas ad sic viuendum omnino inhabiles reddimus, ac illarum quaslibet professiones, & receptiones irritas decernimus, & nullas, prout etiam præsenti decreto irritas facimus, & annullamus.

Porro ne moniales, vel Tertiariæ prædictæ propter hanc clausuram detrimẽtum, aut incommodum aliquod in earum necessitatibus, maximè in pertinentibus ad illarum victum patiantur, sed vt eis opportunè consulatur, authoritate Apostolica præfata statuimus, decernimus, præcipimus, atque mandamus Ordinarijs, & superioribus earum, vt curent colligi fidelium eleemosynas per conuersas, quæ non sint professæ, vel si professæ fuerint sint tamen ætatis annorum quadraginta, & in domibus cõtiguis, extra tamen monasterium degant, & non ingrediãtur clausuram aliarũ monialium, nisi in casibus ex earum constitutionibus permissis, & de earum domibus exire non possint pro huiusmodi eleemosynis colligendis, nisi de licentia Ordinarij, vel earum superiorum, & de cætero nulle aliæ cõ-

uersæ

uersæ professę recipi amplius, etiam de consensu suorum superiorum, vel Prelatorum possint. Quod si aduersus hanc nostram prohibitionem receptæ fuerint, illarum receptio nulla, irrita, & inanis sit, prout ex nũc nullam, irritam facimus, & annullamus. Quod si prædicto modo necessitatibus monialium, & mulierum Tertiariarum prædictarum succurri sufficienter non poterit, mandamus ipsis Ordinarijs, & superioribus earum, vt ipsi prouideant de alijs personis pijs, & Deo deuotis, quæ fideliũ eleemosynas colligant, vel alias eo meliori, & commodiori modo quo fieri poterit, etiam ex opere manuum ipsarum monialium, & mulierum prædictarum, arbitrio Ordinariorum, & superiorum earundem, & prout eis congruentius expedire videbitur, prouideatur, & succurratur. Et ne propter monialium numerum excessiuum, clausurę obseruatio violetur, inhærentes etiam similiter dispositioni dictæ Constitutionis Bonif. & Concil. Trid. decreto, monialibus prędictis, & illarum superioribus, & ordinarijs districtè inhibendo præcipimus, & mandamus, ne plures in earũ monasterijs recipiant, admittant, siue recipi, & admitti permittant, quam ex proprijs reditibus ipsorum monasteriorum, vel consuetis eleemosynis commodè sustentari possint, mandantes propterea in virtute sanctæ obedientię sub obtestatione Diuini iudicij, & interminatione maledictionis æternæ, vniuersis venerabilibus fratribus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis, quatenus in ciuitatibus, & diœcesib. proprijs, præsentes nostras litteras publicari faciant, ac in monasterijs monialium sibi ordinario iure subiectis, in his vero quæ ad Romanam mediatè, vel immediatè spectant Ecclesiam, sedis Apostolicæ authoritate vna cum superioribus eorundem monasteriorum, clausuram, (vt præmittitur) quã primũ poterint seruari procurent, cõtradictores atq; rebelles per censurã Eccles. appellatione postposita cõpescendo, inuocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachij sæcularis. Ac vt hoc tã salutare decretũ facilius obserue tur, oẽs Principes sæculares, & alios Dños, & magistratus tẽporales rogamus requirimus, & obsecramus ꝑ viscera misericordiæ dñi nostri Iesu Christi, eisdẽ in remissionẽ peccatorũ iniungẽtes, quod in præmissis oĩbus, eisdẽ Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis & alijs monialium superioribus assistant, ac suum fauorem, & auxilium præstent, ac impedientes, pęnis ẽt tẽporalibus afficiant præmissis, const. & ordinationibus Apostolicis, statutis, & consuetudinibus etiam immemorabilibus, ẽt per sedem Apostolicam approbatis, & confirmatis, priuilegijs quoque indultis, & litteris Apostolicis, etiam in fundatione, & institutione eisdem monasterijs, vel domibus, & monialibus sub quibuscumque verborũ formis, & clausulis irritantibus, & alijs decretis quibuslibet concessis, cõfirmatis, ac etiam iteratis vicibus approbatis, & innouatis, quibus om-

nibus etiamsi pro sufficienti illorum derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores, huiusmodi ac si de verbo ad verbum insererentur pro sufficienter expressis habentes, quoad effectum validitatis nostræ constitutionis tantum derogamus contrarijs quibuscunque. Aut si aliquibus communiter, vel diuisim ab eadem sit sede indultum, quod interdici aut suspendi non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Per hoc autem in monasterijs exemptis ordinarij locorum, quoad alia nullam sibi credant iurisdictionem, vel potestatem aliquatenus attributam. Nulli ergo, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum an. Incar. Dom. 1566. 4. Kal. Iunij.

Monasteria vero quæ à Regularibus non reguntur, sed sunt sub immediata sedis Apostolicæ protectione, non solum quoad clausuram, sed etiam in alijs omnibus ab episcopo corrigi possunt, id. Conc. loc. cit. cap. 9 tanto magis monasteria si quæ reperiuntur omnimodè subiecta Episcopo, ab ipsomet in omnibus corrigi, & gubernari debent.

Moniales item quæcunque etiam Regularibus superioribus subiectæ, etiam mendicantes, in casibus, quibus è monasterio licitū est ipsis egredi, vltra licentiam suorum superiorum regularium, etiam ab episcopo licentiam huiusmodi egrediendi, obtinere tenentur, ex ordinatione, Pij V. constitutione sua, quæ sequitur, in qua & causæ propter quas concedenda sit huiusmodi licentia egrediendi, determinantur.

Decori, & honestati omnium Sanctimonialium, quarum Iesus Christus Dominus noster sponsus est, vt in puritate, & castitate superadificātes in ipso fæliciter inhabitare valeant, consulentes, ea quæ illarum existimationi detrahere possent, decet nos consultò summouere. Sanè periculo, & scandalo plena res est, ac regulari obseruantiæ vehemēter aduersatur, sanctimoniales aliquando parentes, fratres, sorores, aut alios agnatos vel cognatos, necnon monasteria, & alia filiationes nuncupata, etiam eis subiecta visitandi, aut infirmitatis causa alioue prætextu à monasterijs exire, & per sæcularium personarum domos discurrere, & vagari, quo veluti colore eximium quoque honestatis, & pudicitiæ decus in discrimen cōmittunt. Vnde nos malo huic pro nostro pastoralis officii debito salubriter occurrere volentes; inhærentes etiam decreto sacri Conc. Trid. de clausura

ra monialium disponenti, ac aliis nostris litteris super huiusmodi clausura editis adijciētes, volumus, sancimus, & ordinamus, nulli Abbatissarum, Priorissarum, aliarumuè monialium; etiam Cartusien. Cistercien. Sancti Benedicti, & Mendicantium, & quorumcunque aliorum ordinum etiā militarium, ac statuum, graduum, conditionum dignitatum, ac praeminentiarum existentium, etiam è Regia vel Illustri prosapia ortarum, de cætero etiam infirmitatis, seu aliorum monasteriorum; etiam eis subiecto rum, aut domorum parentum, aliorumvè consanguineorum visitandorū, aliavè occasione, & prætextu, nisi ex causa magni incendij, vel infirmitatis lepre, aut epidemiæ, quæ tamen infirmitas, præter alios ordinum superiores quibus cura monasteriorum incumberet, etiam per Episcopum seu alium loci ordinarium, etiamsi prædicta monasteria ab Episcoporū, & Ordinariorum iurisdictione exempta esse reperiantur, cognita, & expresse in scriptis approbata sit, à monasterijs præfatis exire: sed nec in prædictis casibus extra illa, nisi ad necessarium tempus stare liceere. Aliter autem quam vt præfertur egredientes, seu licentiam exeundi quomodocunque concedentes, necnon comitantes, ac illarum receptatrices personas, siue laicas aut sæculares, vel ecclesiasticas, consanguineas, vel non, excōmunicationis maioris latæ sententiæ vinculo, statim eo ipso absque alia declaratione subiacere, à qua præterquam à Rom. Pontifice nisi in mortis articulo absolui nequeant. Et insuper, tam egressas, quam præsidentes, & alios superiores prædictos eis licentiam huiusmodi concedentes, dignitatibus officijs, & administrationibus per eas, & eos tunc obtentis priuamus, & illas, & illos ad obtenta, & alia in posterum obtinenda inhabiles, necnon licentias, & facultates; seu indulta, & priuilegia exeundi à monasterijs, & extra illa standi, à nobis seu alio Rom. Pont. prædecessore nostro ac sedis Apost. Nuncijs, & Legatis etiam de latere, ac maiore pænitentiario, aut ordinum prędictorum superioribus, alijsque personis sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis restitutiuis præseruatiuis, mentis attestatiuis, etiam nouam gratiam, & datam concedentibus, aliisque efficacioribus, & efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie; etiā motu proprio, & ex certa scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, etiam Imperatoris, Regum, Ducum, & aliorum Principum, necnon S.R.E. Cardinalium intuitu, & contemplatione, ac instantia, vel alias quomodolibet concessa, quæ prorsus abolemus, ac litteras desuper confectas, & in posterum concedendas, & conficiendas, nullas, & inualidas, nulliusq; roboris, et momēti fore, nec illas habentibus, & habituris suffragari, posse, & ita per quoscunque Iudices, &c. Non obstantibus, &c. Dat. Romæ. Kalen. Februar. 1570.

54 Dare licentiam ingrediẽdi monasteria monialium seu colloquẽdi cum Monialibus in monasterijs Apostolicæ sedi vel Ordinariæ iurisdictioni subiectis, ad ipsummet spectat Episcopum, id. Conc. loc. cit. quoad moniales tamen Regularibus subiectas, ita demum spectat ad Episcopum huiusmodi concessio licentiæ, si fuerit consuetudo loci legittimè præscripta, vt licentia huiusmodi, vel à solo Episcopo, vel ab episcopo, & superioribus regularibus coniunctim obtineatur, de his videri potest. Guttierez. lib. 1. can. quæst. cap. 14. Eman. Rod. sup. cit. tom. 1. à quæst. 45. & ita declarasse dictã S. Congreg. meminit Quar. cit. verbo. monasteria monialium.

Quoad loquentes autem cum monialibus non obtenta licentia ab episcopo seu alio superiori, non ingrediendo clausurã, aduertendum est nullam contra tales pœnam esse impositam de iure cõmuni, sed eos illas tantum pęnas incurrere, si quas episcopus statuerit, prout fere vbique pro delicto simili pœnam excõmunicationis Ordinarij fulminare consueuerunt, Abb. in c. monasteria. de vita & honest. Cler.

Licentiæ autem huiusmodi ingrediendi monasteria monialium non nisi ex causis necessarijs sunt concedendæ. Conc. loc. cit. cap. 5. quinimo obtinentes licentiam ingrediendi ex causa, si ingrediantur pro libitu, & sine necessaria causa, adhuc incurrunt ipso facto excommunicationem Papæ reseruatam ex cõstitutione Greg. XIII. qua reuocantur omnes licentiæ ingrediendi monasteria, legitur apud Confect. cit. fol. 237. his verbis.

55 *Vbi gratiæ, & infra. Auctoritate præsentiũ reuocamus, & abolemus, oẽs, & quascunq; licentias ac facultates ingrediendi monasteria, domos, & loca monialium, ac etiam virorum quorumuis ordinum, quibusuis ẽt Comitissis, Marchionissis, Ducissis, & alijs cuiuscunque status, & conditionis mulieribus, ac etiam omnes, & quascunque licentias ingrediendi Monasteria, domos, & loca ipsarum Sanctimonialium, quibuscunque viris, etiam eiusdem status, & dignitatis tam à prędecessoribus nostris, quã etiam à nobis, & sedis Apostolicæ legatis, aut alijs ex quibusuis quantũcumque vrgentibus causis, sub quibuscunque tenoribus, & etiam derogatoriarum derogatorijs, reuocatorum restitutorijs, aliisque efficacioribus clausulis, irritantibusq; & alijs decretis, etiam motu proprio, & ex certa scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, atque ad Imperatoris, Regum, Reginarum, aliorumvè Principum contemplationem, vel supplicationem concessas, confirmatas, ac etiam iteratis vicibus renouatas, cassamusque, & annullamus litteras desuper confectas, & processus habitos per easdem. Inhibentes eisdem qui illas obtinuerunt, sub excommunicationis pœ-*

nis pęna ipso facto incurrenda, super qua à nemine nisi à Rom. Pontifice (præterquam in mortis articulo) absolutionis beneficium possit impartiri, ne ipsarum licentiarum prætextu Monasteria huiusmodi quouis modo ingredi audeant; Abbatissis vero, necnon Abbatibus, Cōuentibus, & aliis Monasteriorum vtriusque sexus superioribus, & personis quocunque nomine vocentur, districtè præcipimus sub eadem excommunicationis pœna, necnon priuationis dignitatū, beneficiorum, & officiorum suorum, ac inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda, ne in monasteria domos, & loca sua, quēquam prętextu huiusmodi licentiarum, & facultatū ingredi faciant vel permittant. Quin etiam sub eisdem pęnis ipso facto in currendis prohibemus atque interdicimus omnibus, & quibuscunque personis ecclesiasticis, & sęcularibus, ac etiam ordinum quorumcunque etiā mendicantium regularibus, ne prætextu licentiarum ab episcopis vel superioribus quibus illas concedendi, in casibus necessarijs tantum ex decreto Concilii Trid. tribuitur, ne monasteria ipsa monialium pro libitu, sed necessitatibus vrgentibus duntaxat ingredi, neuè moniales sub eisdem pœnis illos aliter admittere præsumant. Non obstantibus, &c. Dat. Romæ an. incarnat. 1575. Idib. Iunij.

Quoad ingredienda eadem monialium monasteria per Episcopum seu alios superiores ius ingrediendi habentes, non nisi cum iusta causa, edita fuit alia declaratio ab eodē Greg. XIII. relata apud Confect. cit. fol. 241. vt sequitur.

Dubiis quæ emergunt, & infra. Harum tenore auctoritate Apostolica declaramus, Prælatos omnes tā sæculares quam regulares quib. cura, & regimen monasteriorum monialium quouis modo incumbit, facultate sibi ex officio attributa ingrediendi monasteria prædicta, ita demum vti posse, si id faciāt in casib. necessarijs, & à paucis ijsque seniorib. ac religiosis pſonis comitati. Quocirca vniuersos, & singulos episcopali seu maiori ac etiam Cardinalatus dignitate præditos, necnon quorumuis ordinū Abbates, Priores, ministros, ac alios quoscūque superiores regulares seriò monemus, vt facultate huiusmodi qui eam habent, præterquam in casibus vt præfertur necessariis, neutiquam vtantur. Quod si contrafecerint, eadem auctoritate Apostolica statuimus atque decernimus, qui Pontificalis dignitatis fuerint, eos pro prima vice qua contrafecerint, ingressu ecclesiæ interdictos, pro secunda, à munere Pontificali, & à Diuinis suspensos, ac deinceps ipso facto, absque alia declaratione excommunicatos existere: Regulares vero omni officio ac ministerio priuatos, excommunicationi similiter subiacere. Non obstantibus. &c. Dat. Romæ. anno. 1582. 23. Decembr.

Explo-

Explorare quoque voluntatem monialis antequam faciat professionem, cuiuscunque monasterij illa sit, pertinet ad Episcopum, & præfecta monasterij vno mense ante, de huiusmodi professione facienda, significare debet Episcopo, alioquin posset suspendi ab officio ad libitum Episcopi. Conc. cit. sess. 25. c. 17. de regul. & declaratum fuit à Sac. Cong. in vna Burgen. his verbis.

Congr. Conc. censuit explorationem voluntatis puellarum profiteri uolentium ad præscriptum decreti dicti cap. 17. vtroque tempore, scilicet ingressus, & professionis faciendæ ad Archiepiscopum pertinere, quamuis monasterium ab eius iurisdictione exemptum existat.

Determinare numerum monialium, vltra quem plures ad monasterium recipi non possint, pertinet quoque ad episcopum, in quibusuis monasterijs etiam Regularibus subiectis, ex constitutione Greg. XIII. incip. Deo sacris. an. 1573. in qua de Eleemosynis applicandis monialibus multa ordinantur, ad nostrum autem propositum, faciunt verba eiusdem constitutionis sequentia. ...

Eleemosynarum vero prædictarum contributionem, & applicationē durare, & valere decernimus, ac suos effectus ad plenum sortiri debere, donec numerus monialium etiam tertiariarum huiusmodi (quem per ipsos locorum ordinarios, etiam in monasterijs ab eorum cura, & regimine quomodocunque exemptis, cum illarum superiorum interuentu stabiliri, & ordinari, neque supra illum numerum alias recipi posse, etiam de consensu suorum superiorum, volumus, & mandamus) ita imminutus fuerit, vt reliquæ moniales, & tertiariæ ex proprijs reditibus monasteriorum ipsorum vel consuetis Eleemosynis, se commodè sustentare queant. &c.

De recipiendis autem vltra numerum præfixū modo prædicto, edidit sac. Congr. Reg. ordinationem, quæ reperitur apud impressores Camerales tenoris sequentis.

56 *Quemadmodum sacri olim Canones, & nouissimè sacrū generale Concilium Trid. summa ratione decreuit, vt in monasterijs, & domibus tam virorum quam mulierum bona immobilia possidentibus, vel non possidentibus, is tantum numerus cōstituatur, ac in posterum conseruetur, qui vel ex reditibus proprijs monasteriorum, vel consuetis eleemosynis, commodè possit sustentari, ita quoque sacra Congregatio San. R. E. Cardinalium, quæ negotijs ac cōsultationibus Episcoporum, & Regularium præest, cui*

antiquius nihil est, quam salutaria huiusmodi decreta debitæ executioni demandari curare, sæpius locorum ordinarijs rescripsit, vt certum numerum in singulis monasterijs monialium, etiam curæ regularium seu militiarum subiectis, iuxta cuiusque monasterij facultates præscriberẽt, & si quæ supra statutum numerum reciperentur, duplicem eleemosynam adferre; & supranumerarium locum tenere deberent. Verum quia in dubiũ plerumque venit, num supranumerariæ prædictæ, aliquibus ex numero in quolibet monasterio definito, decedentibus, in eorum locum subrogari possent, aut deberent; eadem sacra Congregatio, quæ peculiariter super ea re sæpenumero rescripsit, prouidere volens, ne qs deinceps dubitationis locus relinquatur, huius generalis decreti tenore statuit, & declarat moniales, quæ supra numerum in quolibet monasterio constitutum recipiuntur, in locum monialium decedentium, intra numerum nequaquam subrogari, neque impedimento esse, quin aliæ in locum earundem ex numero demortuarum recipi eo modo valeant, quo in singulis monasterijs moniales intra numerum poscunt admitti, quinimo easdem, sic supra numerum receptas, supranumerarias semper quoad hoc remanere etiamsi in cæteris ab alijs nihil differant, sed illis omnibus pares, & æquales iuxta cuiusque monasterij institutum esse debeant. Declarat insuper eadem sac. Congreg. duplicis eleemosynæ nomine intelligi semper debere duplicatã summam eius, quæ in receptione cuiusque monialis intra numerum in quolibet monasterio constitutum erogari pro tempore consueuerit, ita tamen vt vbi summa, quæ confertur, minor est scutis ducentis, ibi saltem ratione duplicatæ eleemosynæ soluenda sint scuta quadringenta, & non minus.

Eadem quoque sacra Congregatio, districtè prohibet ne loca per obitum monialium intra numerum decedentium pro tempore vacatura, cuiquam puellæ ad habitum regularem recipiendæ concedantur, neque promittantur, nisi sequuta vera, & reali illorũ vacatione, atque ita demũ & non antea, de eis disponi, ac in monialis demortuæ locum, promissionem aut receptionem in capitulo seu quouis alio modo fieri iubet, dummodo tunc temporis puella ipsa recipienda, & ætatem habeat idoneam, & cæteras qualitates requisitas, quibus etiam præditas esse debere vult eas puellas, quæ supra numerum recipiendæ sunt iam tunc, cum eis loca, vel promittuntur vel dantur. Si quid vero contra à quoquam fieri contigerit, irritum, & inane, ac nullius roboris, & momenti fore, & esse decernit. Ac nihilominus Abbatissas, Priorissas, & alias quoscunque monasteriorum superiores, qui cuiusuis puellæ receptioni vel admissioni, aut locorum vacaturorum promissioni seu concessioni, aduersus præsentis decreti dispositionem, consenserint, priuationi vocis actiuæ, & passiuæ, aliisq; arbitrio.

arbitrio eiusdem Congregationis infligendis pœnis, obstrictos, & obnoxios fore declarat, saluis etiam semper, & in suo robore permanentibus alijs quibuscunque ipsius Congregationis decretis alias latis, præsenti decreto non cõtrarijs, præsertim circa monialium admissionem, & receptionem ad habitum, & professionem, & circa eleemosynarum depositionem solutionem, & erogationem in loca stabilia, quibus nullatenus derogare vult, & intendit. Romæ. die. 6. Septem. 1604.

Alex. Card. Florent.

Puellas etiam causa educationis in monasterijs monialium recipi posse, nec illis obstare decretum prædictum de numeri monialiũ
57 determinatione, rescripsit, Sac. Congreg. Concil. Episcopo Hieracen. quod rescriptum refert. Quar. citat. ver. monasteria monialiũ, vt sequitur.

Reuerendiss. Domine. Ex sacra Congregatione Cardinalium Trid. Cõcilij interpretum Amplitudinis tuæ nomine quęsitum est, an puellę in monasterijs monialium educationis causa permanere possint. Ii vero sic censuerunt ad te scribendum, iam dudum ab eadem Congregatione statutum esse, nullo Concilij decreto probiberi, quominus puellæ in monasterijs monialium educentur: si tamen eadem monasteria ante Concilium consueuerint huiusmodi puellas recipere, sique à superioribus monasteriorum, scriptam licentiam impetrarint, atque Abbatissæ, & reliquarum monialium consensus accesserit: tum vero hæ ipsæ puellæ eo vestitu in monasteria intromittantur, qui virginali pudori ac modestiæ conueniat, nullamque secum famulam adducant, nec manere in eis possint, nisi vsque ad ætatis suæ annum vigesimum quintum, atque in eis dum erunt, eandem seruent clausuræ legem quam moniales ipsæ, & si semel exierint, nullam habeant ad ea reuertendi, facultatem. Proinde congregatio his litteris impertiendam tibi hanc facultatem duxit, vt quotiescunque in ista tua ciuitate, & diæcesi Hieracensi id expedire Amplitudo tua iudicauerit, possit permittere puellas in monialium, monasteria, in quibus piè, & honestè instituantur, introduci, adhibitis tamen conditionibus suprascriptis, & bene in Domino valebit. Romæ die vlt. Aug. 1575.

Amplitudinis tuæ vti Frater.

Philippus Boncompagnus Card. S. Sixti.

Tertia-

Tertiariarum quoque curam committit ordinario Const. Pi jV. incip. cura pastoralis, supra relata.

Et tales hoc tempore posse prohiberi ne maneant in communitate nisi professionem emittant, respondit sac. Congreg. Reg. Episcopo Leucen. ann. 1596. 22. Ian. Easdem non gaudere immunitate Ecclesiastica si habitant in ædibus priuatis, tenerique in Paschate & in morte à proprio parocho recipere sacramenta, respondit eadem, sac. Congreg. Episcopo Rossanen. 11. Sept. 1584. & Episcopo Mascensi, 26. Aug. 1597.

In monasterijs ordinario, vel delegato iure sibi subiectis electioni Abbatissarum, vel Priorissarum adesse debet Episcopus, & ad cancellorum fenestellam, non intrando clausuram, singularum vota excipere. Conc. lo. cit. c. 7. in qua electione aduertẽdum est, vt non minor quadragenaria eligatur, vel saltem, quæ excesserit annos triginta, & à quinquennio ad minus fuerit professa, Conc. ib. In electione etiam si fuerint discordes, posse Episcopum nominare vnam, quã magis idoneam iudicauerit respondit, sac. Cong. Reg. Vicario Cremonẽ. ann. 1592. Et eadem rescripsit Episcopo Assisien. 20. Nouem. 1585. ex tripartito numero monialium duas partes concurrere debere in electione, nisi alia fuerit loci consuetudo.

Prohiberi etiam debet ne intra septa monasterij monialium SS. sacramentũ Eucharistiæ teneatur. Conc. cit. c. 10. & ne ostium habeant per quod in Ecclesiam ipsarum exteriorem introire possint, vt in Const. Greg. XIII. supra à nobis allegata. In alijs circa visitationem monialium occurrentibus, ex ordinatione sac. Congr. Regularium, informare sese potest prudens Visitator pro loci, & temporis exigentia, cuius vtilitati eandem ordinationem hic inserendam putauimus impressam Romæ apud impressores Camerales tenore sequenti.

Ordinationes quædam per Illustriss. & Reuerendiss. DD. Cardin. super Congregatione Regularium deputatos, datæ Reueren. DD. Visitatoribus Apostolicis monasteriorum sanctimonialium Ciuitatum Neap. & Salern. sub die 2. Iunij, 1589. & per eosdem Illustriss. DD. Cardinales reformatæ, & modificatæ, sub die 12. Iulij, 1592. vt eas perpetuo obseruari, & custodiri mandent, & procurent.

In quolibet monasterio non habeantur nec permittantur plures crates ferreæ seu fenestræ collocutoriæ, quam vna, aut ad summum duæ.

Hæ nullo modo in Ecclesijs sint, sed extra eas tantum.

In monasterijs vero in quibus hactenus laminarum vsus non est intro

ductus, in fenestris collocutorijs ponantur binæ crates ferreæ introrsus altera, altera extrorsus, & distantes ab inuicem saltem per spatium duorum palmorum, vel totius crassitudinis muri, necnon spissæ seu strictę adeo vt nec puellæ manus per foramina transmitti possit. Inque exteriori crate figantur claui ferrei eminentes, & acuti, ita vt locuturi facies illi nequeat adhærere, & colloquentium verba exaudiri valeant.

In fenestellis confessionalibus configantur etiam laminæ ferreæ, scilicet cum minutis foraminibus, è quibus nec ipsæ moniales cernere, vel spectare quempiam nec à quopiam vllo modo cerni aut spectari possint.

Fenestella vnde SS. Eucharistiæ Sacramētum percipiunt, alta sit dimidiato palmo, lata vero integro, quæ binis foriculis totidemque seris & clauibus alteris intrinsecus alteris forinsecus occludatur.

Tam in ingressu seu in habitu regulari suscipiendo, quam in professione emittenda, velo suscipiendo, vel consecratione monialium, in quibus monasterijs Ordinis, vel Regulæ S. Benedicti mos est, vt consecrentur, fas ne sit eis munera, xenia, dona, vel aliud quidlibet singularibus, vel particularibus monialibus dare, vel erogare, sed quicquid à cognatis, vel affinibus donatur, vel offertur, id vniuersum tribuatur, & referatur in commune; nec lauta aut sumptuosa siue luculenta conuiuia fiant aut permittantur, sed sobria tantum, quæ sacras Virgines deceat spiritus corporisq; recreatio concedatur.

In quouis monasterio eligatur quotannis magistra nouitiarum, cui vni, curæ sit illas instituere, nec eidem curæ siue illis instituendis, materteræ seu Amitę, vel quæuis aliæ etiam qualibet cognatione coniunctæ se immisceant vllo pacto.

Ad ianuam monasterij vestibulum sit binis foribus munitum, in quod moniales nunquam intrent, dum fores exteriores, vel apertæ sunt, vel mox aperiendæ; ne inde vnquam moniales spectare aut spectari possint.

Collocutorium interius locus sit seris occlusus, in quem nulla monialium ingrediatur, nisi vocata, & à sua superiore venia ei data, ibique auscultatrices huic muneri designatæ semper intersint, & assistant, quæ quicquid dicatur audire debeāt, nisi futurus sermo secretum expostularet; quo casu de Abbatissæ siue Priorissæ licentia, propinquioribus consanguineis remotis arbitris, permitti posset.

Non scribant litteras iniussu superioris, scilicet Abbatissę siue Priorissæ, nec dent, neuè ad eas missas recipiant nisi ante ab eisdem fuerint perlectæ.

Præsbyteris Confessarijs ab Abbatissis Priorissis, vel alijs Præfectis monasteriorum statuatur æqua, & idonea eleemosyna siue prouisio, quæ ara communi monasterij persoluatur; ijs autem vicissitudo mu-

do munerum quãtumuis exigui valoris, quæ sibi cum monialib. possit intercedere, omnino interdicta sit, sub pœna perpetuæ suspensionis ab audiẽdis tam illarum quam quorumuis aliorum confessionibus; in quam ipso facto incurrant.

Nulla monialis vel conuersa dona munera, & pecuniã aut aliud quippiam etiam charitatis aut pietatis vel eleemosynæ nomine siue intuitu cuicunque personæ tribuat, donet aut largiatur, sed si ex aliqua iusta vel rationabili causa aliquid dandum vel tribuendum visum fuerit, id à præfecta seu superiori monasterij, & re communi fiat.

Præsertim vero caueatur ne qua monialis vel conuersa quicquam ex bonis monasterij det aut donet, nec ex eis quidẽ quæ in vsum suũ assignãtur nisi de licentia Abbatissæ.

Neque vllius generis bellaria, edulia, esculenta, ientacula, offellas, confectiones, & sirupata, vel alia similia quæcunque conficiant aut coquãt, vt illa venditent, donent, aut largiantur, nisi de licentia Abbatissæ, & de rebus modicæ impensæ, & in consanguineos tantum.

Moniales officiales monasterij in suis muneribus obeundis nihil nisi de re, & pecunia monasterij expendant.

Denuncietur cunctis Sanctimonialibus cuiuscunque ordinis, Religiosas professas, quæ testamentum faciunt, vel de rebus sibi in vsum assignatis disponunt, mori, & decedere proprietarias, illasque censuris, & pænis à sacris canonibus, regulis, ac ordinum, & Monasteriorum constitutionibus, atque alijs ordinationibus contra proprietarios editis, & promulgatis subiacere ac obstrictas esse. Idemque contractus, & instrumenta in quibus moniales ab earum Monasterio emunt annuos reditus quoad ipsæ vixerint vel etiam vt post ipsarum obitum alia succedat, & similia, nullius sint roboris vel mométi sed irrita, & inania, ac proinde ijs defunctis cuncta omnino Monasterio incorporentur, cui sunt reditus huiusmodi acquisiti.

In quouis monasterio sit infirmaria communis, & vbi non fuerit à superioribus extrui vel fieri quamprimum curetur, etiam si res postulat sub censuris, & pœnis eis bene visis: in eam autẽ recipere se teneantur in virtute sanctæ obedientiæ omnes moniales, & conuersæ tam professæ, quam nouitiæ ægrotæ, quibus opus sit medico: nec medicus quampiam secundo inuisat, nec inuisere permittatur à præfecta monasterij, neque medicinam præscribat extra infirmariam sub pœna excommunicationis. Neque etiam extra illam confessarij monialium deputati cuiusuis audiant confessionẽ, sub pæna suspensionis ab illarum, & aliorum quorumuis confessionibus audiendis, in quam ipso facto incurrant. Si tamen aliqua monasteria ob angustiam loci, aut ob nimiam paupertatem, non possent ita statim extrue

vt infirmariam, Ordinarius siue superior visitet monasterium, & illis præscribat certum locum, & assignet spacium temporis intra quod omnino debeat exequi; & quo ad impensam necessariam pro fabrica, videat idem Ordinarius vt per eleemosynas aut per alios sibi bene visos modos ei prouideatur, & quam primum de his quæ egerint Congregationem certiorem faciant.

Aegrotantibus autem, & Infirmis in Infirmaria decumbentibus, ex ea pecunia quæ in eam causam vt infra, assignabitur, suppeditentur omnes sumptus, & expensæ pro victu, alimentis, lectulis, & medicinis, & alijs rebus necessarijs ad illarum morbos curandos ac valetudinem consequendam. In ea vero nulla audeat aliunde particulares sumptus sibi facere: quo circa Visitatores, & exinde superiores in monasterijs in quibus huiusmodi subuentiones non ponuntur in communi deposito, assignabunt huiusmodi infirmariæ communi, reditus sufficientes tam ex communi mensa monasterij, quam ex assignatis rebus, censibus, & bonis ad singularum seu particularium monialium vsum siue sustentationem, pro ea rata tamẽ quæ eis videbitur huic negotio satis esse.

Eligatur autem monialis sollicitudine, sedulitate, & charitate præstãs quæ ægrotantium sororum cum omni studio, & pietate curam gerat, fideliterque pecuniam sibi commissam administret cuius rationem reddere teneatur.

Ei autem constituantur tot moniales conuersæ auxiliares quot videbuntur ei muneri satis esse.

Nulla audeat accedere ad infirmariam tanquam ægrotans, vel infirma, nisi febri, vel alio morbo laboret, quem ibi curare oporteat de consilio medici, qui ad restitutionem expensarum in foro conscientiæ teneatur si cui huiusmodi consilium dederit vbi opus non erit.

Omnes fenestræ vel foramina quæ fuerint in claustrorum parietibus, è quibus moniales foras spectari possint, omnino occludantur, permissis solis fenestris aliquibus ad lumen excipiendum necessarijs, quæ tamen tales sint ne inde vllo modo prospici aut prospicere queant. Monialibus, & earum Ecclesijs non permittatur cantus figuratus, sed tantum firmus ac præterea etiam ex omnibus monasterijs omnia instrumenta musica (exceptis organis, quæ in exteriore Ecclesia permittuntur) tollantur.

Solæ moniales officium Diuinum in suis ecclesijs celebrent, ita vt nulla Regularis vel sæcularis aut alia qualibet laica persona ad id quomodolibet se ingerat sed tantum sacerdotes, & clerici deputati vel deputandi ab Ordinario siue superiore pro celebrandis missis in die solemnitatis monasterij, ad ea sua munera obeunda quæ sint ex vsu necessario Ecclesiæ, cuiusmodi sunt missæ celebratio, benedictiones, & his similia, quæ per moniales

niales expediri non possunt, accedant.

Nulla monialis vel conuersa, vel quæuis alia persona, etiam quę non sit de monasterio, audeat alias priuatas sibi missas celebrari facere in ecclesijs monasteriorum monialium, pręter eas quę à Capellanis deputatis communibus impensis monasterij celebrandę sunt.

Quia uero in quibusdã monasterijs quã plurimę missę quę magnũ Sacerdotũ numerũ requirũt, celebrari debẽt ex testamẽtis vel relictis, & alijs dispositionib. & nihilominus defectu capellanorũ, aut monasteriorũ paupertate, vel alia de causa ommittũtur vel ommitti oportet, mandatur Dominis Visitatoribus, & succesiuè Ordinarijs, & superioribus vt ei rei opportunè prouideant iuxta decreti Sacrosancti generalis Conc. Trid. & prouincialis Syn. Neap. aut alia meliori ratione consulentes, ac referant huic Sanctæ Sedi.

Nulla monialis vel Conuersa cum aliquo Aduocato, Procuratore, Sollicitatore, Exactore alioque negotiorum gestore quodcunque negotiũ causam vel litem pertractet, nisi cum solis ijs qui pro communibus negotijs, causis, & litibus monasterij procurandis, & defendendis deputati sunt, & de licentia Præfectæ eiusdem monasterij.

Vectores qui vinum pro vsu monasterij vel etiam aquam Balneorum pro infirmis conuehunt, monasterium ingredi nisi interdiu nullatenus permittantur.

Ad conficiendum panem vel etiam ad cernendam farinam nemo in monasterium intret, quod si alia de causa necessaria, & vrgenti intrauerit, istiusmodi operam ne præstet.

Abijciantur è monasteriis omnes catelli.

Collocutoria exteriora fores ne habeant quæ possint occludi, sed omnia pateant.

Ianitrices, & quæ Sacristiæ curam habent, & Comitatrices quæ ingressos comitantur, quadraginta annis non paucioribus natæ sint.

Comitatrices confessarios, medicos, Chirurgos, & alios quos ex necessitate intra claustra pro tempore admitti oportet, vbi ingressi fuerint, semper comitentur.

Omnino assignetur confessarius extraordinarius iuxta Decretum Sac. Generalis Conc. Trid. quem quæuis monialis adire teneatur, cui tamen liberum sit illi sua peccata confiteri vel non confiteri.

Ne quicquam commodato accipiant pro ipsarum Ecclesijs vel Oratorijs ornandis sed proprio sint ornatu contentæ, quem nec alijs commodent.

Omnes conuersæ rei communi monasterij inseruiant. Conuersæ autem particulares nulli monialium concedantur, & quæ iam concessę sunt in cõ

munita-

munitatem redigantur, sed si quæ vel propter infirmitatem, morbum, aut senectutem particulari ministerio indigeat Abbatissa vel Præfecta monasterij ex eisdem cõuersis communibus vnam pluresuè assignet prout opus fuerit, ad nutum tamẽ ipsius reuocabiles, & ex industria aliam vel alias vicissim ad tempus substituat, vt necessitati vniuscuiusque sit consultum & priuato seruitio nequaquam illarum quæpiam addicta seu assignata sit aut dici possit.

In Conuersas non recipiantur in quoquo monasterio plures tertia parte aliarum monialium, vel ad summum non nisi duæ ad rationem quinque monialium, vbi vero consuetudo est vt ea proportio non expleatur, sed minor sit numerus conuersarum, ea vt pote laudabilior, obseruetur.

Famulæ sæculares quæ in monasterijs pro illarum seruitio, & ministerio degunt, omnino dimittantur, nec habitum suscipiant nisi prius extra monasterium dimissæ, ab ordinarijs illarum volũtas fuerit explorata iuxta prædicti Sacri Conc. Trid. decretum, quod tamen fiat omnino gratis, neque sint supra numerum proximè definitum.

Tam moniales quam conuersæ suam quæque cellã habeat, nec in vna plures commorentur, neque vna cum alia, sed seorsum quælibet in suo lectulo dormiat seu quiescat.

Non recipiatur monialis vel conuersa in quoduis monasterium, nisi in eo singulæ singulis monialibus, & cõuersis propriæ cellæ, quæ siue ex muro vel cemento, siue ex tabulis, siue ex tela in communi dormitorio distinguantur, assignatæ sint, & actu eas inhabitent, & vacua supersit propria cella pro recipienda in monialem vel conuersam.

Visitatores numerum monialium ac etiam conuersarum iuxta supradictam rationem in quolibet monasterio, certum definiant, ex facultatibus, & reditibus, qui à monasterio in communi possidentur, & ex consuetis eleemosynis, statuentes in monasterijs ciuitatis Neapol. pro singulis monialibus annuatim quinquagenos ducatos, quadragenos autem pro singulis conuersis, quę tamen præscriptam portionem non excedant.

Verum vbi monasterium aliquas in moniales supra numerum definitum recipere voluerit, id quidẽ cõceditur si fuerint cellæ pro eis, vel aliud ex prædictis non obstiterit, & in dotem præterea vel Eleemosynam à singulis assignetur præsens pecunia, ex qua saltem possit emi annuus reditus ducatorum sexaginta sex, illius monetæ, in absolutum monasterij commodum, & vtilitatem conuertendus, & inalienabilis ac perpetuo retinendus. In monasterijs vero Salernitanæ ciuitatis, (obseruatis conditionib. cæteris iam dictis) Domini Visitatores taxent certam annuam quantitatem redituum pro loci, & personarum qualitate.

Nulla vnquam recipiatur in monialem nisi prius parentes fratres vel

ij ad

ij ad quos eius cura spectat promptam habuerint vniuersam pecuniā pro dote vel Eleemosyna consueta ex qua puellæ nomine annuus reditus ematur accedente Monasterij consensu, cui huiusmodi reditus alimentorum causa vsque ad professionis diem cedat, ea vero sequuta successionis iure integer acquiratur.

Cum vero Regularis viuēdi ratio, & optimi instituti, & tuta via qua ad omnem perfectionis gradum ascenditur, sit vita communis, nihilque proprij possidere, nec pecuniam tractare, ne eam quidem quæ in vsum cuiusque conceditur; districtè præcipiatur, & mandetur vt si quæ moniales huiusmodi sanctā, & regularē viuēdi rationem elegerint; & omnia bona reditus vè quouismō ad vsū concessa vel reseruata à se abdicauerint, & monasterio cesserint; Abbatissa Priorissa vel aliæ Præfectæ monasteriorū renunciationem huiusmodi recipere omnino teneantur, & ex monasterij bonis, & reditibus seu introitibus in his, quæ ad victum, & vestitum, & reliquam vitæ sustentationem pertinent, illis præcipuè prouidere; & ita opportunè omnia subministrare, vt nulla re indigere permittātur; si quis autem vel si qua intra, vel extra monasterium talem pium viuendi vsum dicto, vel facto, nutu vel signo exturbare; reprehendere, aut quouis modo impedire maligno spiritu instigante præsumpserit, superiores in eum eamvè maledictionem æternam; & excommunicationis sententiam, etiam ipso facto incurrendam comminari, & infligere possint: Quinimo omnibus dictorum monasteriorum superioribus, & Præfectis in Domino iniungatur; vt prædictarum monialium piè & Religiosè viuentium, singularem curam gerant; vt pote, quæ sub speciali protectione sanctæ sedis Apostolicæ; & nostræ Congregationis existunt. Et vt hæc tuta viuendi ratio dāte Dño amplificetur de cætero in prædictis monasterijs, nulla ingressura monasterium recipiatur aut admittatur aliquo modo in monialem, vel conuersam, nisi promiserit communis vitæ institutum prædictum amplecti, & iuxta illud perpetuo viuere; vbi vero ingressa fuerit, vna cum alijs monialibus eiusdem instituti, & obseruantiæ adiungatur, & cum eis viuat, confessarij etiam sedulò hortentur ac moneant moniales, vt prædictū communis vitæ institutum; & tutam Deo seruiendi viam sequantur.

In monasterijs in quibus similiter retinentur hactenus prouisiones, & subuentiones; & non omnia in communi conferuntur; concedatur licentia accipiendi aliquam subuentionem de manibus tamen Abbatissæ seu præfectæ monasterij siue depositariæ ad nutum tamen Abbatissę siue præfectæ prędictæ pro suis religiosis necessitatibus; quæ vero supersunt, Abbatissa erogare teneatur in communes vsus monasterij. Ac ordinarij siue superiores monasterij quotannis exigant rationem à Depositaria, & Abbatissa seu præfecta prædictis de huiusmodi prouisionibus, subuentionib. & de-

& depositis, & in eas transgredientes grauiter animaduertant.

Vt autem ad Dei gloriam, & monialium in Domino profectum, & animarum salutem supradictæ ordinationes debita deuotione, & reuerentia suscipiantur, vniuersis, & singulis reuerendis Abbatissis priorissis ac alijs prefectis, & superioribus monasteriorum ac monialibus, & conuersis in virtute sanctæ obedientiæ ac sub priuationis officiorum, & perpetuę inhabilitatis, ac vocis actiuę & passiuę atque alijs censuris Ecclesiasticis & pœnis etiam ipso facto incurrendis respectiuè (in casibus tantum à Congregatione præscribendis, quoad censuras, scilicet) ac alias iuxta facultates dictis Dominis visitatoribus concessas districtè pręcipitur, & mandatur vt omnia & singula in eisdem ordinationibus contenta obseruēt, & exequantur ac obseruari, & exequi faciant.

Præterea Dominus Ordinarius Neap. eiusq; Vicarius, & Officiales in spiritualibus Generales, & prædicti Domini visitatores Apostolici, nec non & alij superiores Regulares ad quos monasteriorum cura quomodolibet spectat, studeant vt hęc omnia inuiolabiliter obseruentur, transgredientes vero prædictis censuris ecclesiasticis, & pœnis etiam inuocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachii sæcularis ac alijs prout eis videbitur iuris, & facti remedijs opportunis exerceant, & castigent, cum facultate declarandi Abbatissas, Priorissas, & alias Prefectas culpabiles repertas incurrisse in pœnas etiam priuationis officiorum, & inhabilitatis ad ea, atque illas sic declaratas deponendi, & puniendi ac alias idoneas illarum loco subrogandi, & sufficiēdi, quæ Regularis disciplinæ zelo accēsæ huic reformationi inuigilare possint, & velint.

E monasterijs S. Mariæ Angelorum, S. Mariæ Consolationis, Sancti Antonij de Padua, & S. Mariæ Magdalenæ Neap. Ciuitatis, emittātur omnes, & quæcumque puellæ atque sęculares mulieres, quæ educationis, vel alia quauis causa in eis morantur non obstantibus quibuscunq.

In monasterio S. Marię Angelorum, S. Mariæ Consolationis, & San. Antonij de Padua nulla de cætero admittatur in monialem, vel conuersam, nec Religionis habitum suscipiat sub pœna priuationis ipso facto, officiorum, & vocis actiuæ, & passiuæ, tā per Abbatissam quam per Discretas, quæ huic rei auctoritatem, vel assensum prabent, incurrenda. Ac insuper illius receptio, & professio inde sequuta, irrita sit, & inanis, ac nullius sit roboris, vel momenti. Sed & quæ de facto in posterum iā recepta fuerit, de monasterijs eijciatur.

Idem quoq; obseruetur in monasterio S. Mariæ Magdalenæ, cum propter loci insalubritatem, & alias iustas ac rationabiles causas, Dominis visitatoribus datum fuerit in mandatis, vt ipsi habita ratione redituum, tam communium, quam particularium, seu in proprios vsus assignatorum,

rum,

rum, tantum ex reditibus conuentui seu mensę monialium tribuatur, quātum videatur satis esse ad illarum congruam sustētationem. quod autem superest futuro monasterio exstruendo reseruetur. Dat. Romæ, in sac. Congreg. super Regularibus habita, die 2. Iulij 1589

F. Mich. Bonell. Car d. Alex.

De Visitatione quorumuis aliorum exempt. Visitationis modo, & effectu.

SVMMARIVM.

59 Clerici sæculares quouis modo exempti visitari possunt.
60 Modus formandi scrutinij inquisitionis in visitatione.
61 Pœna imponenda pro delicto per inquisitionem reuelato.
62 Archidiaconus dum visitat, quæ seruare teneatur.
63 Archiepiscopus visitare non potest suffrag. suum nisi causa prius in synodo Prouinciali probata.
64 Procuratio ratione visitationis debetur Episcopo.
65 Procurationem dare, qui non obligantur.

59 VLtra præmissa visitare potest Episcopus quoscunque clericos sæculares exemptos, Prothonotarios Apostolicos, Capellanos Regios, Acolithatus, Comitis Palatini, seu alicuius militiæ, vel hospitalis titulis insignitos, dummodo actu militiæ seu hospitali cui adscripti sunt non inseruiant. Item & residentes in curia Romana, & familiares Cardinalium, isti enim ratione beneficiorum, Diæcesano, in cuius Diœce. beneficia obtinent subijciuntur. cit. Conc. sess. 24. c. 11. de ref. & si resideāt, etiam in persona in causis delictorum, & correctionis morum ab eodem Diæcesano siue in visitatione siue extra visitationem puniri possunt. id. Conc. sess. 14. cap. 4. de ref. quam iurisdictionem Ordinarijs contra huiusmodi exemptos, prothonotarios habitum non deferentes, aliosque Curiales, vel familiares Cardinalium actu familiaritatem non exercentes, concesserat etiam Leo. X. constitutione sua incip. Regimini. An. 1515. 4. Nonas Maij, in Conc. Lateran.

Ecclesias item quæ nullius sunt diæcesis, vicinior Episcopus, vel quem semel elegerint, visitare potest, Conc. loc. cit. c. 9.

Modus autem in inquirendis defectibus, & delictis tenendus est

60 vt de statu generali Ecclesiæ inquiratur, & non in specie de delictis rectoris, Specul. lo. cit. de inquis. & vt procedatur de plano nulla seruata forma iudicij. cap. olim, de accusat. secretò etiam examinandum est, & nullum iuramentum ab examinatis exigendum, cap. Romana, cit. super quo extat etiam rescriptum, sac. Congreg. Conc. tenoris sequentis.

Congreg. Con. censuit in Visitatione quando fit inquisitio, quæ præparatoria vocatur, non licere Episcopo ad detegenda visitatorum peccata, per edicta publica monere homines sub excommunicationis pœna, ad reuelandum, neque in ea exigere iuramentum à visitatis.

Ex quo tamen reuelaretur sine iuramento aliquid corrigendum, posset visitator pro maiori verificatione super illo particulari exigere iuramentum, glo. in cit. cap. Romana, §. sane, vel in genere posset exigi iuramentum, vt dicant si quæ sciunt in Ecclesia reformanda, tam in capite, quam in membris, cap. qualiter, de accus.

Præcauendũ ẽt ne dicantur occulta, vt si reuelãs solus sciat delictum, vel ipse, & alius tantum; talia enim neque quæri, neque referri possunt cum Ecclesia de occultis non iudicet, sed soli Deo reseruantur, cap. qualiter, cit. cap. erubescant, 32. distinctione. Imo et si duo concordarent contra aliquem in crimine occulto, talis non deberet iudicari, Host. in sum. de inquis. num. 5. vbi addit non esse inquirendum super contentis in schedulis occultè traditis, quia nimirum hoc vergeret in magnum detrimentum famæ clericorum, quorum delicta, non sunt propalanda, sed potius quantum sine scandalo fieri potest occultanda, exemplo Imperatoris Constantini, cap. in scripturis, 96. distin.

In huiusmodi item generali inquisitione, admittenti sunt quicũque deponere volentes etiam criminosi, & qui alias à testimonio essent repellendi; aduertere tamen debet visitator, an ex odio deponant, vel ex auditu seu fama tantum, vt ex huiusmodi deponentium circumstantijs iudicium suum moderari sciat, Host. loc. cit.

Visitationis absoluto processu, ordinare solet visitator aliqua, quæ corrigenda duxerit, & iniungere ecclesiæ rectori, vt ea intra assignatum terminum exequatur. Delicta etiam si quæ detecta sunt, punire debet.

61 Et quidem si accusatus fatetur delictum, puniendus est, non pœna ordinaria, sed pœna arbitraria, hęc enim propria est pœna iudicij inquisitionis, cap. præsbyterum, 50. distinctione, cap. non dicatis

12.

12.quæst.1.cap.qualiter,cit.cap.inquisitionis,de accusa.Tanto magis, quod visitatio potius fit per modum fori pœnitentialis, quam contentiosi,nec in ea præcisè puniendi finis intendendus est,sed corrigendi,& salutaris pœnitentiæ iniungendæ,ita Imol.in cap.Romana,de cens.in 6.cit.

Huiusmodi tamen correctio,appellatione, vel recusatione iudicis,vt suspecti non potest impediri, cit.Conc.sess.24.cit.cap.10.de ref.hocque idem fuisse declaratum à sac. Cong.Conc.testatur Genuen.in sua prax.cit.cap.21. quoad effectum videlicet suspẽsiuum, quoad effectum enim deuolutiuum appellatio non est prohibita ex voto eiusdem sac.Cong.vt sequitur.

An decretum, cap.10.sessio.24. sustulerit appellationem deuolutiuam.

Cong.censuit,non sustulisse deuolutiuam,sed suspensiuam tantum.

Pro crimine etiam à quo quis alias fuit legitimè absolutus, iterum puniri non debet,cap.de his, lo.cit.de accusat. Abb.ib.& text. l.si cui, §.ijdem,ff.de accusat.

Quod si accusatus in negatione persistat, & fuit depositum contra ipsum, de fama, & credulitate tantum, nec adsit modus, quo probari possit facti veritas,adsit tamen infamatio seu scandalum,& non leuis præsumptio,iniungenda est canonica purgatio,cap.præsbyter,2.quæst.4.cap.inquisitionis,cit.Felin.in cit.cap.qualiter,nume.9.de accusat.quod si in purgatione defecerit,pro confesso haberi debet,cap.cum P.& cap. inter.de purg.Can.

Si autem negat accusatus,& fuit depositum de certitudine facti, & grauis sit orta infamia, vel scandalum, seu agatur de præiudicio tertij, reseruandus est ad iudicium ordinarium, & contra eum per modum accusationis ab Aduocato Fisci Episcopalis procedi debet. Et tum demum deueniri potest ad inquisitionem specialẽ, in qua & iurare testes,& non nisi legittimi admitti debẽt, nam tunc potest si velit accusatus excipere contra testes,potest petere probationum copias,& omnibus defensionum remedijs vti. Hostiens. loc.cit. Pœna etiam ordinaria,& à iure statuta hoc casu puniri debet delinquens, non autem arbitraria, cap.qualiter, cit.licet hoc tempore omnes pœnæ sint iudici arbitrariæ, & omnes pœnas legum pro circumstantijs delictorum, & locorum iudex moderari potest. Host. in sum.cit.de pœnitent.num.6.Boer.decis.289.num.7.

Detineri etiam hoc casu potest sub custodia reus interim dũ formatur processus si sit suspectus de fuga. cit. Conc. sessio.25. cap.6 de refor.

Hoc eodem casu cum proceditur compilato processu, recusari, potest iudex, vt suspectus, & ab eo licitè appellatur, appellatione nō solum deuolutiua, sed etiam suspensiua, neque tunc procedit dispositio, cit. cap. 10. sess. 24. appellatione enim correctionis morum, nō intelligitur correctio, quæ fit seruato iudiciali processu. Genuen. loc. cit.

Non solum autem per se ipsum visitare potest Episcopus, sed & per delegatum, quod ipsi iura concedunt in casu iusti impedimenti. cap. Episcopum, 10. quæst. 1. cap. si Episcopus, de off. ord. in 6.

62 Visitat, & Archidiaconus cum scitu Episcopi, per seipsum tamē tantum, assumpto secum notario publico visitare debet, visitationisque rationem, acta, & processum infra mensem episcopo reddere tenetur, Conc. loc. cit. sess. 24. cap. 3. de ref. Eidem præscribere potest episcopus terminum, & comitatum in visitatione tenendum ex voto sac. Congr. Conc. quod sequitur.

An Episcopus possit præstituere terminum Archidiacono ad visitationem expediendam, & præscribere comitatum, & equitatum ne oneri sit ecclesijs quas visitauerit.

Cong. censuit posse.

63 Visitat ad extremum Archiepiscopus diæcesim sui suffraganei, sed non nisi causa prius cognita, & probata in concilio prouinciali, Conc. loc. cit.

Reliquum est, vt videamus quidnam Episcopus ratione visitationis à visitatis recipere possit.

Munera itaque qualiacunque, & quomodocunq; illa offerantur recipere non potest, Conc. loc. cit. ne quidem comestibilia, vt illa secum asportet. Imol. Anchar. in Clem. 2. de censib.

Neque Cancellarius, auditor, vel notarius Episcopi recipere quicquam potest à visitatis pro scriptura processus visitationis: pro copia tamen actorum seu decretorum visitationis ab eis, qui ea petunt, licitè posset petere mercedem competentem. Nau. cons. 1. de censibus. Ioan. Monach. Gemin. Franch. in cap. 2. de censibus in 6. supra cit.

Neque tenentur Visitati præstare vecturas equorum neque ferraturas pro equis visitatoris. Doct. cit. & Clem. 2. de cens.

64 Procurationem tamen siue alimēta illius diei quo visitat pro ipso, & suo comitatu Visitati prouidere obligantur. Conc. ibid. & c. 1. de censib. in 6. cit.

Non

Non epulæ autem sumptuosæ, sed victus frugalis pro temporis necessitate quo visitatio expeditur, & nõ amplius dari debet. Concil. ibidem.

Et non nisi pro moderato comitatu qui viginti vel triginta euectiones excedere non debet, c. cum Apostolus, de censibus. Et quidem hic numerus comitatus in locis abundantibus reditibus sustineri posset, aliæ autem Ecclesiæ pauperes quæ tanto numero sustentando sufficere non possent, vltra suas vires grauari non debent. c. illud te. 10. quæst. 3. Sed si vna non sufficiat ad sustẽtationem, duæ, tres, vel etiam plures vnam procurationem componant, cap. procurationes, de censibus.

Liberum est etiam visitatis si velint pecunia redimere procurationem, & Visitator tenetur recipere in ea specie quæ fuerit oblata. cap. felicis, de censibus. in 6. Conc. loc. cit.

65 Dum autem visitat clerum ciuitatis vbi sita est cathedra, procuratio illi nulla debetur, vt etiã seruari testatur in sua praxi Genuen. cit. c. 19. & sępius respondit S. Cong. Conc.

Neque debetur procuratio, dum visitantur loca specialiter exẽpta à præstanda procuratione, Host. in sum. de censib. nu. 14.

Neque debetur dum visitantur hospitalia, & domus pauperum vel infirmorum. Card. in clem. quia contingit. de relig. dom. Lapus. de Hospital. nu. 98. Sylu. in sua. sum. verb. hospitale. nu. 16.

Insuper etiamsi de iure communi procuratio præscribi non possit, cap. cum ex officij. de præscript. hodie tamen ex noua dispositione. Conc. Trid. loc. cit. præscribitur, nec peti potest vbi illam non dãdi viget consuetudo, propter illa verb. Conc. ibid.

In illis vero locis seu prouincijs, vbi consuetudo est vt nec victualia, nec pecunia, nec quicquam aliud à Visitatoribus accipiatur, sed omnia gratis fiant, ibi id obseruetur.

Caput

Caput Quartum.

De Iudicijs.

Expeditis breui Iudicijs extraordinarijs Ordinarium videamus. Et istud dicitur actus legittimus trium personarum Iudicis, Actoris, & Rei qui redditur in inuitum, Host. in sum. de Iudi. num. 1. Abbas in rub. ibid.

De Persona Iudicis.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus habet iurisdictionem immediatam in sua Diœcesi.*
2 *Archiepiscopus non potest iurisdictionem exercere in Diœcesi sui suffraganei.*
3 *Causę quędam immediatè in Rom. Curia iudicantur.*
4 *Iudex ex quibus causis recusari possit.*
5 *Vicarius Episcopi non aliam habet potestatem nisi quantum in litteris Vicariatus fuerit ipsi concessum.*
6 *Vicariatus laico committi non potest.*
7 *Iudex delegatus quę possit.*
8 *Canonicatus veniunt appellatione dignitatis.*
9 *Iudici quę aduertenda sint in iudicando.*
10 *Sententia definitiua reuocari non potest.*
11 *Notarios quis creare possit.*
12 *Notarius quę requisita habere debet.*

1 IVdex fori Ecclesiastici proprius est Episcopus in sua Diœcesi, cap. conquerente, de offic. ord. cap. de persona, 2. quæst. 1. & quolibet loco Diœcesis suæ non exempto pro tribunali sedere potest. capit. cum episcopus, de off. ord. in 6. ita quod nemo alius ipso inscio subditos ipsius iudicare possit, nequidem Archiepiscopus nisi causa
2 ad eum per viam appellationis deuoluta, cap. duo simul. loc. cit. de off. ord. c. Romana, de for. comp. in 6. Nequidem de consensu partium, clerici enim non possunt consentire in iurisdictionem non sui præ-

sui prælati sine assensu proprij Episcopi.ca.significasti,de foro cõp. Gemin.in cap.1.cit.eod.tit.in 6.Sicut & ècontra episcopus non potest subijcere clericum alteri tanquam ordinario ipso inuito, licet causam ipsius alteri delegare possit.Host.in sum.de for. comp. nu. 14.§.Item episcopus.Causa autem ad Archiepiscopum deuoluta, acquiritur Archiepiscopo iurisdictio quo ad personas appellantes tantum,non quoad alios,neque aliquem alium etiam ad ferendum testimonium in causa citare potest,neque causam subdelegare episcopi suffraganei subdito inuito,cap.1.cit.de for.comp. in 6. Quinimo & Sancta Sedes Apostolica licet immediatè quascunq; causas ecclesiasticas iudicare possit.cap.cuncta.cap.nunc vero.9.q.3. ipsius tamen curiæ stylus seruat,vt omnes causas in prima instantia coram Ordinario loci remittat decidendas,hocque idem ordinauit.Conc.Trid.sess.24.de ref.cap.20.quod excipit causas quæ iuxta Canonicas Sanctiones apud S.Sedem sunt iudicandæ, vel quas
3 Sum.Pont.arbitrio suo supplicatione manu propria signata expressè ad se aduocauerit. similiter, & causæ possessionis beneficiorum reseruatorum Sedi Apostolicæ,possunt immediate ab Auditore Cameræ seu alio delegato Apost.cognosci, quod praxi quotidiana Signaturę seruatur,& declarauit Greg. XIII. super executione litterarum in forma breuis ad capiendam possionem vt sequitur.

Ad Romani Pontificis prouidentiam circumspectam pertinere dignoscitur, dubia super Sacrorum Conciliorum Decretis pro tempore insurgētia,sic suæ declarationis oraculo dilucidare,& interpretari vt exinde litium dispendia inter fideles quoslibet valeant submoueri.

Accepimus sane nuper quod licet multoties Rom.Pont. vt prouisiones & gratiæ per eum de beneficijs pro tempore vacantibus ac suæ, & Sedis Apostolicæ dispositioni,& Ordinationi reseruatis in fauorem diuersarũ personarum sibi gratarum,& acceptarum factæ, executioni debitæ demandentur,& ne (dum litteræ Apostolicæ sub plumbo desuper expediũtur) beneficia ipsa ab aliquibus indebitè occupentur, aut aliqua in spiritualibus,& temporalibus detrimenta sustineant,nonnunquam corporalem possessionem ipsorum beneficiorum,& illis annexorum, iuriumque, & pertinentiarum quomodocunque, Sedis, & Cameræ Apostolicarum nominibus apprehendi,ac omnes,& quoscunque fructus reditus,& prouentus beneficiorum,& annexorum eorundem percipi,exigi,eosque integros personis Prædictis postquam ipsæ litteras sub plumbo expeditas haberent,vna cum dicta possessione consignari,quandoque vero dum litteræ sub plumbo huiusmodi expeditæ existunt,vt ius suum vnicuique illorum

confer-

conseruetur, & temerariorum audacia debita castigatione compescatur ac ipsæ litteræ Apostolicæ facilius debitæ executioni, vt par est demandentur, prouisos de beneficijs in corporalem, realem, & actualem possessionem beneficiorum, & annexorum, iuriumque, & pertinentiarum prędictorũ induci, & inductos in ea manuteneri, amotis quibuslibet intrusis detentoribus ab eisdem, aliaq; fieri, & exequi per diuersas suas in forma Breuis, & sub annulo Piscatoris confectas litteras mandet, & pręcipiat, certis inibi forma, & modo tunc præscriptis, dilecto filio causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ generali Auditori seu alijs executoribus desuper deputatis, quibus omnino parendum esset. Nihilominus nonnulli beneficijs prædictis inhiantes, ac gratias prædictas eludere, eorumq; intrusiones, & detentiones improbè tueri satagentes, executionem litterarum in forma breuis huiusmodi, & facultatem per eas ipsis executoribus attributã diuersis dubijs, & cauillationibus remorentur, & processus per eosdem executores desuper habitos, & formatos ac inde sequuta quæcunq; nulla, & inualida nulliusque roboris, vel momenti esse, neque attendi debere cõtendunt, sub prætextu, quod in Decreto Conc. Trid. sess. 24. cap. 20. dispositum fuerit, quod causæ omnes ad forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, etiamsi beneficiales sint, in prima instantia coram Ordinarijs locorum duntaxat cognoscantur, exceptis his quæ iuxta Canonicas sanctiones apud sedem prædictam sunt tractandæ, vel quas ex vrgenti rationabilique causa, iudicauerit summus Pont. Rom. per speciale rescriptum signaturæ suæ eius manu propria subscribendum, committere aut auocare. Verum cum decretum huiusmodi Concilij concessionem prædictarum litterarum in forma breuis, & illarum executionem nihil afficiat, neque per illos causa seu instantia introducatur, sed mere executiuè procedi mandetur, litteræ quoque in forma Breuis annulo Piscatoris munitæ non minoris sint efficaciæ, & auctoritatis, quam rescripta signaturæ Roman. Pont. eius manu propria subscripta: Nos in his nostræ debitæ declarationis cautelam adhibentes, ac prouisorum prædictorum ius aduersus dubia, & cauillationes huiusmodi, æquitate, & iustitia suadentibus præseruare volentes, nec non prædictarum, & quarumcunq; litterarum in forma Breuis super capienda possessione nomine Cameræ huiusmodi aut in fauorem litterarum sub plumbo expeditarum tam à prædecessoribus nostris, quam nobis, & dicta sede hactenus concessarum tenores ac litis, & causæ si quæ desuper existant statum, & merita nominaque, & cognomina iudicum, executorum, & collitigantium præsentibus pro sufficienter expressis habentes, motu proprio non ad ipsorum prouisorum aut aliorũ nobis pro eis super hoc oblatæ petitionis instantiã, sed ex certa scientia ac de mera nostra deliberatione decernimus, & declaramus, per cõcessio-

nem litterarum in forma breuis & sub annulo Piscatoris, super capienda possessione quorumcunq; beneficiorum dispositioni Apostolicæ reseruatorum seu affectorum, sedis & Cameræ Apostolicarum nominibus apprehẽdenda, & eiusdem possessionis in fauorem prouisorum ab ipsa sede de eisdem beneficijs postquam litteras sub plumbo super prouisionibus huiusmodi habuerint expeditas relaxatione nec non assistentia ipsis prouisis litteras desuper sub plumbo expeditas habentibus præstanda, & aliorum inibi expressorum executione facienda, quæ mandata executiua sunt & summariam duntaxat causarum propter quas illæ emanarunt cognitionem requirunt, Decretis huiusmodi Concilij non contrauenire, nihilque præiudicij illis inferri, vel eorum formam in aliquo violari, neq; id dici aut censeri vel executionem litterarum earundem propterea in aliquo suspendi siue remorari aut facultatem litterarum executoribus concessam impedniri, sed executores ipsos, & ab eis deputatos subexecutores, facultate sibi per easdem litteras, vt prefertur concessa, vti, frui, gaudere, & contra illis non parentes ad declarationem incursus pœnarum, & censurarum in eisdem litteris in forma Breuis contentarum ac inuocationem Brachij sæcularis procedere, ac alia omnia & singula in eisdem litteris contenta (illarum tamen forma seruata) facere, & exequi liberè & licitè potuisse, & posse, nec non processus desuper habitos & formatos habendosq; & formandos ac inde sequuta, & sequenda quæcunq; firma valida, & efficacia fuisse, & esse & fore suosq; integros, & plenarios effectus sortiri debere in omnibus, & per omnia, præsentes quoq; litteras de subreptionis vel obreptionis vitio aut intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu notari, impugnari, vel inualidari nullatenus posse, sicq; in premissis omnibus & singulis per quoscunq; indices, &c. Non obstantib. &c. Dat. Romę, die 10. Iulij, ann. 1574.

Licet autem vt diximus Episcopus sit iudex proprius suorum Diæcesanorum. aliquando tamen cessat ipsius huiusmodi iurisdictio ita quod iudicare non possit. Vt primo si fuerit excommunicatus, vel hæreticus declaratus, cap. ad probandum, de re iud. cap. excommunicatus, de hæret. Item si fuerit surdus, mutus, furiosus, cap. 1. 3. quæst. 7. Item dum fuerit in aliena Diæcesi, dum enim est extra suam Diæcesim, omnia illa, quæ requirunt causæ cognitionẽ exercere non potest, nisi de licentia illius in cuius Diæcesi moratur, cap. non inuitati, 9. q. 2. Abb. in ca. nouit. de off. leg. & tũ ita demũ si consentiant subditi, alioquin inuiti non possunt trahi ad alienam Diæcesim, nec tenentur comparere citati, cap. vt litigantes, de offi. ord. in 6. glo. in Clem. vn. de foro comp. ver. indulgemus, & esse com-

munem opin.testatur Abb. loc. cit. secus illa quæ expediuntur sine causę cognitione, illa enim sine aliqua licentia vbicunque fuerit exercere potest, vnde potest dum est extra Diœcesim delegare causam iudicandam in sua Diœcesi, potest & ad beneficia instituere, & omnia alia facere, quæ sunt volūtariæ iurisdictionis, cap. nouit. iun. glo. ver. terminos, de off. leg. Couar. lib. 3. Var. res. cap. 20.

Non posset itē judicare in casib. in quibus ab alterutra partium
4 legitimè recusaretur, vt si vellet iudicare causam propriam: & causa dicitur propria eius ad quem ex ea emolumentum, vel dānum pertinet. Host. in sum. de sent. num. 4. vel si esset causa suæ ecclesiæ, seu bonorum mensæ ipsius, nam licet possit esse iudex in causa Ecclesiæ suæ, cap. si quis erga, 2. quæst. 7. recusari tamen potest vt suspectus, Sicul. in cap. insinuante, de off. deleg. Capy. decis. 137. nu. 1. Item recusari posset si sit pater, vel filius, seu affinis, intimus amicus, vnius ex collitigantibus, cap. ad hæc. de rescriptis, cap. accusatores, vlt. 3. quæst. 5. & de his videndus est Aufr. qui 93. casus recusationis suspecti iudicis satis accuratè collegit. In casu tamen recusationis quocunque, recusans causam recusationis allegare tenetur, & ipsam coram arbitris per ipsum, & per ordinarium cōiter eligendis probare, & nisi causam probauerit, Ordinarius sua iurisdictione vti potest, cap. 2. cap. cum speciali, de appell. ibiq; Innoc.

Non solum autem per se ipsum iudicat Episcopus, sed & per delegatos. Vnde potest sibi constituere vnum seu plures Vicarios, cap. quoniam, de off. ord. Anch. in Clem. 2. de rescript. Cuius Vicarij potestas in tantum extendetur, in quantum ipsi per expressum fuerit
5 concessum, cap. 2. & vlt. de off. Vic. in 6. Host. in sum. tit. eo. num. 1. Diaz. in pract. crim. cap. 3. Vnde & morte Episcopi concedentis expirat iurisdictio ipsius, cum concedatur semper ad beneplacitum concedentis arg. text. cap. si gratiosè. de rescript. in 6. Couar. lib. 2. var. res. cap. 5. à num. 8. Rebuff. de for. Vic. num. 216. & 224. Et non solum morte naturali, sed & ciuili, vnde excommunicato Episcopo, Vicarius ipsius, iurisdictionem exercere non potest, cap. 1. de offic. Vic. in 6. glo. in Clem. vlt. de procura. verb. contestata. Episcopo etiam vt suspecto recusato, ex eadem causa Vicarius ipsius recusari potest, cap. insinuante, de offi. deleg. Abb. ib. num. 2. non tamen è cōtra, cap. si contra vnum, eo. tit. in 6.

Ex facto etiam Vicarij sui tenetur Episcopus, & sibi imputare debet si malum elegerit Vicarium, cap. ad hæc, de offic. Archid. Rebuff. lo. cit. num. 188.

Constitui autem solet Vicarius, vel Generalis, vel particularis seu

seu foraneus. Et licet vterque in eo conueniat, quod non amplius possit nisi in quantum illi fuerit concessum, differunt tamen in eo, quod generali, causarum vniuersitas committitur, vnde, & censetur vnum tribunal seu consistorium cum Episcopo, & ab eo non ad Episcopum, sed ad Archiepiscopum seu superiorem appellatur, cap. 2. de consuet. in 6. Host. in sum. cit. de off. Vic. num. 2. Foraneo autem non nisi certus locus Diœcesis, & certæ causæ demandantur, & ab ipso ad Episcopum seu ad Vicarium Generalem appellari potest, sicut, & à quolibet alio delegato, glo. lo. cita. de consuetu. ver. officiali.

6 Laicus autem Vicarius dari non potest, cap. decernimus, de iudic. ibique Felyn. num. 6. Dec. num. 15. Rip. num. 34. & omnes communiter. Imo neque vna causa spiritualis laico committi, neq; in ipsum compromitti potest, cap. contingit, iun. glo. de arbitr. causa tamen pecuniaria inter clericos committi, & compromitti posset laico, c. exposita, ib. iun. glo. ver. compromisit. similiter, & pro assessore in iudicijs spiritualibus laicus licitè adhibetur, nisi quod de honestate potius sit adhibendus clericus si reperiatur idoneus. Felyn. Dec. lo. cit. Item si Episcopus habet iurisdictionem temporalē, ad eam exercendam Vicarium laicum instituere potest, Doct. loc. cit.

Locare autem Vicariatum, vel facultatem nominandi Vicarium districtè prohibet, Conc. Trid. sess. 25. cap. 11. de ref.

De Vicario multa collegit Sbroz. edito super hoc particulari tractatu, ille consuli potest. hic plura de eo congerere, videtur superfluum cum satis sit dicere omnia eum posse, quæ potest Episcopus si ipsi specialiter committantur, præter ea tamē, quæ sunt ordinis Episcopalis, illa enim ipsi committi non possunt nisi sit Episcopus, cap. quorundam, 23. distinct. cap. quanto, de consuet. Host. lo. cit. de off. deleg. num. 6. Rebuff. lo. cit. num. 168.

7 Iudicat item Episcopus non solum iuridictione ordinaria, sed ét delegata, quam ipsi iura aliquando concedunt, & nouissimè Conc. Trid. circa correctionem, & visitationem exemptorum in multis illam concessit, vt suis locis dictum fuit.

Vel si superior aliquam causam particularem illi delegat. Host. cit. de off. deleg. num. 1. Aut suo antecessori, transit enim delegatio in successorem si dignitati fuerit delegatum, cap. quoniam Abbas, lo. cit. de off. deleg. Felyn. in cap. eam te. de rescript. num. 17. si vero certæ personæ nomine expresso fuerit delegatum, non transit in successorem, glo. in cit. cap. quoniam, ibique Abb. num. 3. & 4.

Similiter & causa delegata Vicario transit in successorem si di-

gnitati fuerit delegatum, Achil. de graf. decis. 3. de off. Vicar. Gab. de off. leg. à lat. lib. 8. num. 97. & Rota diuers. par. 1. decis. 12. communis autem opinio, quæ facit in contrarium praxi contraria quotidiana sublata est, vt testatur Genuen. in prax. cap. 85.

Causam autem delegatam Episcopo nō potest iudicare Vicarius ipsius, etiamsi habuerit mandatū ad causas generale. Card. in Clem. 2. de rescr. quæst. 9. Etiamsi haberet mandatum ad causas ordinarias, & delegatas, hoc enim mandatum non posset extendi ad causas quæ in futurum delegarentur, Felyn. lo. cit. de off. deleg. in cap. vlt. num. 8. limit. 4.

Neque è contra Episcopus causam Vicario suo delegatam licet ille ab officio fuerit amotus iudicare potest. Card. lo. cit. Nauar. de off. deleg. cons. 5. Et etiamsi esset commissa alternatiuè Episcopo siue Vicario, postquàm fuerit vni eorum præsentata, alter sese intromittere in ea non potest, cap. cum plures, de off. deleg. in 6. Franch. Imol. ib. & omnes communiter.

Subde legari etiam potest causa delegata, cap. vlt. de off. deleg. sed non extra Diœcesim nisi de partium consensu, & personis in dignitate constitutis. cap. statutum. §. in nullo, de rescript. in 6. & dignitatibus æquiparantur canonici Cathedralis Ecclesiæ quoad de-
8 legationes, licet non possint dici propriè habere dignitatem. ibid. imo largè sumpto vocabulo veniunt appellatione dignitatis dicuntur enim coadiutores, consiliarij, senatus, membra Episcopi. Felin. in cap. pastoralis, nume. 12. de officio. delega. Paleot. in Archiep. Bononien. p. 7. fol. 513.

Vbi autem delegatur nudum ministerium, amplius subdelegari non potest, vt si delegatur, absolutio, dispensatio, inductio in possessionem, cap. vlt. cit. Et si per litteras in forma dignum committitur institutio, eadem non potest subdelegari, nisi quod tunc posset committi actus aliquis causæ absque iurisdictione, vt capienda informatio de vita, & moribus, vel post delatum testibus iuramentum, & admissum, eorundem testium examinatio. Felin. in eo. c. vlt. cit. nu. 8. Abb. in c. cum Bertoldus, de re iud.

Similiter non potest subdelegari vbi delegans elegerit industriā personæ, cap. is cui. loc. cit. in 6. vt si dicatur præcipimus, mādamus, vel secundum tuam conscientiam decidas, vbi autem diceretur, cōscientiam tuam oneramus, nō intelligitur electa industria personæ. Nau. de off. deleg. consil. 6. Felin. loc. cit.

Causa semel subdelegata, amplius reuocari non potest, nisi re integra, vel si subdelegans reuocandi sibi reseruauerit potestatem, c. si delega-

delegatus, de off. deleg. in 6. cit.

Subdelegatus etiam à delegato, vel delegatus Episcopi, amplius subdelegare non potest, posset tamen committere aliquem actum causæ absque iurisdictione vt supra diximus, vltra allegatos facit ad hoc. Franch. in cap. cum causam, de appel.

Delegati Iurisdictio expirat morte delegantis re integra. cap. relatum, cap. licet vndique. de off. deleg. si autem fuerit perpetuata iurisdictio, non expirat, & perpetuatur sola citatione, in qua inseri debet tenor delegationis, alioquin esset inualida. Abb. in cap. cit. relatum. Innoc. in cap. præterea, de dilat. Bart. in l. & quia. ff. de iurisd. omn. Iudic. Expirat, & postquam delegatus fuerit functus officio, Host. loc. cit. de off. deleg. nu. 11.

9 Iudicare autem debet Iudex secundum leges, & secundum allegata partium, non autem secundum quod ipse particulari sua scientia cognoscit, cap. iudicet. 3. quęst. 7. cap. 1. de off. Ord. iun. gl. quam quęstionem latissimè etiam tractat Couar. lib. 1. var. res. cap. 1. & tandem concludit affirmatiuè, dicitque hanc opinionem esse magis cōmunem tam apud canonistas quam apud Theologos, vt eam tenet. S. Th. 2. 2. quæst. 67. art. 2. Caiet. ibidem, & Sot. de Iustit. & iure. qu. 4. articu. 2.

In notorio tamen quod constat ex actis etiam parte non opponente, iudex supplere potest, vt si viderit inhabilem testem, repellere ipsum potest. Abb. in cap. intimauit, de testib. & Felin. ibid. Et si ex actis constaret actori non competere actionem, reijcere ipsum potest iudex etiam parte non opponente. Dec. in cap. ex insinuatione, de appell. Maràn. de ord. iud. p. 6. decis. iud. actu. 1. num. 68. Itē & substantialia iudicij, & quibus non seruatis sequeretur nullitas sententię, iudex ex se ipso supplere potest: vt repellere potest procuratorem non habentem mandatum etiam parte non petente, c. causam. de iudic. & glos. in cap. 1. verb. absentia, de elect. in 6. Dec. in c. cit. causam, num. 2. Et de hac quæstione satis controuersa, cessat iā omnis dubitatio, stante praxi vulgatissima, omnimodè iudiciū reddi nullum ob defectū mandati, ita quod neque refectis expensis redintegrari neque Principis auctoritate talis defectus sanari possit, vt testatur. Gomez. in comp. vtr. sig. 9. & quod dictum est.

Ad iudicis item instructionem pertinet vt in dubio iudicet secūdum loci consuetudinem, cap. cum dilectus, de consuet. Et si hęc nō adsit, verborum proprietas est attendenda, l. non aliter. ff. de leg. 2. Item in dubio benignior, & fauorabilior intellectus est tenēdus, vel ad similia recurrendum, arg. tex. in cap. translato. de constitutiō. In dubio

dubio item in causis grauioribus ad Principem est recurrendum, c. inter alia. de sent. excomm. l. Diuus. ff. de off. præsid.

Ad extremum in iudicando cõmunior Doctorum sententia est sequenda, cap. de iudicijs, iun. gl. verb. plurimi, 3. quæst. 3. cap. in canonicis. 19. dist. Felin. in cap. ad aures. de rescript. num. 3. Et plures modos gradatim in dubijs procedendi recenset Dec. in rub. de constit. à num. 22. ad 30. & Abb. ibid.

Iudicis officij quoque est inducere partes ad amicabiliter componendum, cap. 1. de mut. pet. iu. gl. verb. concordia. & alia gl. in c. venerabilem verb. fauere. de elect. Quinimo, & cogere potest iudex partes ad faciendam concordiam, vel arbitros eligendum si lis fuerit diuturna, & intricata, & immineat armorum periculum seu timeantur graues inimicitiæ. Felin. in rub. de Treug. & pace, num. 5. Lanfr. de arb. quæst. 45.

Præterea Iudicis est occurrere litigatorum artibus quibus causas prolongare conantur. Conc. Trid. sess. 25. c. 10. de ref. Præcipuè autem laborare debet ne veritas opprimatur. Dec. in cap. quoniam de probat. num. 5.

Iudex potest interrogare partes circa merita causæ etiam post conclusionem in causa, dummodo interroget circa ea quæ fuerunt acta ante conclusionem. Abb. in cap. cum Ioannes, de fide instrum. ibique Felin. num. 11. Testes quoque etiam post publicationem interrogare potest ex officio suo, licet id facere non teneatur ad instãtiam partis, glos. in cap. per tuas, de testibus. verb. audiendum. Felin. ibid. num. 5.

Potest & interlocutoriam suam quandocunque ante definitiuæ sententiæ prolationem reuocare, maximè si ab illa fuerit appellatũ, iuxta communem Doctorum opinionem, de qua testatur Felin. in cap. qualiter & quando, num. 6. de accus. Franch. in cap. cum cessante, de appell. Nisi detulerit appellationi ab illa interpositę, ea enim concessa cum iurisdictio transferatur in superiorem, non potest amplius se intromittere in causa vt notat Felin. loco cit. nume. 14. qui dicit hoc casu ne quidem de cõsensu partium redire posse causam ad primum iudicem, nisi illam superior remittat, propter translatã iurisdictionem. Similiter nõ posset reuocare interlocutoriam quæ fuit mandata executioni, vel qua pronunciauit se esse iudicem competentem. Dec. in cit. c. cum cessante, num. 14. Grauat. super c. 1. lib. 7. Vestr. num. 33.

10 Sententiam autem definitiuam reuocare regulariter non potest. Feli. loc. cit. à nu. 23. nisi in continenti antequam habeatur pro absoluta.

soluta.facit.glos.in cap.prædicator.verb.imo vero.16.quęst.1.Vel per modū declarationis,declarare enim potest, & interpretari suā sententiam,glos.in cap.loci nostri,verb.errorem.25.quæst.9.Item & per viam restitutionis in integrum reuocari posset sententia.Felin.à nume.23.cit.vbi plures casus in quibus iudex reuocare possit sententiam definitiuam colligit.Cauti autem iudices reseruare sibi solent moderationem,diminutionemvè pęnæ appositæ seu declarationem sententiæ ne postea dubitare sit necesse de facienda declaratione,quod & facere possunt vt notat Couar.lib. pract. quæst.c. 34.præsertim vero in causis criminalibus.Aufrer.de potest.Eccles. in laic.casu.12.

Iudex item moderari debet salaria Notariorum ne exactionib. grauent partes,& ipse de illorū lucro participare non potest,c.statutum.§.notarium,de rescript.in 6.

Similiter & munera quæuis etiam sponte oblata,præter comestibilia paucorū dierum vel expensas moderatas in itinere forte propter causam suscepto,recipere non potest.§.insuper, ibid. Vsu tamē introductum est vt Iudices plerisque locis propinam siue sportulas pro ferenda sententia exigant,& hæc consuetudo toleratur. Zerol. par.2.suę prax.ver.Episcopus.nu.16.Pœna autem pecuniaria si quādo de iure veniret imponenda,licet sanctius fieret si in vsus pios expenderetur,eam tamen applicare sibi posse Iudicem probat Couar. lib.2.Var.res.c.9.num.9.

Et quoniam mentio facta est Notariorum, non incongruè plura hic sub persona Iudicis de ijs referri possunt.Notarius enim est minister Iudicis,& est persona publica,l.orphanotrophos.C.de episc. & cler.Et dicitur Iudex chartularius.Maran.par.4.dist.18.num.2. Et iudex ipsum mutat vel eligit pro libitu: recusari tamen potest à partibus tanquā suspectus si causa subsit.Dec.in c.quoniam,de probat.à num.10.

11 Creatur autem à Papa Imperatore Rege vel Principe non recognoscente superiorem.Innoc.in c.cum P.de fide instrumen.Host.tamen tenet,quod possit creari etiā ab episcopo in sua Diœcesi. in Sū. ne cler.vel mon.nu. 5.seu quolibet alio habente Iurisdictionem in suo territorio.idem tit.de fide.Instrum.nu. 3. Imo acta p quemcunque deputatum à iudice confecta,faciunt fidem,textus expresse, c. quoniam,cit.de probat.& Doctores ibidem.Magistro quoque Generali,& Prouinciali Ord. Prædicatorum,vt possit creare Fratres sui ordinis in notarios ad effectum publicandi, & exequendi mandata Apostolica pro ipsorum publica seu priuata vtilitate.Pius . V.

 indul-

indulsit de anno.1571.die.21.Mart.cuius priuilegium refert Confect. in suo compend. folio. 220.

Quoad exercitium autem notariatus officij in foro spirituali, requiritur vt notarius sit creatus nō à Principe sęculari, sed Ecclesiastico. Host. loc. cit. ne cler. vel Mon. Potest tamen ipse esse laicus vt communiter tenent Doctores, in c. decernimus, de iud. cit licet magis conueniat vt sit clericus, argu. tex. c. vt iuxta. de off. Ord. & licet clericis prohibitum sit exercitium tabellionatus, c. sicut te. ne cler. vel Mon. hoc tamen intelligitur de exercitio in Iudicijs Laicorum, non autem in iudicio iudicis Ecclesiastici. gl. & Host. loc. cit.

Notarius non debet esse persona vilis neque illegittimus. Arm. verb. tabellio. num. 5. debet iurare in ingressu officij sui, quod fide-
12 liter exercebit officium, & requisitus super auditis conficiet instrumentum sine diminutione veritatis, & sine admixtione falsitatis Syl. verb. tabellio. q. 6.

Omnia pertinentia ad artem suam, scire tenetur. Abb. in capit. 1. de fide instrum. & debet intelligere clausulas quæ in instrumento ponuntur, quod si interrogatus explicare sui instrumenti clausulas nesciuerit, inualidum esset instrumentum. Alberic. in l. fin. §. penult. ff. ad Veleyanum, plura de notariorum qualitate, peritia, videri possunt in libello de erroribus notariorum ab Anton. Tassara, curiosè satis collecto. Quoad sufficientiam autem doctrinæ notariorum ecclesiasticorū, cuius defectu plurimi sæpe litigantes damnificantur, Conc. Trid. quoque cautè prouidit. sess. 22. cap. 10. de ref. ordinās vt Notarij Ecclesiasticorū iudiciorum nulla exemptione obstāte ab Ordinarijs locorum etiam tanquam sedis Apostolicæ delegatis super doctrinæ sufficientia examinari possint, & repelli siue suspendi ab exercitio officij, si reperti fuerint inhabiles.

Scribere etiam debet notarius manu propria instrumenta, & habere prothocollum eorum quæ scribit. argum. tex. cap. cum P. iun. glos. fin. de fide instrum. Et debet nomina præsentium testium qui actum intellexerunt adnotare in instrumento, scribendo enim præsentes qui actum non intellexerunt, induceretur nullitas instrumenti, ob testiū defectū, cum præsentes dici non possint qui rem ad quā tanquam præsentes adhibentur ignorant. Ioan. Andr. in cap. pastoralis. de off. deleg. Circa iudicialia tamen crederetur ipsius scripturæ, etiamsi in ea non adhiberentur testes, gl. in cap. quoniam, citat. de probat.

Vniuersa acta iudicij scribere debet, cap. quoniam, cit. nisi tamē causa parua sit, Abb. ibid. in talibus enim non requiritur scriptura,

sed

sed sufficit simplex informatio iudicis, cum in causis breuioribus sine scripturis iudex cognoscere possit. Dec. loco. citat. in capit. quoniam, num. 7.

Acta iudicialia edere non debet sine iudicis mandato. Ve str. lib 7. cap. 1. num. 20. in annot. ad quod allegat Bald. in l. is apud quem C. de eden.

Processum iudicialem appellantibus ad minus intra mẽsem postquam fuerit monitus edere tenetur, alioquin si fuerit in mora suspẽdi deberet ab Ordinario, & ad dupli pœnam quanti ea lis fuerit condemnari, Quinimo & ipse Iudex si causam moræ dederit ad eandẽ dupli pœnam tenetur. Conc. Trid. cit. sess. 24. de ref. c. 20.

De persona Actoris.

SVMMARIVM.

13 *Agere qui iure prohibentur.*
14 *Suorum nomine qui veniant.*
15 *Actor debet esse paratus.*
16 *Actor tenetur edere reo sua instrumenta.*
17 *Procurator esse potest qui iure non prohibetur.*
18 *Procuratoris confessio quando praeiudicat principali.*
19 *Procurator sine mandato non admittitur.*
20 *Mandatum procuratorium quomodo probetur.*
21 *Procurator iurare debet in animam propriam.*
22 *Procuratoris potestas quando finiatur.*

Agere potest in foro Ecclesiastico quicunque iure non prohibetur siue fuerit ex Diæcesi siue non, dummodo reus ad illud forum pertineat, actor enim forum rei sequitur, c. si clericus, de foro. cõp. l. iuris ordinem, l. in criminali. C. de iur isdict. omn. Iud.

Prohibentur autem iure agere. Primo excommunicatus, cap. intelleximus. de iudicijs, ita vt neque contra alium excommunicatum
13 agere possit. Dec. eo. cap. intelleximus, nume. 18. Prohibetur etiam agere collegium vel capitulũ sine assensu sui Prælati, & monachus sine permissione Abbatis siue superioris sui. cap. causam, ibid. Item & minorennis sine tutoris auctoritate; l. cum & minores. C. si aduersus rem iudicatam.

Item & filius familias contra patrem, & seruus contra Dominũ,

l.lis nulla.ff.de Iudicijs.Ad extremum ciuiliter nemo agere potest, nisi qui fuit principaliter læsus, vel qui læsum habet in potestate, vt pater pro filio, Dominus pro iniuria serui, maritus pro vxore. Maran.par.6.de inquis.num.60.

In criminalibus autem vltra prædicta, prohibetur agere mulier cap.prohibentur, 2.quæst.1.casu vero quo agere permitteretur, nõ teneretur inscribere se ad pœnam talionis, l.mulier.ff.ad Senat.Turpil.Similiter in criminalibus prohibentur agere pupilli, & minorennes, cap.prohibentur, cit.item & laicus clericum pro crimine accusare prohibetur, cap.nullus, & seq.2.quæst.7.sicut nec clericus accusat laicum ad pœnam sanguinis, cap.sicut.ibid. Criminosi præterea ab accusatione arcentur.c.qui sine.3.quæst. 7. Item & suspectus de calũnia.vt qui semel falsum testimoniũ dixerit, vel qui suspectus videretur de corruptione propter paupertatem, cap.prohibentur, cit.si tamen sua vel suorum iniuria prosequenda sit etiam prædicti omnes agere possunt. Suorum autem nomine quinam veniãt, refert Abb.in cap.de cætero.de testibus.Maran.vero loco cit.num.62.in-
14 nixus authoritati text. l. Lex Cornelia.ff.de iniurijs, numerat suos ad sextum gradum, magis tamẽ placet Host.dictum.in Sum. de procur.num.13.vbi ad quartum gradum affines in iudicio sine mandato procuratorio admitti posse docet, eosque coniunctorum nomine intelligi. Vel potius cum hæc quæstio sit controuersa apud Doctores vt testatur Felin.in cap.cum dilectus, de accus.num.7. attendi debet in talibus vsus cuiusque regionis computandi gradus suorum, vt etiam annuit Abb.in c.cum oportet de accus.

Possunt etiam prædicti agere pro iniuria contra Religionem seu patriam facta, hęc enim propria quoque censetur, & quilibet tanquam propriam prosequi potest, Maran.lo.cit.nu.63.

Item & si agatur per modum denunciationis, vt in inquisitione generali, vbi non agitur ad pœnam ordinariam, sed tantum ad correctionem.cap.quoniam, iun.gl.ver.mulieres de testib. Tunc enim denuncians non agit in iudicio partem accusatoris, neque se inscribit ad pœnam talionis, Host.in sum.de denunt.nu.1.

Actor criminaliter agens, tenetur se inscribere ad pœnam talionis, cap.super his, de accusat.iun.glo.ver.oportet, vbi enumerantur casus in quibus necessaria est inscriptio. Hodie tamen hæc inscriptio non practicatur, nec est in vsu, sed iudex calumniosè accusantẽ, pœna arbitraria punire solet, vt testatur, Couar.var.resol.lib.2.cap.9.num.1.

Actor præterea tenetur sumptibus proprijs dare copiam primi libelli

libelli reo. Maran. cit. de act. edit. num. 55.

Venire debet paratus actor, cap. fin. de dolo, & contuma. & l. si quando, C. de dilation. Neque reus tenetur ipsi edere instrumenta
15 vel rationes quibus probet intentionem suam, cap. 1. de probat. nisi agat fiscus, tunc enim reus teneretur edere instrumenta, l. nec quisquam, ff. de eden. si nimirum fiscus agat ciuiliter, nam si agat criminaliter, vel ad mulctam pecuniariam, edere non teneretur ipsi reus instrumenta, Bart. & communiter Doct. in l. 2. C. de eden.

Teneretur etiam reus edere instrumenta si ageret Ecclesia, hæc enim æquiparatur fisco, Abb. in cap. 1. de probat. cit. & communiter Doct. arg. l. fin. C. de Sacros. Eccles. Idem censendum, & in casibus in quibus publica vtilitas versatur, vt probat Dec. loc. cit. vbi plures limitationes cum suis circumscriptionibus collegit.

E contra vero actor tenetur reo edere suas rationes, & instrumē-
16 ta. Villalob. com. opin. sub. lit. e. num. 15.

In persona actoris siue rei interuenit etiã in iudicio procurator, quem quilibet, qui lege expressè nõ prohibetur constituere potest,
17 tam in ciuilibus quam in criminalibus, nisi quod reus criminaliter si non fuerit carceratus per procuratorem se defendere non posset, præterquam absentiam excusare, Maran. cit. par. 4. distinctione, iudic. 1. num. 42.

Nemo tamen per procuratorem cogitur litigare nisi ipse velit, vnde si fuerit quis legittimè impeditus sufficit quod mittat nunciũ qui excuset absentiam, cap. querelam. de procur. si tamen longum esset impedimentum, vel negotium esset leuis momenti, posset cogi per iudicem ad constituendum procuratorem si ipse adesse non posset, Host. in sum. de procur. nu. 10.

Potest autem institui procurator siue vnus, siue plures, cap. si duo tit. eo. in 6. & si plures fuerint vnus sine alio litem prosequi non potest, ib. in causis tamen beneficialibus vsu receptum est in Curia, vt valeat processus cum vno, licet fuerint dati plures, de qua praxi testatur. Vestr. lib. 4. cap. 5. num. 18. si vero fuerint constituti plures in solidũ, præoccupans causam promouere debet, alius vero non nisi in casu quo prior prosequi nollet, vel occupatus esset, vt post tex. cit. in 6. notat Dec. in c. in nomine Domini, de testib. num. 38.

Procurator in omnibus repræsentat personam principalis sui, vn-
18 de & acta per ipsum afficiunt principalem, cap. 1. de procur. & confessio ipsius, Domino præiudicat, Felyn. in cap. si cautio, de fide instrum. num. 88. nisi tamen excedat fines mandati, vel nisi Dominus statim contradicat, glo. in ver. protinus, in cap. cum olim, de electi.

Et quomodo per Dominum contradici possit seu reuocari cōfessio siue propria siue procuratoris etiam per ipsummet procuratorem, consuli potest, Vestr.cit.lib.5.cap.16.

Omnia quoque, quæ contra principalem obijci possunt, contra procuratorem opponi possunt, vt quod principalis ipsius sit excommunicatus nec agere possit, & similia, Hostien.loc.cit.num.15.ver. possunt tamen.

Opponi potest & contra personam ipsius procuratoris, vt quod ipse sit excommunicatus, c.post cessionem, de proba.& alia propter quæ locum in iudicio standi non haberet, vt si esset infamis, cap.1. 3.quæst.7. si sit impos mentis, furiosus, l.2.§.furiosus, ff.de procur. Regulariter autem quilibet constitui potest procurator, nisi certa lege prohibeatur, Host. loc.cit.numero.8. Et si prohiberetur lege esse procurator, adhuc processus cum ipso factus esset validus, nisi exciperetur ante prolationem sententiæ contra ipsum. vt probat Eclyn. in c. post cessionem, cit.num.22. solum excommunicationis impedimentū excipiendo, quod tamen æquè cum alijs impedimentis trāsire, nec vitiari processum factum cum excommunicato seu procuratore excommunicati, nisi fuerit opposita exceptio huiusmodi excommunicationis ante sententiam, probat multis Dec.eod.lo.à num.17.sequutus Innoc.ib.

19 Debet autem procurator habere mandatum sufficiens, & hoc est cum datur ad agendum, & defendendum. ad agendum enim tantū datum non sufficeret, cap.constitutis, de procurat. Et quidem si voluerit sustinere partem actoris, nullo modo sine mandato est admittendus, nisi fuerit persona coniuncta, & caueat de rato, cap.nonnulli, de rescript.& coniunctorum nomine veniunt affines ad quartum gradum, vt supra diximus ex Host. si autem pro reo esset comparendum, procurator sine mandato, vel saltem, vt defensor admitti debet facta solum cautione de iudicato soluendo in casibus in quibus per ipsum solui posset. Et ratio pro hoc casu militat, quia nimirū publicè interest absentes per quemcunque defendi, l.seruum quoque, §.publicè, ff.de procur. Host.lo.cit.

20 Mandatum probatur scriptura authentica, de qua Dec.loc.cit.à num.6. Probatur & per testes Bald.decis.190. Villalob.commun.opin.litt.P.num.331. Probatur item & per litteras priuatas, si probetur manu constituentis esse scriptas per testes, qui deponant se fuisse præsentes ipsi scriptioni, non enim sufficeret si dicant testes se scire manum esse constituentis ex comparatione litterarum, quod notabile Bart. refert Dec.lo.cit.

A die

A die autem recepti mandati, & non ante siue à vera notitia potestas acquiritur procuratori, vt notat glo. ver. receptis, in Clem. 1. de procur. ante receptionem autem seu notitiam mandati, acta per ipsum non tenent, vt notat Alexand. in l. licet, C. de procur. num. 1. Felin. in cap. sciscitatus, de rescript. num. 15. Vestr. in annotat. loc. cit. num. 26.

21 Tenetur procurator iurare de calumnia in animam propriam, & non tantum in animam principalis, Vestr. lo. cit. nu. 17.

Non debet reuelare secreta siue instrumenta partis suæ, parti aduersæ, alioquin puniri posset tanquam præuaricator, L. 1. §. is qui, ff. ad leg. Cornel. de falsis, & l. 1. ff. de præuaric.

Cauillis vti potest, & aduersarium decipere, dummodo faciat sine mendacio, & foueat iustam causam. Couar. variar. resolut. lib. 1. cap. 2.

Non potest pacisci cum suo principali de quota litis parte sibi danda si vincat, puta tertia, quarta, dimidia, l. litem, C. de procurat. alias enim daretur ipsi occasio vincendi per fas, vel nefas, pacisci tamen potest de certo salario siue sportula si litem obtinuerit, Nau. in Man. cap. 25. num. 30.

Non potest item detinere scripturas principalis in pignus salarij sui, sicut neque iudex, nisi pro expensis circa actus iudiciales factis
22 Boer. decis. 15. à num. 1. Vestr. cit. lib. 3. cap. 4. nu. 8. in annot.
Finitur ipsius potestas morte mandantis, Hostiē. vbi sup. num. 15. & ista reuocatio operatur licet non fuerit intimata, Imol. in clem. 1. de renunc. Finitur & reuocatione, quam principalis semper facere potest etiamsi iurauerit de non reuocando, isti enim facultati renunciari non potest, sicut neque beneficio restitutionis in integrum, gl. in cap. fin. de procur. in 6. Felyn. in cap. si diligenti, num. 32. de foro compet. Postquam tamen litem contestatus fuerit non nisi ex causa reuocari debet, c. 2. de procur. in 6. cit.

Reuocatio autem iudicialis procuratoris intimari debet iudici siue parti, alioquin non obesset parti aduersæ, & gesta per reuocatū hoc modo procuratorem, tenerent si vergant in præiudicium ipsius principalis, si autem respicerent commodum ipsius non valerent, nec ratificari possent per ipsummet principalem in præiudicium partis. Host. lo. cit. de procur. Fely. in cap. ex parte Decani, num. 25. de rescrip. vbi de reuocatione procuratoris iudicialis plura congerit conciliando, cap. vlt. de procur. in 6. cum Clem. 1. de renunc.

De

De persona Rei.

SVMMARIVM.

23 *Forum sortitur quis ex quatuor causis.*
24 *Clerici exempti sunt à iurisdictione laicali.*
25 *Clerici quando possint trahi ad iudicium laicorum.*
26 *Forum ratione domicilij sortitum, est præcipuum.*
27 *Laici quando possint trahi ad iudicem Ecclesiasticum.*

23 QVatuor modos quibus sortitur quis forum alicuius iudicis, enumerat, tex. cap. vlt. de for. comp. videlicet ratione delicti, contractus, rei & domicilij, idem in l. qua in prouincia, C. vbi de crimin. & in cap. 1. de foro comp. in 6. vbi glo. ver. contrahentes, explicat forum ratione contractus.

Vltra autem hos modos, attenditur etiam in sortitione fori status, & conditio personarum, vt nimirum miles coram magistro militum conueniatur, & similia, l. per iniquũ, C. de iurisdict. omnium iud. Hinc & clericus coram iudice laico conueniri non potest, cap. si diligenter, de foro compet. ne quidem in crimine læsæ Maiestatis, vt probat Thom. Gramm. cons. 1. num. 30. & in facto iudicatum fuisse in Curia Neapolitana testatur Genuen. in sua prax. cap. 90.

Et ne quidem depositus clericus iudicari debet ab alio quam ab Episcopo seu iudice Ecclesiastico, Dec. in cap. cum non ab homine, de iudic. in 6. si nimirum fuerit depositus, sine traditione Curiæ sæculari, hæc enim traditio non in omni depositione fit, vt clarè constat ex tex. cap. atsi clerici, de iudic. in fine. Host. in sum. de hæretic. num. 10.

Neque posset iudicari clericus à laico etiam de consensu sui Episcopi, cap. quanto, cap. decernimus, loc. cit. de iudic. glo. singularis, in cap. significasti, ver. clerici, de foro comp. Gramma. cit. decis. 29. num. 11. vbi notat, quod neque Papa possit facere, vt clerici conueniantur coram iudice sæculari, si nimirum mandaret hoc fieri generaliter, nam alioquin causam singularis alicuius clerici siue ciuilem siue criminalem in facto occurrentẽ committere potest laico, cap. Mẽnam, 2. quæst. 4. iun. gl. ver. arbitrio, & probat. glo. in c. decernimus, cit. ver. non præsumant.

Neque ipsemet clericus potest se subijcere iurisdictioni laicali, c. atsi clerici, de iudic. cit. & si de facto se subijceret, iudicium esset nullum,

nullum,& clericus ipse esset districtè puniendus,Gramm.cit.lo.nume.7.quinimo iudex Ecclesiasticus tunc posset repetere clericum à iudice laico,etiamsi ipse clericus confessus fuerit se esse laicum,dũmodo constet in contrarium,Couar.pract.quæst.c.33.num.2.vltra quod iudex ipse laicus iudicans huiusmodi clericum incurrit pœnas bullæ Mart. V. & plerunque casus huiusmodi includitur bulla. Cœnæ Domini tenor autem dictæ constitutionis, Mart.V. est huiusmodi.

Ad reprimendas, & infra. Nos igitur aduersus talia præsumentium temeritatem remedia apponere,& super his salubriter prouidere cupientes,ac Concil. mileuitani,ac fe.rec.Innoc.pp.III. prædecessoris nostri constitutionib.super hoc editis inhærẽtes auctoritate Apost.ex certa sciẽtia, hac nostra irrefragabili cõstitutione perpetuo duratura tenore p̃sentiũ statuimus,decernimus, ac ẽt ordinamus, quod omnes, & singulæ personæ Ecclesiasticæ sæculares. & regulares ordinum quorumlibet quacunque exemptione suffultæ etiamsi Patriarchali, Archiepiscopali, Episcopali, Abbatiali,vel alia quauis præfulgeant dignitate,quę aliquam personam Ecclesiasticam,collegium,vel conuentum,in actione reali,mixta,vel personali,ciuili,vel criminali etiam occasione cuiuscunque submissionis,etiã iuramento vallatæ, vel alias ad forum siue iudicium laicale, directè vel indirectè(de qua in foro Ecclesiastico ordinari consueuerit,possit,vel debeat,de iure,vel consuetudine aut alias cognosci) trahere præsumpserit, causam ipsam,& omne ius ei siue eis,ĩ possessorio,vel petitorio,in re,vel ad rem,causa,vel occasione huiusmodi quomodolibet competens, eo ipso perdãt penitus,& amittant, & singulares personæ excommunicationis, capitula vero & conuentus suspensionis,& interdicti sententias incurrant ipso facto, & si personæ ipsæ, & eis in præmissis adhærentes & seruientes,in aliquo rebelles fuerint,& in continenti non obedierint,omnes, illas,per priuationem suorum beneficiorum Ecclesiasticorum quorumcunque,quæ obtinebant, & in quibus, & aliqua eis ius quomodolibet competit,& inhabilitationem ad alia in posterum obtinenda,coerceri,& cõpelli volumus ante dictas.& nihilominus omnes, & singulos iudices,& executores,communitates,dominia,laicos, & laicales personas,postquã exceptum fuerit de non iurisdictione eorum, aut euidenter appareat huiusmodi cognitionem ad eos de iure non spectare,talia præsumentes,& ea fieri mandantes,seu eorum nomine, & mandato facta rata habentes,vel eis faciendis dantes auxilium,consilium,vel fauorem,cuiuscunque præeminentiæ, dignitatis, gradus, vel conditionis existant, sæculares personas,eorum videlicet singulos quocunque nomine censeantur,& consiliarios,

rios, & priuatas personas, quæ præmissorum principales perpetratores existerent, excommunicationis sententiam incurrere volumus ipso facto: nullusque ab eisdem sententijs per alium, quam per Romanum Pontificē, præterquam in mortis articulo, absolui valeat siue possit, & præmissa omnia non tantum ad futura, sed etiam ad præsentia, & pendentia extendimus auctoritate memorata, quodque etiam procurator fiscalis causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ, contra culpabiles in præmissis, desuper summaria informatione præhabita, per se vel alium, seu alios agere, & procedere possit & valeat, nihilominus concedentes. Non obstante si aliquibus communiter, vel diuisim à sede Apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum, de eorum proprijs nominibus ac indulto huiusmodi mentionem, & quibuslibet constitutionibus priuilegijs indultis, & litteris Apostolicis, de quibus etiam plena, & expressa, ac de verbo ad verbum, in nostris litteris habenda est mentio specialis, cæterisq; contrarijs quibuscunque. Nulli ergo, &c. Dat. Romæ, Kal. Feb. ann. 1429. Pont. nostri, ann. 12.

Vnde neque teneret processus apud iudicem sæcularem contra clericum factus, nec posset reputari clericus contumax, si citatus nō compareat coram huiusmodi iudice etiamsi citetur ad docendum de suo clericatu, dummodo vulgo habeatur pro clerico, non enim potest licitè comparere neque bannum ob contumaciam huiusmodi contra ipsum latum illi præiudicaret, vt probat multis Gramma. cit. vbi supra.

Dantur tamen aliqui casus in quibus regula huiusmodi generalis non procedit, quos latissimè tractat Aufrer. per regulas quatuor. Cum suis limitationibus, in tract. de potest. sæculari in Ecclesiasticos, nos singulariores tantum casus referemus.

Vnde primo ratione feudi, quod possidet à laico clericus, coram Domino ipsius feudi conueniri potest, c. verum, de foro comp. ibique Host. in sum. nu. 13. Felyn. in c. cæterum, nu. 3. de iudic. vbi dicit hanc opinionem esse communem.

25 Item ratione reconuentionis, vt si clericus ageret contra laicum coram iudice laico, & ibidem reconueniretur, teneretur ibidem respondere, vt & è conuerso laicus potest reconueniri coram iudice Ecclesiastico, cap. 2. de mut. petit. Host. ib. in sum. num. 3. §. restat igitur. Felyn. in cap. verum, cit. num. 4. Reconueniri tamen non potest pro causa spirituali, cuius incapax est laicus, neque criminaliter, neque si dolo fecerit se trahi laicus ad iudicem, vt reconuenire possit, huiusmodi

huiusmodi enim dolus ipsi suffragari non debet, Maran.de ord.iudic.4.parte,distinctione 6.num.44.neque demum coram iudice ap pellationis,coram ipso enim reconuentio fieri non potest.Innoc.in cap.1.de mut.petit.

Eiusdem reconuentionis virtute, clericus agens contra laicum apud iudicē sæcularem, si in causa succumbat, ab eodem iudice cō demnari potest in expensis,Felyn.lo.cit.executionem tamen tam in bonis,quam in persona clerici, iudex laicus facere non potest, sed est facienda per iudicem Ecclesiasticum, Abb.in cap.postulasti, de foro comp.Franch.in cap.sæculares,num.6.ib.& est communis Doctorum sententia.

Vlterius subijcitur iudici laico clericus minorum ordinum si nō habeat requisita.Conc.Trid.c.6.sess.23.de ref.

Item & clericus etiam maiorum ordinum incedens sine habitu, & tonsura licitè potest apprehendi per ministros Curiæ sæcularis, sed tamen postea remitti deberet ad iudicem Ecclesiasticum,si allegaret se esse clericum.Boer.decis.33.Er quidem si fuerit notorium ipsum esse clericum,absq; aliqua cognitione debet remitti:sin minus,probare prius debet clericatum,cuius cognitio licet ad iudicē Ecclesiasticum pertineat,cap.si iudex.de senten.excommun.in 6.& notat Couar.loc.supr.cit.c.33.esse opinionem communem, in pluribus tamen locis practicatur,quod hoc casu iudex laicus antequā remittat clericum detentum,informat se prius de asserto clericatu. Zer.in sua prax.verb.clericus,ad 3.

Clericus item apostata qui pro laico se gerit,& habetur, vel militiam seu alia negotia sæcularia exercet,per Ecclesiam non defenditur,cap.1.de Apostat.Leo autem X.rescripsit Galliarum Regi,vt tales apostatæ postquam fuerint deprehensi per quatuor menses in cedere sine habitu clericali,possint capi à curia sæculari ; quod rescriptum.incipit.Romanum decet Pont.de an. 1516.Kalen.Octob. Pont.ann.4.refert.Cassan.in lib.constitution.Burgun.titu.de iustit. numero.51.

Præterea si clericus deprehendatur in crimine vel rixa,licitè potest capi,& detineri per curiam sæcularem,dūmodo sine mora tradatur iudici Ecclesiastico.Dec.in cap.cum non ab homine. cit. nu. 10.Viuius.Cōm. opin.verb.iudex.laicus. vbi dicit esse opinionem communem.

Item si clericus assumat administrationem,officium,seu seruitiū apud dominum sæcularem,si tertio monitus non desistit ab exercitio officij,puniri potest à domino sæculari ratione præuaricationis

in ipso officio,cap.sacerdotibus,ne cler.vel mon.ibique Innoc.Aufret.loc.cit.Reg.1.fall.17.vbi probat trinam huiusmodi monitionem,debere esse specialem,non autem generalem contra quoscunque,neque sufficere vnam pro tribus,sicut neque in alijs omnib. casibus,in quibus ius expresse disponit præmittendam trinam monitionem.

Ad extremum clericus degradatus, & traditus curiæ sæculari, subest iudici laico.Abb.in capitu.nouimus,de verb. signific. & in. cit.cap.cum non ab homine,ibique Dec.vbi differentiam assignat, inter depositum,& degradatum,quia nimirum non eodem modo traduntur curiæ sęculari.

Et quemadmodum de persona Ecclesiastica iudex laicus non cognoscit præter casus expressos,ita neque de causis spiritualibus.c. Ecclesiæ sanctæ.M.de constitut.nisi forte incidenter, & cum quæstio incidit super facto vt si agatur,an fuerit contractum matrimonium inter aliquos.Afflict.in decis.Reg.decis.2.num.5. vel si compellat aliquos ad seruandum matrimonium,quod constet ritè fuisse contractum.cap.non est,de sponsal. Vel si agatur iudicio possessorio,vt de possessione decimæ,beneficij,possessio enim est quid tēporale.Couar.loc.sup.cit.cap.35.num.1.

Ex præcedentibus itaque constat,directè ac propriè clericū subesse Iudici Ecclesiastico,ac ꝓpterea reus in iudicio Episcopali merito censebitur clericus,ita quod non possit declinare iurisdictionem sui ordinarij vt testatur Host.vbi sup.de foro comp. nume.14. si nimirum siue ratione delicti,siue ratione cōtractus,domicilij vel rei de qua agitur,ipsi sit subiectus.

Ratione delicti,vbi enim quis deliquit,ibidem est puniendus. c. placuit.6.q.3.c.1.de raptor.

Ratione contractus,prout contractus sumitur pro omni obligatione,si nimirum solutio non destinatur alibi.Felin.in c.vlt.loc.cit. de foro comp.num,19.

Ratione rei vbi nimirum illa sita est,siue mobilis,siue immobilis. Host.vbi sup.nu.5.

Ratione domicilij,quod quomodo constituatur, diximus alias.

26 Et ratione istius sortitum forum,est pręcipuum,& Ordinarium,cōcurritque cum alijs omnibus,ita quod iudex domicilij,etiam ratione delicti alibi commissi, vel contractus alibi initi, siue rei alibi possessæ iudicare possit, & citare reum etiam extra territorium suum existentem,& etiam excommunicare alibi degentem taliter subditum pro delicto in territorio suo commisso, vel quod sumpserit ini-

rit initium in suo territorio, vt potest excõmunicare non residentẽ in suo beneficio. Conc. Trid. sess. 23. cap. 1. de ref. quod tamen iudicibus ex reliquis tribus capitibus iurisdictionem habentibus, nõ est concessum, vt latè Felin. vbi sup. num. 11. 23. & 24. Teneretur tamẽ iudex domicilij, delinquentem, si ipsum nondum ipse castigauerit, præmissa summaria cognitione super veritate inculpati delicti, requisitus remittere ad iudicẽ loci delicti in criminib. grauiorib. gl. in clem. pastoralis, verb. de more. de sent. & re iud. Couar. vbi sup. c. 2. à num. 4. quinimo etiam non expectata requisitione ex vrbanitate remittunt aliqui. Similiter, & in casu quo quis iuramento firmauerit se certo loco soluturum, eodem remitti debet. Couar. vbi supra. cap. 10.

Laici etiam, licet proprium habeant forum coram iudice laico. cap. licet. c. ex tenore. loc. cit. de foro comp. in certis tamen casibus dici possunt subesse iudici Ecclesiastico, quos casus enumerat. gl.
27 in c. cum sit generale, verb. malefactores, & alia, gl. in cap. licet. ver. vacante, & item alia. in cap. ex tenore, verb. in iustitia. loc. cit. de foro comp. & comprehenduntur his versibus.

Hæreticus, Simon, fænus, periurus, adulter,
Pax, priuilegium, violentus, sacrilegusque,
Si vacat imperium, si negligit, ambigit an sit,
Suspectus iudex, si subdita terra, vel vsus,
Rusticus, & seruus, peregrinus, feuda viator,
Si quis pæniteat, miser aut sit, causaque mixta,
Si denunciat Ecclesiæ, quis iudicat? ipsa.

Mixti autem fori sunt, vsura, concubinatus, adulterium, sacrilegiũ, sortilegiũ, Sodomia. Clarus, in pract. cri. q. 37. Aufrerius, aũt in suo tractatu de iurisdictione Ecclesiastica in sęculares, colligit 149. casus, in quibus laici corrigi possunt per iudicem Ecclesiasticum, quem consule: nobis sufficiat meminisse illius regulæ generalis, qđ videlicet in omni delicto iure Pontificio inducto extendatur iurisdictio Ecclesiastica in laicos, cap. 1. de off. ord. iu. gl. verb. secundũ, & testatur Aufrer. loc. cit. num. 1. in princip. Similiter, & in omni casu nutritiuo peccati, vel saltem quoad salutarem pœnitentiam iniungendam, cap. nouit. de Iudic. Abb. ibid. Aliquæ etiam causæ Ecclesiasticæ in specie, quæ magis praxi quotidiana teruntur, necessario nobis sunt examinandæ. Vnde primo matrimoniales videamus.

De Matrimonijs.

SVMMARIVM.

28 Matrimoniales itaque causæ sunt fori spiritualis, cap. tuam, de ord. cogn. cap. causam, qui filij sint legit. Et de his diuersis occasionibus aliqua supra retulimus, nunc videndum esset de impedimentis matrimonij, quæ duodecim impedientia contrahendum, & dirimentia contractum numerantur istis versibus.

Error conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Si sis affinis, si forte coire nequibis.

Quæ quia à summistis satis superque examina reperiuntur, vt à Syl. Ang. Arm. verb. matrimonium. Host. in Sum. de spons. & matr. Nauar. in Man. cap. 22. à num. 30. Henriq. de matrim. lectore ad eosdem auctores remisso, circa ea solum quę per Concil. Trid. sess. 24. de ref. matr. circa contractum matrimonij ordinata sunt, aliqua referemus.

29 Et primo circa prohibitionem omissionis bannorum aduertendum est quod illorum omissio non reddit matrimonium nullum, sed clandestinum tantum, ita quod validum sit matrimonium illis ommissis, alijs tamen requisitis seruatis contractũ, licet puniri possint sic contrahentes. Nau. loc. cit. Quinimo remitti possunt per Episcopum non solum ex causa cum matrimonium malitiosè impediri posset. in Conc. loc. cit. cap. 1. expressa, sed etiam ex alijs iustis causis arbitrio ipsius Episcopi, vt si adsit vicinitas temporis quo nu

ptiæ

ptiæ prohibentur: si contrahendum sit cum persona quæ habet parentes vel tutores iniquos de quibus verisimiliter dubitaretur ne
30 eam tradant ignobili: Si constitutus in articulo mortis, velit cōtrahere cum concubina vt legittimetur proles ex ea antea suscepta: Si ad. Sit inæqualitas inter contrahētes vt quod diues ducat pauperē nobilis ignobilem, senex iuuenem. Nau. loc. cit. Henriq. de matr. c. 5. istis tamen casibus, & similibus quibus concedenda videretur denūciationū omissio, securius esset prius examinare ad minus duos, testes qui deponant se scire inter contrahentes nullum adesse impedimentum, vt notat Genuen. in prax. c. 26. nu. 4.

Illa autem requisita ab eodem. Conc. loc. cit. præscripta vt videlicet coram proprio contrahentium parocho, & duorum vel trium testium præsentia contrahatur, ommissa, reddūt matrimonium nō solum clandestinum sed etiam nullum, ita quod sic contractum matrimonium non debet per Episcopum amplius annullari cum ipso iure sit annullatum, sed tantum debet declarari esse nullum, vt declarauit Sac. Cong. Concilij in hæc verba.

An si contractum sit matrimonium præsente Sacerdote alieno absq; Parochi vel ordinarij licentia, debeat ordinarius illud irritare vel irritū declarare.

Cong. censuit debere irritum declarare non irritare, quia cum Concilium irritum fecerit, non est vlterius irritandum, sed opus esse sola declaratione quod irritum sit.

Sic etiam contrahentes adeo nulliter cōtrahunt, vt possint si velint ab inuicem separari etiam non expectata iudicis auctoritate. Nau. de cland. despons. cons. 3. num. 2. & consil. 5. nu. 1.

31 Nec ratificatur sic nulliter contractum matrimonium etiāsi subsequuta fuerit carnalis copula, huiusmodi enim ratificatio matrimonij sequuta copula, cessat post Conc. Trid. vt docet idem Nau. de spons. cons. 18. num. 3.

Et in tantum quidem est nullum matrimonium contra prędictā Conc. dispositionem contractum vt ne quidem in sponsalia de futuro dissoluatur, id. Nau. consil. 3. cit. de cland. despons. num. 3. Si tamen contrahatur inter impuberes, seu vnum puberem alium impuberem, resolueretur in sponsalia de futuro. iuxta tex. in c. 1. de desp. impub. in 6. Couar. de spons. p. 1. c. 3.

Sic itaque nulliter contrahentes si velint roborare contractum, debent contrahere de nouo seruatis prædictis requisitis, & hoc ser-

uatur

uatur]in alijs quoque defectibus propter quos matrimoniũ à principio fuit nullum,ita quod sublato defectu seu impedimẽto,debeat matrimonium contrahi de nouo præstito consensu,vt tradunt summistæ supra cit.super impedimento erroris,violentiæ,& docet Nauarr.loc.cit.de sponſ.consil.12.num.3.& consil.14.nume. 1. Vnde & stylus.Curiæ seruat vt in concedendis dispensationibus super matrimonio stante impedimento impediente,& dirimente contracto, addatur semper clausula (de nouo præstito consensu.) vt testatur id.Nau.consil.14.cit.& Genuen.in prax.cap.25.num.9. Vbi tamen impedimentum esset occultum,possent sponsi priuatim tantum sibi præstare consensum absque Parochi vel testium præsentia,quod sufficere declarauit Pius.V.vt refert Nau.loc.sup.citat. in Manual. numer.70.

Impedimentum autem superueniens post contractum matrimonium hic non intrat,cum illud non impediat matrimonium,cap.discretionem,de eo qui cogn.consang.vx.& cap.vnic. de sponſ. in 6. nisi fuerint sponsalia de futuro,hæc enim.Soluuntur subsequẽte impedimento,c.super eo.de consang.& aff.

32 Proprius autem Parochus quem Concilium requirit est parochus seu sacerdos[cui principaliter incumbit cura animarum loci domicilij siue viri siue mulieris, sufficit enim quod sit alterius cuiusuis ex sponsis,in quacunque Parochia contrahatur. Nau. loc.cit. de cland.desponſ.conſ.3.num.1.& ita declaratum fuisse à sac. Congreg.Conc.testatur,ib.conſ.4.num.1.

Proprij Parochi nomine venit etiam quilibet sacerdos deputatus ab ipso parocho, & satisfit Concilio si contrahatur coram illa, etiamsi generaliter tantum ipsi fuerit commissum exercitium sacramentorum,& etiamsi verbaliter tãtum ipsi fuisset demandatum.Nauar.lo.cit.conſ.12.& conſ.13.num.2.

Si autem parochus non fuerit actu præsbyter, licet de iure validum sit matrimonium ipso præsente contractum,conuenientius tamen esse vt deleget præsbytero alicui, qui loco ipsius intersit respondit sac.Cong.Conc.referente.Nau.lo.cit. conſ.9. & consil.10. num.1.

Sufficit autem si parochus adsit contractui siue inuitatus siue casu,vt si forte adesset conuiuij aut confabulationis causa,dummodo ad ipsum actum contractus,verè,& formaliter adhibeatur. Nau.lo. cit.conſ.11.nu.1.quod etiam declarasse sac.Cong.Concilij refert, Gonz.glo.48.num.35.

33 Similiter validum erit matrimonium præsente parocho contractum,

ctum, licet ipſe parochus præſens non det benedictionem contrahentibus, benedictio enim nec auget nec minuit validitatem contractus matrimonij, Nauar.cit. de ſponſ.conſ.15.num.2. ſiquidem parochus circa contractum matrimonij adhibetur tantum pro teſte magnæ auctoritatis, neque ipſius voluntas aut conſenſus requiritur, ſicuti neque aliorum teſtium. Ledeſma. de matrim.quæſt.45.ar.5. Genuen.lo.cit.c.61.num.5.

Aduertendum præterea quod prædictæ ſolemnitates, cap.1. de ref.matr.cit. non requiruntur in ſponſalibus de futuro, & valent ſpõſalia de futuro ipſis non ſeruatis celebrata. Nauar.loc.cit.conſil.5.num.3.

Circa eadem ſponſalia de futuro, ſciendum eſt præterea, per illa induci publicam honeſtatem licet ſoluantur impedimento ſubſequenti, dummodo ab initio fuerint valida, & hanc publicam honeſtatem afficere tantum in primo gradu, cum tamen antea ſoleret durare vſque ad quartum gradum, in quo correctum fuit ius antiquũ decreto Conc.Trid.lo.cit.cap.3. Si autem ſponſalia à principio fuerint inualida ex aliqua cauſa, nullum inducent impedimentum publicæ honeſtatis, vnde, & illa quæ ſub conditione contrahuntur, nõ cauſabunt hoc impedimentnm niſi purificata conditione. Nau.cit. de condit.appoſ.conſ.1.num.4.

Sponſalia autem de præſenti inducunt impedimentum publicæ
34 honeſtatis vſque ad quartum gradum, hæc enim non continentur in reductione huius impedimenti ad primum gradum, facta in ca.3.cit.ſeſſ.24. de ref. matr. ſed remanent in terminis iuris communis, vt declarauit Pius V. conſtitutione ſua, quæ ſequitur.

Pius Epiſcopus, &c.

Ad Romanũ ſpectat Pontificẽ ſua ſollicitudine diligenter prouidere, vt ſacrorum Conciliorum decreta, ita ſuæ declarationis adminiculo dilueidentur, quod nulla deſuper dubitandi occaſio cuiquam relinquatur. Sane ad aures noſtras peruenit multos eſſe, qui dubitent an decretũ Oecumenici Cõcilij Trid.ſeſſ.24. de reformatione matrimonij capitulo tertio, quo cauetur impedimentum publicæ honeſtatis vbi ſponſalia valida non fuerint, prorſus tolli, vbi vero valida fuerint, non excedere primum gradum, cum in vlterioribus gradibus, non poſſit huiuſmodi prohibitio ſeruari, de ſponſalibus per verba vt aiunt de futuro tantum conceptis intelligatur, vel etiam matrimonia per verba de præſenti contracta, non tamẽ conſummata, quæ interdum ſponſalia appellantur, comprehendant, ita vt etiam

etiam eo casu impedimentum inde prouenienš sublatum fuerit.

Nos itaque vt omnis difficultas dubitatioque tollatur, attendentes, quod spōsaliorum appellatione qua dictū Concilium vtitur, nō nisi impropriè matrimonium verbis de præsenti conceptis contractum continetur, quodque agitur de correctione iuris veteris, quo casu secundum proprietatem verborum duntaxat procedendum est, præsertim cum longe maiorem rationem prohibitionis in matrimonio per verba de præsenti contracto, quam in sponsalibus de futuro vigere à nemine dubitetur. Idcirco motu proprio auctoritate Apostolica tenore præsentium declaramus, & definimus, decretum Concilij huiusmodi omnino intelligendum esse, & procedere in sponsalibus de futuro duntaxat, non autem in matrimonio sic, vt præfertur contracto, sed in eo durare adhuc impedimentum in omnibus illis casibus, & gradibus, quibus de iure veteri ante prædictum decretum Concilij introductum erat, & ita ab omnibus iudicari debere mandamus atque statuimus. Non obstantibus, &c. Dat. Romæ, an. Incarnat. 1568. Kal. Iul.

Vnde etiam hæc sponsalia de præsenti cum remaneant in terminis iuris antiqui, inducent impedimentum publicę honestatis licet fuerint nulla à principio ex aliqua causa, iure enim antiquo inducunt, vt patet ex text. cit. cap. vn. de sponſ. in 6. Nisi fuerint nulla ex defectu cōsensus, vel cōditionis appositæ, vt tex. cit. & Ioan. And. ib. Arm. ver. matrimonium, num. 46. Affinitatem tamen non inducunt hæc sponsalia cum affinitas non oriatur sine copula carnali. Host. in sum. de affinit. num. 9. circa fin. Nauar. loc. cit. de sponſ. consil. 11. numero. 1.

35 Vlterius sciendum, in computatione graduum affinitatis siue cōsanguinitatis, esse attendendum remotiorem gradum, cap. vlt. de consang. & affin. dummodo vnus eorum non sit in primo gradu, talis enim etiam cum multum remoto nunquam contrahere potest.
Et de computatione graduum huiusmodi, & remotiori exprimendo emanauit constitutio Pij V. publicata sub die 20. August. Anno 1566. tenoris sequentis.

Sanctissimus in Christo Pater, & D. N. D. Pius Diuina prouidentia Papa V. attendens per quandam constitutionem dudum per fel. rec. Pium Papa IV. sanctitatis suę prædecessorem editam, qua cauetur quod in dispēsationibus, matrimonialibus pro diuersis consanguinitatis seu affinitatis ex eodem stipite prouenientibus gradibus coniunctis, non remotioris solū prout olim fieri solebat, sed etiam propinquioris graduum expressa mētio fieri

fieri debeat, alioquin dispensationes, ac desuper confectæ litteræ nullius sint roboris, vel momenti, prout in dicta constitutione plenius continetur, à dispositione iuris communis, & laudabili ac antiquo Rom. Cur. Stylo nimium recedi, ac fauorem matrimonij debitum restringi. Volensq; propterea iuri, & Stylo prædictis necnon piæ mem. Greg. XI. & Clem. VI. Rom. Pont. etiam sanctitatis suæ prædecessorum vestigijs inhærendo, sacramento, & libertati matrimonij, quantum cum Deo potest fauere, Statuit, & ordinauit, quod de cætero in quibuscunque dispensationibus quas pro matrimonijs contractis aut contrahendis inter viros, & mulieres inuicem diuersis probibitis consanguinitatis seu affinitatis aut mixtis ex cõmuni, seu ab eodem stipite surgenttib. quicumque illi sint, dummodo primum quoquomodo non attingant, cum in eo sanctitas sua nunquam dispensare intendat, gradibus coniunctos, ab eadem sanctitate sua & pro tẽpore existente Rom. Pont. aut sede Apostol. impetrari, vel alias concedi contigerit ac litteris commissionibusque desuper etiam locorum ordinarijs faciendis, gradus remotior attendatur, trahatque secum propinquiorem, ac ob id sufficiat remotiorem tantum gradum exprimere, obtentis tamen postea super propinquiore litteris declaratorijs, iuxta Greg. & Clemen. prædecess. huiusmodi constitutiones, quas quo ad hoc innouauit ac inuiolabiliter obseruari mandauit, dispensationesque seu dispensandi commissiones ac desuper confectas litteras, & processus habitos per eosdem, dispensatos seu hos cum quibus dispensari manaatur propter proximioris gradus huiusmodi non expressionem, de subreptionis seu obreptionis vitio seu intentionis defectu notari non posse, sed in omnibus, & per omnia suffragari perinde ac si in litteris seu commissionibus huiusmodi de proximiori seu vtroque gradu specialis, & expressa mentio facta fuisset, sicque per quoscunque iudices, &c.

In probandis autem impedimentis, qui testes requirantur, omissis Doctorum opinionibus controuersis dicamus breuiter. Quod si agatur de dissolutione matrimonij contracti, requiruntur testes om
36 ni exceptione maiores Abb. in cap. 1. de consang. & affin. Couarr. in 4. decr. par. 2. cap. 8. q. 12 num. 7. Et dicuntur testes omni exceptione maiores quibus nihil obijci potest, glo. ver. maiores, in ca. 1. cit. vel prout adnotantur, in cap. licet 2. de testibus saltem quoad matrimonialia, nimirum, vt iurent, vt sciant enumerare gradus ab vtro que latere, quod cognouerint ad minus vltimi gradus consanguineos, & à senioribus bonæ famæ audierint, sintque ipsi graues viri, bonæ famæ, ib.

Admittuntur etiam consanguinei, & pater, mater, ad perhibendũ

etiam eo casu impedimentum inde prouenιens sublatum fuerit.

Nos itaque vt omnis difficultas dubitatioque tollatur, attendentes, quod spõsaliorum appellatione qua dictũ Concilium vtitur, nõ nisi impropriè matrimonium verbis de præsenti conceptis contractum continetur, quodque agitur de correctione iuris veteris, quo casu secundum proprietatem verborum duntaxat procedendum est, præsertim cum longe maiorem rationem prohibitionis in matrimonio per verba de præsenti contracto, quam in sponsalibus de futuro vigere à nemine dubitetur. Idcirco motu proprio auctoritate Apostolica tenore præsentium declaramus, & definimus, decretum Concilij huiusmodi omnino intelligendum esse, & procedere in sponsalibus de futuro duntaxat, non autem in matrimonio sic, vt præfertur contracto, sed in eo durare adhuc impedimentum in omnibus illis casibus, & gradibus, quibus de iure veteri ante prædictum decretum Concilij introductum erat, & ita ab omnibus iudicari debere mandamus atque statuimus. Non obstantibus, &c. Dat. Romæ, an. Incarnat. 1568. Kal. Iul.

Vnde etiam hæc sponsalia de præsenti cum remaneant in terminis iuris antiqui, inducent impedimentum publicę honestatis licet fuerint nulla à principio ex aliqua causa, iure enim antiquo inducunt, vt patet ex text. cit. cap. vn. de sponſ. in 6. Nisi fuerint nulla ex defectu cõsensus, vel cõditionis appositæ, vt tex. cit. & Ioan. And. ib. Arm. ver. matrimonium, num. 46. Affinitatem tamen non inducunt hæc sponsalia cum affinitas non oriatur sine copula carnali. Host. in sum. de affinit. num. 9. circa fin. Nauar. loc. cit. de sponſ. consil. 11. numero. 1.

35 Vlterius sciendum, in computatione graduum affinitatis siue cõsanguinitatis, esse attendendum remotiorem gradum, cap. vlt. de consang. & affin. dummodo vnus eorum non sit in primo gradu, talis enim etiam cum multum remoto nunquam contrahere potest.
Et de computatione graduum huiusmodi, & remotiori exprimendo emanauit constitutio Pij V. publicata sub die 20. August. Anno 1566. tenoris sequentis.

Sanctissimus in Christo Pater, & D. N. D. Pius Diuina prouidentia Papa V. attendens per quandam constitutionem dudum per fel. rec. Pium Papa IV. sanctitatis suę prædecessorem editam, qua cauetur quod in dispẽsationibus, matrimonialibus pro diuersis consanguinitatis seu affinitatis ex eodem stipite prouenientibus gradibus coniunctis, non remotioris solũ prout olim fieri solebat, sed etiam propinquioris graduum expressa mẽtio fieri

fieri debeat, alioquin dispensationes, ac desuper confectæ litteræ nullius sint roboris, vel momenti, prout in dicta constitutione plenius continetur, à dispositione iuris communis, & laudabili ac antiquo Rom. Cur. Stylo nimium recedi, ac fauorem matrimonij debitum restringi. Volensq; propterea iuri, & Stylo prædictis necnon pię mem. Greg. XI. & Clem. VI. Rom. Pont. etiam sanctitatis suæ prædecessorum vestigijs inhærendo, sacramento, & libertati matrimonij, quantum cum Deo potest fauere, Statuit, & ordinauit, quod de cætero in quibuscunque dispensationibus quas pro matrimonijs contractis aut contrahendis inter viros, & mulieres inuicem diuersis probibitis consanguinitatis seu affinitatis aut mixtis ex cõmuni, seu ab eodem stipite surgenttib. quicumque illi sint, dummodo primum quoquomodo non attingant, cum in eo sanctitas sua nunquam dispensare intendat, gradibus coniunctos, ab eadem sanctitate sua & pro tẽpore existente Rom. Pont. aut sede Apostol. impetrari, vel alias concedi contigerit ac litteris commissionibusque desuper etiam locorum ordinarijs faciendis, gradus remotior attendatur, trahatque secum propinquiorem, ac ob id sufficiat remotiorem tantum gradum exprimere, obtentis tamen postea super propinquiore litteris declaratorijs, iuxta Greg. & Clemen. prædecess. huiusmodi constitutiones, quas quo ad hoc innouauit ac inuiolabiliter obseruari mandauit, dispensationesque seu dispensandi commissiones ac desuper confectas litteras, & processus habitos per eosdem, dispensatos seu hos cum quibus dispensari manaatur propter proximioris gradus huiusmodi non expressionem, de subreptionis seu obreptionis vitio seu intentionis defectu notari non posse, sed in omnibus, & per omnia suffragari perinde ac si in litteris seu commissionibus huiusmodi de proximiori seu vtroque gradu specialis, & expressa mentio facta fuisset, sicque per quoscunque iudices, &c.

In probandis autem impedimentis, qui testes requirantur, omissis Doctorum opinionibus controuersis dicamus breuiter. Quod si agatur de dissolutione matrimonij contracti, requiruntur testes om
36 ni exceptione maiores Abb. in cap. 1. de consang. & affin. Couarr. in 4. decr. par. 2. cap. 8. q. 12. num. 7. Et dicuntur testes omni exceptione maiores quibus nihil obijci potest, glo. ver. maiores, in ca. 1. cit. vel prout adnotantur, in cap. licet 2. de testibus saltem quoad matrimonialia, nimirum, vt iurent, vt sciant enumerare gradus ab vtro que latere, quod cognouerint ad minus vltimi gradus consanguineos, & à senioribus bonæ famæ audierint, sintque ipsi graues viri, bonæ famæ, ib.

Admittuntur etiam consanguinei, & pater, mater, ad perhibendũ

testimonium hoc,casu imo,& alijs præferuntur, quia præsumuntur scire suam genealogiam,vt notant communiter Doctores, in c.super eo.2.de test.ibique Host.in sum.nu.3.

Confessio autem vtriusque coniugum de impedimento, non sufficit ad dirimendum matrimoniũ,c.super eo de eo qui cog.consan. nisi concurrat fama,vt probat Abb.ib.si vero sit probandum matrimonium,sufficiunt testes ordinarij, vt respondisse Rotam Rom.in vna Tullen.refert Genuen.loc.sup.cit.cap.27.num.24.& multos ad hunc effectum allegat auctores.

Vltra si agatur ad impediendum matrimonium contrahendum, sufficit vnus testis,qui deponat iuxta normam,cap.licet,cit.vel saltem ad effectum suspendendi contrahendum matrimonium donec veritas indagetur,arg.text.cap.cum inhibitio, de cland.despon. Et si incontrarium non probaretur, sufficeret ad causandum,vt obtinenda sit dispensatio,cap.super eo.de test.cit.& cap.præterea, de sponsal. Si vero agatur de solutione spõsaliorum de futuro, sufficeret fama impedimenti,cap.super,eo.de consang. vel sponsorum cõfessio,cum & mutuo consensu illa soluere possint, cap.2.de sponsa. idque etiamsi fuerint iurata. Nau.de spons.cons.8.num.3.

In casu autem quo ob absentiam diuturnã alterius coniugũ, alter prætendit cum alio contrahere, non sufficiunt semiplenæ probationes de morte absentis, nec sufficit expectare quinquennium, sed debet apparere certitudo mortis saltem per violentas præsumptiones,vt quod in acie fuerit in qua plurimi cæsi sunt, quod nauis in qua nauigabat naufragium passa sit, & omnes cum ea perierint Arm. ver.matrimonium.num.45.

In probando iusto metu, metus iustus ex parte mulieris reputandus est,qui possit cadere in constantem mulierem,& viri qui cadat in constantem virum,vt notat Abb.in c.cum locum,de spons.metus etiam non præsumitur in præsentia patris matris, vel consanguineorum. Villalob. com.opin. sub litte.m.num.56. Menoch. consil.69. volum.2.

Ad extremum in matrimonialibus vbi fuerit semiplene probatum,iuramentum suppletorium deferri potest consideratis personarum,& causæ circumstantijs. Abb.in cap.mulieri, de iureiurand. Host. ibid. Et magis in admittendis probationibus prudenti iudicio suo,& facti circumstantijs iudex regulari debet,quã aliqua certa regula,quæ dari non potest,regi.cap.cum dilectus, de his quæ vi metusvè.iun.gl.& notat Abb.in cap.in præsentia,de sponsalib.Couarr.vbi sup.num.22.

Sub-

Subintrat in matrimonialib. quæstio dotis,& ratione cõnexitatis cum matrimonio,potest quoque cognosci à Iudice Ecclesiastico,cap.si annum.de Iudic.in 6.& notat.gl.in ca.licet.de for.comp. verb.vacante,& cap.de prudentia, de donat. inter vir.& vx.Etiam pro dote nudo pacto promissa.Innoc.ibid.Bald.in l.1.C.de promiss. dot.Et de arris datis.Feder.de senis.Consf.160.

De ista itaque notandum quod mulier adulterans amittit dotẽ, iudicis tamen præcedente sententia super adulterio,nam absque iudicis auctoritate nequidẽ dimittere ipsam potest maritus ob adulterium,cap.porro.de diuort.nisi fuerit adulterium notorium,vel ipsa à viro discesserit,cap.plerunque de donat.inter.virum.cit.

Si etiam postmodum inter se reconciliantur,vel Iudex ex officio suo redintegrat matrimonium ob fornicationem viri commissam post diuortium,quod facere potest vt occurratur scandalo fornicationis,& in praxi seruari testatur Genuen. loc.cit.num.14.tunc dotem mulier recuperat ipso facto,cit.cap.plerunque. iun. gl.

Dotare tenetur pater filiam etiamsi nupserit illo inuito.32.q.2.c. vlt.iu.gl.verb.parentum.

Pro dote non soluta licitè petitur interesse donec soluatur, cap. salubriter.de vsuris.etiam post mortem viri,donec dos restituatur. Couar.var.res.lib.3.cap.1.nu.3.Actio dotis maximè est priuilegiata,& pręfertur omnibus creditoribus, licet cõfessio dotis fuerit posterior creditoribus,id.Couar.ibid.lib.1.c.7.

De Iureiurando.

SVMMARIVM.

37 *Iurare facientes illicita quas pęnas incurrant.*
38 *Iuramentum de re licita non voluntariè factum,ligat.*

Contra iurantes,& iurare facientes illicita,emanauit cõstitutio Greg.XIII.quam hic propter eius frequentem vsum inserendam putauimus,& sequitur.

37 *Inter Apostolicas,& infra.Verum tamen multi infirmi cupidique sensus,sese in huiusmodi iuramenta cum animarum suarum periculo præcipitant.Nos quoniam hæc sanctorum quoque patrum institutis, & salubri rerum Ecclesiasticarum directioni aduersantur,& tanquam de radi-*

 ce ambi-

ce ambitionis procedentia, omne bonũ in Ecclesijs rebusque publicis peruertunt, ea noua prouisionis subsidio prohibere volentes, præsentium auctoritate innouamus prædictam constitutionem Nicolai Papæ, itidemque alias omnes Canonicas sanctiones de abusu, & reprobatione huiusmodi iuramentorum promulgatas, volumusque eas vbique ab omnibus etiam quoad præterita inuiolabiliter obseruari. Ac etiam præcipimus, & interdicimus prælatis Canonicis, & alijs supradictis necnon Ecclesiarum capitulis, & monasteriorum cæterisque Conuentibus, Ciuitatum quoque castrorum, & terrarum Communitatibus, & personis quacunque dignitate præditis, ne vlla omnino iuramenta illicita, impossibilia, damnosa, vel libertati Ecclesiasticæ aut Decretis Conc. Trid. obuiantia siue ante siue post electiones confirmationes prouisiones, receptiones, admissiones, aut alios actus vbicunque ac quocunque tempore, etiam prætextu cuiusuis consuetudinis quantocunque tempore obseruatæ, quæ potius corruptela est censenda, siue in genere siue in specie præstare, reddere vel exigere, ne uè super præstitis redditis vel exactis hucusque quenquam in iudicio vel extra inquietare audeant, quoquo modo, vel turbare, illos enim qui iuramenta illicita, impossibilia, damnosa, vel Ecclesiasticæ libertati aut decretis dicti Concilij obuiantia exigere contenderint, Episcopos videlicet & alios quoscunque Pontificali dignitate præditos, suspendimus à Diuinis, Capitula vero, & Conuentus eorumque Ecclesias, & loca omnia interdicto Ecclesiastico supponimus, ac singulares personas excommunicationis sententia innodamus, inhabilesque facimus ad obtenta, & alia obtinenda eo ipso, nobisque, & Romano Pontifici pro tempore existenti relaxationem suspensionis, & interdicti, necnon absolutionem ab excommunicationis sententia huiusmodi perpetuo reseruamus. Decernentes eos qui talia iuramenta scienter præstiterint, vsu & commodo rei, & gratiæ cuius causa iurauerint eo ipso priuatos esse: alios vero ignorantes ad præstitorum iuramentorum huiusmodi obseruationem minime teneri. Necnõ irritum, &c. Non obstantibus, &c. Dat. Romæ. Non. Septembr. an no. 1584.

Quacunq; autẽ forma præstetur iuramentũ, tenet, Arm. ver. iuramentũ, nu. 6. dũmodo adsit intẽtio. quę si desit, vt accidit, in inuitis, vel si protestatur iurans corã alijs, se nõ intendere iurare, non tenet c. verum, de iureiuran.

De illicitis autem vt disponitur extrauag. præmissa, & de illis, quæ continent peccatum, iuramentum etiam cum intentione factum non tenet, nec indiget dispensatione, cap. si vero, cap. quanto, lo. cit. de iureiuran. si tamen illicitum fuerit non ex parte iurantis, sed alterius

terius in cuius fauorem iuratur, vt de soluendo vsuras, vel vi, seu metu extortum, obligat, & est seruãdum, licet repeti possint vsuræ postquam iuramento fuerit satisfactum. Vel antequam incurratur periurium, peti potest ab Episcopo absolutio à iuramento, qui si iuratum fuerit per contractum nominatum, ex quo ius alteri fuerit quęsitum, non nisi citata parte absolutionem præstare debet, si autem ius alteri quæsitum non fuerit contractu nominato, absque vocatione partis absoluere potest, Cou. lo. cit. lib. 1. c. 4. à num. 5. ad 15.

De Hæreticis.

SVMMARIVM.

39 *Episcopus est ordinarius inquisitor in sua Diœcesi.*
40 *Hæreticus quis dicatur.*
41 *Testis quis esse possit in causa hæresis.*
42 *Confessarius est suspectus de hæresi, qui sollicitat pœnitentem ad libidinem.*
43 *Inquisitionis officium impugnans, quas pęnas incurrit.*
44 *Iudæi iudicari possunt ab officio inquisit. certis casibus.*
45 *Thalmud Iudæorum prohibetur.*
46 *Iudæi compelli debent accedere ad Conciones.*

39 HÆresis quoq; est crimen Ecclesiasticum, c. vt inquisitionis, de hæret. in 6. & Episcopus est iudex ordinarius causarũ hęresis in Diœcesi sua, ita quod nõ impediatur formare processum, licet ĩquisitor adsit in Diœcesi, & procedat, sed hoc casu vel separatim vel coniũctim cum inquisitore formare põt processum, cap. per hoc. lo. cit. si tamen seorsim procedunt, debent sibi communicare acta, & vterque simul proferre sententiam, & si fuerint discordes, remittere debent instructam causam ad sedem Apost. Siman. de Cath. inst. titu. 25. nu. 4. Vnde & processum contra hæreticos, & super libris prohibitis, licet adsit inquisitor, publicare potest Episcopus, collecti tamen libri prohibiti inquisitori consignari debent vt respondisse sacrã Congregationem inquisit. testatur Franch. Leo. in sua praxi, cap. 37.

Hæreticus autem dicitur qui existens Baptizatus errat pertinaciter in fide. ex siman. cit. tit. 31. vbi multis explicat quis sit dicendus hæreticus. Vel qui pertinaciter aliquid credit quod est fidei Catho-

licæ

licæ contrarium. Nauarr. in Manual. cap. 11. numer. 22. dummodo verbo, scripto, vel facto exprimat suum errorem, aliter enim solus mentalis error quo ad incurrendam excõmunicationẽ seu alias pœnas, fori exterioris non faciet hæreticum, cum Ecclesia actum mentis nudum non iudicet. Arm. verb. Hæresis, num. 1.

41 In causa hæresis potest esse testis idem qui denunciat, cap. in omni. de testibus. Potest etiam esse testis quilibet, licet criminis fuerit particeps, infamis, periurus, dummodo non sit inimicus accusati. cap. in fide. cap. accusatus, de hæretic. in 6. citat. Duo tamen huius qualitatis testes non faciunt plenam probationem, sed tantum indicium ad torturam, vel ad imponendum pœnam extraordinariam. Pegna. in. 3. par. direct. inquisit. quæstio. 64. Alij autem testes fide digni, & omni exceptione maiores, duo sufficiunt ad conuincendum de hæresi. Siman. citat. tit. 64. num. 36. Direct. inquis. 3. part. quæst. 71. Pegna ibid.

Denuncians, iurare debet quod non ex odio vel animi passione denunciat, interrogari debet an verba hæretica, prolata fuerint seriò, vel iocosè vel referendo aliorum opinionem, duobus enim casibus extremis prolata non causarent aliquem esse hæreticum. Eymer. 3. par. direct. de forma exam. test. grauiter tamen esset puniendus verba Hæretica etiam iocosè proferens vbi adesset periculum scandali.

Examinãdi sunt testes in causa hæresis adhibito Notario, & duabus personis grauibus, quæ in defectu clericorum possunt esse laici. Pegna. lo. cit. q. 63.

Non debet concedi procurator hæretico postquam conuictus est de Hæresi. si antem esset tantum delatus, vel suspectus, & negaret se esse hæreticũm, non potest illi denegari procurator per quem se defendat. Pegn. cit. 2. part. direct. commen. 10. Siman. loco citato. tit. 5. qui docet procuratorem huiusmodi prius iurare debere se bona fide iustis saltem medijs defensurum, & si cognouerit causam iniustam, illam se deserturum.

Non debent etiam reuelari nomina testium vel denunciatoris, cap. statuta. loco cit. in 6. nisi fuerit socius criminis, vel si non adsit periculum vindictæ. Pegna cit. in 3. p. com. 348.

Appellationis remedium Hæretico condemnato non est concedendum, cap. vt inquisitionis. loco cit. Siman. cit. titul. 6. nisi ab interlocutoria, Pegna. loco. cit. comm. 31. seu ante prolationem sententiæ. Felin. in cap. sicut. de Simon. Maran. part. 6. de appellat. numero. 288.

Causa

Causa pendente non est admittendus ad audiendum missam neque illi concedi debet confessarius nisi in periculo mortis si fuerit conuersus. Sim. loc. cit. tit. 16. num. 30.

Variè autem defertur aliquis pro crimine huiusmodi. Aliquando enim defertur ex suspicione leui, vt quia semel dixit ex ira verba hæretica, vel blasphema, vel sustinuit excommunicationem per annũ, incurrit enim talis suspicionem de hæresi, non tamẽ est Hæreticus. Arm. loc. cit. nume. 3. Eymer. in 2. par. direct. quæst. 46. vbi & alias suspiciones huiusmodi refert. Et pro talibus facta abiuratione de leui, imponitur pœnitentia salutaris, & regulariter non proceditur ad torturam in talibus. Genuen. in prax. c. 84.

Aliquando defertur quis ex suspitione vehementi seu violenta, quas in casu hæresis nil differre testatur Genuen. loco cit. num. 7. Et violentæ suspiciones sunt, vt si quis ad omnem animi motum sępius blasphemat seu verba hæreticalia profert, qui inuocat Demones verbis deprecatiuis, qui in sortilegijs sacramenta vel sacramentalia admiscet, qui viuente vna vxore contrahit cum alia; qui vocatus ad respõdendum de fide latitar, & propterea excommunicatus per annum in excõmunicatione persistit, quos omnes, & alios multos casus enumerat Eymer. loc. cit. par. 2. q. 47.

42 Vehementer etiam suspectus est de hæresi qui in confessione pœnitentem ad libidinem sollicitat, & talem puniendum esse vt hæreticum, & male de sacramento pœnitentiæ sentientem patebit ex rescripto Apostolico sequenti.

Venerabili Fratri Archiepiscopo, Hispalensi in Regno Hispaniæ hæreticæ prauitatis Inquisitori Generali. Pius PP. IV.

Venerabilis frater salutem, & Apostolicam benedictionem. Dum sicut nuper non sine animi nostri molestia accepimus, diuersi sacerdotes, in Regnis Hispaniarum atque etiam in ciuitatibus, & Diæcesibus curã animarum habentes siue eam pro alijs exercentes, aut alias audiendis cõfessionibus pœnitentium deputati, in tantam proruperint iniquitatem, vt Sacramento Pœnitentiæ in actu audiendi confessiones abutantur; nec illi & qui id constituit Domino Deo, & Saluatori nostro Iesu Christo, iniuriam facere vereantur, mulieres videlicet pęnitentes ad actus inhonestos dum earum audiunt confessiones alliciendo, & prouocando, seu allicere, & prouocare tentando, & procurando, ac loco earum per Sacramentum huiusmodi creatori nostro reconciliationis, grauiorum peccatorum mole eas onerando, & in manibus Diaboli tradendo, in Diuinæ Maiestatis offensam,

ſenſam, & animarum perniciem, Chriſti fidelium ſcandalum non modicũ. Nos animum inducere nequeuntes, quod qui de fide Catholica rectè ſentiunt, Sacramentis ab Eccleſia Dei inſtitutis abutantur aut illis iniuriam faciant, fraternitati tuæ de cuius eximia pietate virtute atque doctrina plurimum in Domino confidimus, per præſentes committimus, & mandamus, quatenus per te vel alium ſeu alios à te deputandum ſeu deputãdos, cõtra omnes, & ſingulos ſacerdotes dictorum Regnorum ac illarum ciuitatum, & Diæceſum de præmiſſis quomodolibet diffamato(s), tam ſæculares quam quorumuis etiam exemptorum ac ſedi Apoſtolicæ immediatè ſubiectorum ordinum Regulares, cuiuſcunque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, & præeminentiæ exiſtant, tam ſuper præmiſſis quam ſuper fide Catholica, & quid de ea ſentiant, diligenter inquiras, & iuxta facultatum tibi contra hæreticos, aut de hæreſi quouis modo ſuſpectos à Sede Apoſt. conceſſarum continentiam, & tenorem procedas, ac culpabiles repertos iuxta exceſſuum ſuorum qualitatẽ, prout de iure fuerit faciendum, debita præcedente degradatione ſæcularis iudicis arbitrio puniendos tradendo, Non obſtan. &c. Dat. Romæ. Ann. 1561. die 16. April.

De hæreſi item ſuſpectus eſt vehementer qui Officium Inquiſitionis quo minus contra reos procedat, impedit, Domum Inquiſitionis inuadit portas infringit, teſtes deponere volentes verberat ſeu auxilium ad hoc præſtat. cap. vt inquiſitionis in 6. citat. & contra tales aggrauauit pœnas Pius V. conſtitutione ſua vt ſequitur.

Si de protegendis, & infra. Hac igitur generali conſtitutione de fratrũ noſtrorum conſilio ſancimus vt quicunque ſiue priuatus, ſiue tota ciuitas, ſiue populus, ſiue Dominus, Comes Marchio, Dux, vel potiore titulo
43 *illuſtris, quemuis ex Inquiſitoribus Aduocatis Procuratoribus Notarijs, alijſque miniſtris prædicti officij, vel Epiſcoporum id munus in ſua Diæceſi aut prouincia obeuntium, ſeu accuſatorem, denunciatorem aut teſtem in cauſa fidei quomodocunque productum vel euocatum occiderit, verberauerit, deiecerit, ſeu perterrefecerit, quiuè Eccleſias, ædes, aliaſvè res ſiue publicas ſiue priuatas, officij aut miniſtrorum expugnauerit, inuaſerit, incenderit, expilauerit, aut libros, litteras, auctoritates, exemplaria, regeſtra, protocolla, exempla, ſcripturas, aliauè inſtrumenta, ſiue publica ſiue priuata vbicunque poſita combuſſerit diripuerit ſeu inuerterit, ſeu ex incendio aut direptione, aut alio quocunque modo illa exportauerit,*

uerit, seu qui in conflagratione, expugnatione aut direptione etiam inermis, siue capiendi siue comburendi siue surripiendi causa fuerit, siue res aut personas seruari defendiuè prohibuerit, quiuè carcerem aut aliam custodiam, seu publicam seu priuatam effregerit, vinctum extraxerit, seu emiserit, capiendum prohibuerit, captumque eripuerit, receperit, occultauerit, seu facultatem effugiendi dederit, seu iusserit id fieri, qui cœtum concursumvè fecerit, siue vt aliquid prædictorum fieret, homines accomodauerit, siue alias auxilium consilium aut fauorem publice vel occulte in quolibet prædictorum scienter præstiterit, licet nemo occisus, nemo verberatus, nemo extractus emissus vel ereptus, nihil expugnatum, nihil effractum, succensum, direptumuè, nullum denique damnum reipsa sit secutũ; nihilominus is sit anathemate præsentis Canonis auctoritate ligatus idem quoque læsæ maiestatis reus, dominio, dignitate, honore feudo, ac quocunque alio beneficio temporali, & perpetuo eo ipso priuatus, sæcularis iudicis arbitrio relinquatur, qui de eo illas ipsas pœnas exigat, quæ damnatis primo capite dictæ legis per constitutiones legittimas irrogantur, bonis rebusque omnibus fisci iuribus applicatis, vti etiam est de damnatis hæreticis per sanctiones Canonicas institutum: eius filij paterna infamia, omnis, & cuiuscunque hæreditatis successionis, donationis, & legati siue propinquorum siue extraneorum, omnino sint expertes, eisdem præterea portæ nunquam pateant dignitatum. Nemo autem expurgationem habere, aut causam vllam proponere, vel prætendere possit qui tantum nefas in contemptum, & odium huius officij admiserit, nisi contrarium per claras probationes docuerit se fecisse. Quod porro de prædictis eorumque filijs statuimus, illud idem de omnibus clericis, & presbiteris sæcularibus, & quorumuis ordinum etiam exemptorum Regularibus, & quacunque etiam Episcopali, & maiori dignitate præditis, ac etiam priuilegio quomodocunque suffultis decernimus exequendum ita vt ipsi beneficijs, & officijs omnibus Ecclesiasticis præsentium auctoritate priuati, per iudicem Ecclesiasticum hæreticorum more degradentur, demum potestati sæculari traditi, pœnis prædictis laicorum instar subijciantur. Pontificum tamen causis nobis, & successoribus nostris reseruatis, vt re quæsita, & nobis renuntiata, contra eos ad depositionem, & alias pęnas prædictas procedamus vti criminis atrocitas videbitur postulare. Quicunque autem pro talibus veniam petere aut alias intercedere tentauerint, in easdem illas pęnas, quæ in hæreticorum fautores à sacris Constitutionibus inferũtur, ipso facto se nouerint incidisse. Verum si quis etiam huiusmodi criminum conscius, vel affinis siue religionis studio siue pœnitentia ductus rem adhuc incognitam retexerit, supplicio liberetur. Cæterum eam omnium, & quarumcunque absolutionum rationem à præ-

dictis criminibus, necnon habilitationum, & restitutionum etiam ad famam & honores ita deinceps habendam optamus, vt successores nostri, nullas nisi saltem semestri post cuiusque assumptionem ad huius dignitatis fastigium excurso, ac precibus apud supremum officium inquisitionis hic institutum verificatis concedant. Decernentes omnes, & quascunque huiusmodi absolutiones habilitationes, & restitutiones, quæ precibus sic non verificatis de cætero fient, nemini prorsus prodesse, sed nec præsentibus nisi toto ipsarum tenore ad verbum inserto, & gratia ex certa Roman. Pont. scientia facta, & propria manu subsignata, vlla in parte derogari vel derogatum censeri debere, & si illis ex quacunque causa aliter derogari contigerit, derogationes huiusmodi nullius prorsus fore roboris, & momenti. Iubemus igitur vniuersos, & singulos Patriarchas Primates. Archiepiscopos Episcopos, & cæteros Ecclesiarum prælatos per vniuersum orbem constitutos, vt per se, vel alium seu alios præsentes litteras aut earum exempla in suis quisque Prouincijs Ciuitatibus Diæcesibus & locis solemniter publicare, & quantum in se est firmiter obseruari procurent, contradictores, &c. Non obstantibus, &c. Dat. Romæ ann. Incar. Dom. 1569. Kal. April.

Processu contra hæreticum formato, si ex eo conuincitur hæreticus formalis in casibus à Paulo Papa IV. & deinde à Clem. VIII. prohibitis, etiam pro prima vice tradendus est curiæ sæculari. constitutio Clem. est vt sequitur.

Domini gregis, & infra. Cum itaque fel. recor. Paulus Papa IV. prædecessor noster ad quorundam hominum iniquitatem coercendam, qui non solum diuersas hæreses profiteri, sed etiam ipsius fidei fundamenta negare præsumebant, suoque exemplo multos in interitum animæ trahebant quadam sua perpetuo valitura constitutione, quæ incipit. Cum quorundam hominum prauitas: vt huiusmodi homines à suis erroribus intra certum eis tunc præfixum tempus resipiscerent, paterna monitione, & requisitione, necnon cum ipsorum resipiscentium à quibuscunque censuris, & pœnis Ecclesiasticis, & temporalibus plenissima absolutione sanciuerit, vt quicunque tam eatenus lapsi fuissent, & infra tempus præfixum non resipuissent, quam qui in posterum prolaberentur in hos errores, aut eorum aliquem, qui nimirum asseruissent, dogmatizassent, vel credidissent Deum omnipotentem non esse trinum in personis, & incomposita omnino indiuisaque vnitate substantiæ, & vnum vnamet simplici Diuinitatis essentia, aut Dominum nostrum Iesum Christum non esse verum Deũ eiusdem substantiæ per omnia cum Patre & Spiritu Sancto, aut eundem

secun-

secundum carnem non esse conceptum in vtero Beatissimæ semperq; Virginis Mariæ de Spiritu Sancto, sed sicut cæteros homines ex semine Ioseph, aut eundem Dominum, & Deum nostrum, Iesum Christum non subiisse acerbissimam Crucis mortem vt nos à peccatis, & ab æterna morte redimeret, & Patri ad vitam æternam reconciliaret aut eandem Beatiss. Virginem Mariam, non esse veram Dei matrem nec perstitisse semper in virginitatis integritate, ante partum scilicet, in partu, & perpetuo post partum, pro subuersis, & relapsis in hæresim haberi, & vt relapsi curiæ sæculari tradi, & per ipsam curiam debitis pęnis in relapsos statutis puniri posse in omibus perinde ac si verè, & realiter in hæresim relapsi essent, & eos relapsos esse constaret prout in prædicta constitutione sub Dat. Romæ apud S. Marcum, 7. Id. Aug. Pont. sui anno primo edita plenius continetur. Eo tamen huiusmodi impiorum hominum prorupit temeritas, vt prætextu ignorationis huiusmodi constitutionis ac pęnarum in eadem constitutione inflictarum, se illis minime subiacere nec obnoxios esse putent, ac propterea se ab eisdem pęnis liberari, & absolui posse prætendant. Nos igitur animaduertentes (vt idem quoque Paulus prædecessor bene animaduertit) huiusmodi errores tam graues ac nefandos existere, vt illi qui in eos incidunt, nullam prorsus excusationem habeant, sed subuersi potius, & immanes, quam hæretici merito dici possint, propterea vt illi debita animaduersione omnino puniantur, nec à præfatis errorib. vlla excusatione de cætero se tueri valeant. Motu proprio, & ex certa scientia ac matura deliberatione nostra deque Apostolicæ potestatis plenitutine hac nostra perpetuo valitura constitutione, dicti Pauli prędecessoris vestigijs inhærentes ac eius constitutionem prædictam quoad pęnas in ea contentas innouantes ac perpetuo confirmantes, & approbantes supradictos omnes & singulos, qui hactenus in similes errores aut eorum aliquem lapsi sunt aut in posterum prolabentur, attenta dictorum errorum grauitate, & enormitate cuiuscũque dignitatis, gradus, ordinis, vel conditionis existant, nulla illis etiam ignorantiæ supradictæ constitutionis excusatione suffragante pro subuersis, & relapsis in hæresim haberi, & tanquam relapsos Curiæ sæculari tradi, ac per eandem curiam debitis pœnis in relapsos statutis puniri posse auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo statuimus. Non obstantibus, &c. Dat. Romæ, die 3. Febr. 1603. Pont. ann. vndecimo.

Qui etiam Sanctissimo Eucharistiæ sacramento abusus fuerit in sortilegijs, traditur curiæ sæculari ex praxi, S. inquisitionis, vt testatur Genuen. lo. cit. num. 10.

Qui item hæresim Principi persuadere tentauerit similiter bra-

chio sæculari statim tradi debet, Siman.loc.cit.cap.47.nu.68.

In alijs autem criminibus seu erroribus conuictus hæreticus, pro prima vice, si non sit pertinax, non traditur Curiæ sæculari, sed facta abiuratione, pœna arbitraria puniri debet, cap.ad abolendam, loc.cit.in 6. de cuius moderatione videri potest Siman. cit.cap.46. & 47.Pegna,lo.cit.com.139. qui dicit posse aliquando in huiusmo di delictis pœnam pecuniariam imponi in loca pia, vel pro custodia domus inquisitionis conuertendam.

Si autem reperiatur relapsus, vel in errore obstinatus, tradi debet curiæ sæculari, cap.ad abolendam, cit. & à iudice sæculari igne cremari, quam pœnam antiquissimo more inflígi hæreticis deducit eruditè, Siman.loc.cit.tit.46.

Nec Iudex Ecclesiasticus ob huiusmodi traditionem ex qua sequitur mors, incurrit irregularitatem, vt declarasse, Pium V.testatur, Zerol.in sua prax.ver.Hæreticus ad 12.hoc idem docet Couar. in Clem.si furiosus, de homic.par.2.§.5.Siman.cit.tit.34.num.47. Relapsus autem, quo ad propositum, dicitur, qui post abiuratam hæresim, iterum in eam incidisse conuincitur, cap.accusatus, lo.cit. in 6.Siman.lo.cit.tit.57.num.3.

Si vero non fuerit plene probatum nec sit confessus, indicia tamen præcesserunt violenta, abiurare debet accusatus errorem de vehementi, & pro facto scandaloso ex quo suspicio oriebatur, arbitrio iudicis puniri. Genuen.lo.cit.nu.8.

44 Hoc eodē loco rectè aliqua dici possunt de Iudęis, quippe quos ab inquisitoribus hæreticæ prauitatis, vel Episcopis puniri posse in certis casibus ordinauit Gregor.XIII.constitutione sua vt sequitur.

Antiqua Iudæorum improbitas quæ diuinæ bonitati semper restiterūt tanto execratior cōsistit in filijs quanto ipsi ad cumulandam patrum suorum mensuram in Dei filio repudiando, eiusque in mortem nefariè conspirando, grauius deliquerunt, qui propterea suis effecti maioribus nequiores, proprijs sedibus expulsi atque in omnes dispersi orbis terrarum regiones, seruitutique perpetuæ mancipati, non maiorem in cuiusque ditione clementiam quam in Christianorum Prouincijs, maximè vero in Apostolicæ pietatis gremio inuenerunt, quæ pro eorum conuersione laborans, eos misericorditer excepit, atq; in cohabitatione vna cum filijs suis sustinuit, ad veritatisque lumen allicere pio semper studio conata est, rebusque ad vitam necessarijs iuuit, iniurijs, & contumelijs prohibuit, multis denique beneficentiæ suæ priuilegijs circummuniuit, illi vero nullis beneficijs mãsuefacti, nihilque de suo pristino scelere remittentes, Dominum nostrum Iesum

Iesum Christum in cælo triumphantem, adhuc in synagogis suis, & vbique persequuntur, Christi quoque membris infensissimi, non desinunt in religionem Christianam horrenda facinora quotidie magis audere. Quibus nos ne pietatis nostræ puritas polluatur, aut à fœdis mancipijs Christo, Christianorum vè nomini impune illudatur obuiare volentes. Statuimus ac etiam declaramus inquisitores hæreticæ prauitatis liberè procedere posse in omnibus causis, & casibus qui sequuntur.

Si quis iudæus aut infidelis in ijs quæ circa fidem cum illis nobis sunt communia, veluti Deum vnum, & æternum, omnipotentem, creatorem omnium visibilium, & inuisibilium, & similia, non esse asseruerit, prædicauerit, vel priuatim alicui insinuauerit.

Si Dæmones inuocauerit consuluerit vè, aut eorum responsa acceperit, ad illos vè sacrificia aut preces, ob diuinationem aliam vè causam direxerit, aut quid eis immolauerit, vel thuris alterius vè rei fumigationes obtulerit, aut alia quæuis impietatis obsequia præstiterit.

Si Christianos verbo, facto, vel exemplo, aut alio quouis modo nefaria huiusmodi docuerit, vel ad ea perpetranda perduxerit aut perducere attentauerit.

Si Saluatorem, & Dominum Nostrum Iesum Christum purum hominem, vel etiam peccatorem fuisse, matrem vè Dei non esse Virginem, & alias huiusmodi blasphemias, quæ per se hæreticæ dici solent, in Christianæ fidei ignominiam contemptum aut corruptionem impiè protulerit.

Si cuiusvis eorum opera, auxilio, consilio, vel fauore aliquis Christianus à fide desciuerit, quamque semel susceperat abnegauerit, vel ad Iudæorum seu aliorum infidelium ritus cæremonias superstitiones, vel impias sectas transierit, vel redierit, seu in heresim aliquam inciderit, aut qui vt Christi fidem abneget seu in hæresim incidat opem consilium auxilium, vel fauorem quomodocunque præstiterit.

Si quis Cathecumenum seu quemcunque ex Iudæis aut infidelib. Deo inspirante ad fidem Christianam venire volentem post declaratam nutu, verbo, facto aut quocunque alio modo eius voluntatem, à fide, vel fidei instructione aut à sacri baptismi susceptione retrahere auertere, vel dehortari, aut ne ad fidem veniat, ne vè regenerationis lauacro abluatur quouis modo impediuerit.

Si quis Apostatas hæreticos vè scienter domi suæ acceptauerit aluerit cōmeatu iuuerit seu quouis modo eis cibaria vbicunque præbuerit, aut dona, vel munera dederit, vel miserit, aut de loco ad locum deduxerit, seu associauerit, vel deducendos seu associandos curauerit, aut sumptus ministrauerit, duces comites vè illis adiunxerit, vel ne ab eis perpetrata deprehendi aut inuestigari queant, fecerit. Quiq; dictos Apostatas aut hære-

ticos,

scienter, aliquo modo receptauerit, occultauerit, defenderit, aut eis opem consilium, auxilium vel fauorem, quomodolibet præstiterit.

Si libros hæreticos vel thalmudicos aut alios Iudaicos quomodolibet damnatos aut alias prohibitos tenuerit, custodierit vel diuulgauerit vel in quæcunque loca detulerit aut ad eam rem operam suam accomodauerit.

Si christianos deriserit, redemptionisque nostræ hostiam salutarem, in ara crucis immolatam Christum Dominum ludibrio, & despectui habens quandocunque maximè vero in sacro parasceues die, agnum siue ouem aut quid aliud cruci affixerit aut appenderit, in eãuè consputerit seu quod cunque contra ipsam fecerit.

Si nutrices christianas contra sacrorum canonum statuta diuersorumque Romanorum Pont. prædecessorum nostrorum sanctiones, adhuc retinuerit, aut eas retinẽs die qua Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, lac vno vel pluribus diebus in latrinas cloacas vel alia loca effundere coegerit.

In quibus casibus vniuersis, & singulis omnes prædictæ prauitatis inquisitores omnium Regnorum, Prouinciarum, ciuitatum Dominiorum, & locorum vniuersi orbis Christiani Iudices, in suis quemque locis perpetuo delegamus, vt super his contra Iudæos atque infideles quoscunque simul vel separatim prout in causis fidei, iuxta sacrorum Canonum formam necnon officij Inquisitionis huiusmodi constitutiones diligenter inquirant, & procedant, & quos in aliquo vel aliquibus horum flagitiorũ excessibus culpabiles repererint, in eos pro culpæ modo ac etiam pro criminum numero vel multiplicatione aut consuetudine delinquendi, fagra, remigia, etiam perpetua, rerum quoque publicationes, exilia, aliaque atrociora, decernant, & alias de eis exempla edant quæ sceleratos illos deterreant ab huiusmodi flagitijs in posterum admittendis. Nos enim Venerabilibus Fratribus nostris, S.R.E. Cardinalibus Inquisitoribus generalibus, necnon Patriarchis Archiepiscopis Episcopis, & alijs locorum prælatis ac etiam alijs prædictis Inquisitoribus in virtute Sanctæ obedientiæ districtè præcipimus, & mandamus vt præsentes nostras litteras in ciuitatibus, & locis cuique subiectis publicare, & iuxta tenorem illarum procedere ipsasque debitæ executioni mandare procurent. Decernentes irritum, & inane. &c. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis nec non exemptionibus, &c. Dat Romæ. Ann. Incarna. 1581. kal. Iun.

45 Et quod ad thalmudicos libros attinet seuerius illorum detentores per Inquisitores seu ordinarios puniri voluit Clem. VIII. ordinatione sua subinserta.

Cum

Cum Hebræorum,& infra. Omnibus & quibuſcunque vniuerſitatib. Hæbreorum eorumque ſingulis,tam in temporali. S. R. E. ditione quam etiam extra eam vbiuis locorum, & in quibuſuis Chriſtiani orbis partibus cõſtitutis,perpetuo prohibemus,ne quoſuis libros,& codices impios Thalmudicos ſæpe damnatos,vaniſſimos cabaliſticos atque alios nefarios à prædeceſſoribus noſtris prohibitos,& condemnatos necnon opera, commentaria,tractatus,volumina,& ſcripta quæcunque tam lingua Hebraica quam quæuis alia hactenus conſcripta aut verſa,edita,& impreſſa,ac in poſterum conſcribenda aut vertenda, edenda vel imprimenda, continentia ſeu continentes tacitè vel expreſſe hæreſes vel errores contra ſacras veteris legis, & teſtamenti ſcripturas: necnon contumelias, impietates,blaſphemias contra Deum,ſanctiſſimam Trinitatem,& Saluatorem noſtrum Dominum Ieſum Chriſtum,eiuſque Sanctam Chriſtianam fidem,ac Beatiſſimam ipſius genitricem ſemper virginem Mariam,& Beatos Angelos,Patriarchas,Prophetas,Apoſtolos,alioſque ſãctos Dei,Sacratiſſimam Crucem,Sacramenta nouæ legis, ſacras imagines,& ſanctam Catholicam Eccleſiam,& Sedem Apoſtolicam, ac contra Chriſti fideles pſertim Epiſcopos, Sacerdotes, & alias Eccleſiaſticas perſonas,atque etiam contra nuper ad eiuſdem Chriſti fidem conuerſos, ac Neophitos,& alias contra religionem Catholicam vel in quibus etiã impudicæ & obſcenæ narrationes memorãtur,etiam ſub prætextu quod expurgata fuerint, vel donec expurgentur,ſiue quod de nouo typis excuſſa fuerint mutatis nominibus,vel etiam ſub obtentu ſeu tolerãtia aut permiſſione (vt prætendunt) Secretarij aut cuiuſuis perſonæ ſacri Concili Tridentini aut Indicis librorum prohibitorum per rec. me. Pium PP. IIII. prædeceſſorem noſtrum editi, vel cuiuſuis indulti Apoſtolici aut licentię per S.R.E.Cardinales etiam legatos aut Camerarium ſeu cameram Apoſtolicam vel nuncios etiam cum poteſtate Legati de latere, aut locorum Ordinarios ſeu Inquiſitores hæreticæ prauitatis forſan quomodolibet conceſſe,aut quouis alio queſito colore,legere,habere,uel retinere,emere vel vendere aut euulgare vllo modo audeant vel præſumant. Omnes vero, & quaſcunque facultates,litteras,permiſſiones,indulta,tolerantias legẽdi,tenẽdi etiam ad tempus certum vel incertum, vel ad effectus prædictos & ſub ſimilibus vel alijs prætextibus quæcunque vt præfertur prohibita ſcripta,volumina,libros,& alia ſupradicta quibuſuis Iudæis in genere vel in ſpecie à pdeceſſoribus noſtris,& dicta Sede Apoſtolica ſeu eius legatis etiam de latere vel Nuncijs aut Inquiſitoribus hæreticæ prauitatis,aut locorum ordinarijs,vel quibuſuis alijs quauis dignitate vel auctoritate fungentibus,etiam S.R.E.Cardinalibus eiuſque Camerario ſeu camera prædicta ſub quibuſuis verborum formis,& conceptionibus,& quibuſuis

busuis etiam derogatoriarum derogatorijs clausulis, ac vim contractus, inducentibus, irritantibusque, & alijs decretis etiam motu proprio, & ex certa scientia deque Apostolicæ potestatis plenitudine seu ad quorum cũq; Principum etiam Regali Ducali vel alia quacunque præeminentia fulgentium instantiam, vel eorum intuitu concessas auctoritate, & tenore præmissis reuocamus irritamus, & annullamus, ac pro reuocatis, irritis, & penitus infectis in perpetuum haberi volumus. Districtius inhibẽtes tam quibuscunque ex prædictis quauis auctoritate, & facultate suffultis personis, ne huiusmodi licentias, tolerantias, indulta, quoquomodo concedere, quam Iudæis ne illis sic per præsentes reuocatis, aut post hac forsan de facto concedẽdis vti, aut earum prætextu seu alias quomodolibet libros prædictos retinere, legere, deferre, emere, vendere, aut de nouo edere præsumant.

Quinimo si quos ad præsens habent, eos statim intra decem dies Romæ in officio Sanctæ Romanæ, & Vniuersalis Inquisitionis, extra vrbem vero intra duos menses à die publicationis præsentium numerandos locorum Ordinarijs seu Inquisitoribus Hæreticæ prauitatis, à quibus postmodum absque alio mandato nostro nulla interposita mora comburantur, exhibere, tradere, & consignare omnino teneantur, & debeant. Præcipientes tam ipsis Iudæis quam quibuscunq; Typographis, Bibliopolis seu mercatoribus, & alijs quibuscunq; Christi fidelib. etiã cuiuscunque status gradus, ordinis, vel conditionis existentibus sub pœnis amissionis librorum, et publicationis omnium bonorum Fisco eius Principis in cuius ditione libri reperti fuerint applicandorum, ac alijs etiam grauioribus, & corporis afflictiuis arbitrio Diœcesani ac etiam Inquisitoris si inibi fuerit, statuendis ac moderandis; necnon quoad Christianos etiam excommunicationis maioris latæ sententiæ per vnumquemque contrafacientem eo ipso incurrendæ, ne huiusmodi libros, & alia scripta superius prohibita vt præfertur retinere, habere, legere, edere, typis excudere seu imprimere, describere vel exemplare, aduehere, emere vendere, donare, cõmutare, aut alias quomodolibet distrahere vel alienare: Neuè quisquam etiam sub prædictis, & alijs pœnis contra fautores Apostatarum à fide & Hæreticorum à sacris Canonibus, & cõstitutionibus Apostolicis inflictis, ipsis Hæbreis pro habendis scribendis seu imprimendis huiusmodi libris, vel vndecunque afferendis seu transuehendis aut pro eorundem legendorum licentia de cetero impetranda, opem, consilium, auxilium vel fauorem præstare aut impendere quoquomodo audeat. Quocirca Venerabilibus Fratribus nostris tam S.R.E. Cardinalibus aduersus hæreticam prauitatem in toto terrarum orbe generalibus Inquisitoribus, quam etiam Patriarchis Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, cæterisque locorum Ordinarijs,

In &

& Inquisitoribus quibuscunque eiusdem hæreticæ prauitatis, in quibusuis Regnis Prouincijs, & Ciuitatibus pro tempore existentibus per Apostolica scripta mandamus quatenus ipsi, & eorum singuli in ciuitatibus Terris, & locis vbi Iudæi commorantur, tam in eorum Synagogis, & locis publicis quam priuatis domibus aut officinis, & alias vbique locorum etiam apud bibliopolas Christianos prædictos, sic prohibitos libros, & scripta per se vel alium seu alios ab eis deputandos diligẽtissimè perquirant, & contra eos qui super retentione huiusmodi culpabiles reperti fuerint ad prædictarum, & aliarum etiam grauiorum eorũ arbitrio pęnarum executionem procedant, Contradictores necnon inobedientes quoscunque[,] eisuè auxilium consilium vel fauorem præstã tes per opportuna iuris, & facti remedia appellatione postposita compescendo, inuocato etiam adhoc si opus fuerit auxilio brachij secularis. Non obstantibus. &c. Dat. Rom. An. Incarn. Dom. 1592. prid. Kal. Mart.

Eosdem Iudæos compellendos esse ab Ordinarijs accedere ad Concionem seu lectionem ipsis ex sacra Veteri lege faciẽdam, post antiqua Pontific. decreta ordinauit Gregor. XIII. sequenti constitutione.

46 *Sancta Mater Ecclesia. & infra. Præsenti constitutione generali præcipimus omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, & alijs Ecclesiarum prælatis, etiam Cardinalatus honore præditis vt in suis quisque ciuitatibus terris, & locis in quibus competens aliquis numerus Iudæorum qui Synagogam constituat, commoratur, curent sabbati, vel alio cuiusque hebdomadis statuto die ad Iudęos ipsos in locum pręstitutum non tamen sacrum, nec vbi sacra confici solent, conuocatos, per aliquem magistrum in Theologia, aliumvè idoneum virum ab eis eligendum, cum mercede congrua illi ex ipsorum hebręorum collatione aut alias prout commodius ei, videbitur, hebraicę si fieri poterit linguę peritum, sermones vel lectiones haberi, in quibus illis exponantur scripturę veteris testamenti. Moysis scilicet, & prophetarum, prę sertim vero quę eo sabbato leguntur seu lectę in eorum sunt synagogis, iuxta sanctorum tamen Patrum interpretationes, & verum Catholicę Ecclesię sensum, ac in eis differatur de veritate Christianę fidei, de certo aduentu, & incarnatione filij Dei, illiusq; natiuitate, vita, miraculis, Passione, morte, Sepultura, descẽsu ad inferos, Resurrectione, in cęlum ascensione, de eius euangelio in toto terrarum orbe per Apostolos eius, & alios Sanctos pręedicato, innumeris atque clarissimis virtutibus, & illustrium miraculorum gloria confirmato, ac de eius spirituali, & vero Regno, & de impio. Idolorum cultu sublato, & gentiũ*

vocatione de perpetua Hierusalem, & terræ eorundem Iudæorum desolatione, tum ipsorum vbique terrarũ dispersione, & captiuitate, & de alijs similis argumenti dogmatib. & articulis ex lege & prophetis. de diutina præterea, & irrita Iudæorum aduentus Messiæ, & carnalis illius Regni expectatione, de vana eorumque sæpe quinimo quotidie eos frustrata est spe reditus in terram promissionis, & restaurationis tertij templi, & demum de multiplicibus, & varijs erroribus, & hæresibus eorum in quas miserrimè se demerserunt, postquam Christum Dominum in carne venientē agnoscere noluerunt: & de falsa per eorum Rabinos tradita sacrarum scripturarũ interpretatione, quarum litteram, & sensum fabulis, mendacijs, & varijs dolis, & modis detorquentes, corruperunt, & deprauarũt, & hactenus corrumpere, & deprauare non desinunt, deque omnibus alijs quæ eos possint ad agnitionem fidei ad errorum suorum correctionem, ad orthodoxamque fidem conuertere, pro loci, temporis, sumptiq; argumēti ratione, prudēter agāt, veris, & ex sacra scriptura deprōptis demōstrationibus, nulla cum obtrectatione aut iracundia, sed magna cum charitate, & modestia, veritatis lumen illis aperire conentur, ad quos sermones, & lectiones volumus vniuersos & singulos vtriusque sexus Iudæos. à duodecim annis supra, infirmitate aut alia legitima causa de qua ordinarios docere debeant non impeditos, in ciuitate, & locis, vt præfertur habitantes, vel aliunde aduenientes etiamsi inibi domicilium non habeant, ita per circuitum conuenire, vt tertia saltem eorum pars. nec vnquam minor semper adsit. Quod si facere neglexerint interdicti cum fidelibus commercij, & alijs pœnis arbitrio ordinarij pro contumaciæ modo imponendis, donec satisfecerint competenter ad ipsos sermones audiendos cōpellantur. Si quis vero de numero fidelium ita fuerit salutis aut suæ aut proximi sui de quo vnicuiq; mandatū est immemor, qui eos à salutaribus huiusmodi sermonib. seu lectionib. directè vel indirectè abduxerit aut impediuerit seu contenderit quoquomodo, excōmunicationis sententia sit eo ipso ligatus, & contra eum ad alias pœnas ordinarij arbitrio omnino procedatur. Cæterum Imperatorem Regesque, & Principes omnes, necnon Respublicas, Magistratus, & Dominos temporales sæculares rogamus, & obtestamur in Domino, vt Patriarchis Archiepiscopis Episcopis, & alijs Ordinarijs prædictis eorumque Vicarijs, & ministris suum in præmissis auxilium præstent, &c. Dat. Romæ, ann. Incarn. Dom. 1584. 3. Kal. Septemb. Pont. ann. 13.

De:

De Simonia.

SVMMARIVM.

47 *Simonia in ordine, & beneficio tantum incurruntur Censuræ.*
48 *Simonia mentali non incurruntur pœnam contra sim. sancita.*
49 *Simonia in ordine grauior quam in beneficio.*
50 *Simoniacus etiam in foro conscientiæ tenetur ad dimissionem beneficij.*
51 *Pœnæ innouatæ contra simoniacos.*
52 *Simoniacus confidentialis quas pœnas incurrat.*

Simonia, quæ censetur esse quoque species hæresis, cap. quoties, de Simon. cap. altare, 1. quæst. 3. à iudice etiam Ecclesiastico venit iudicanda, glo. in cap. cum sit generale, de foro comp. sup. cit. sicul. ib. Aufrer. de potest. sæcul. reg. 4. fall. 17.

Quid autem sit simonia, quotuplex, & quomodo contrahatur, consuli possunt summistæ. Sylu. ver. simonia, Nauar. in Man. ca. 23. à num. 100. Tolet. in sum. lib. 1. cap. 49. Barthol. Vgolin. in suo tract. de simon.

47 Nos breuiter notemus in nulla simonia præterquam contracta in ordine, & beneficio incurri excommunicationem, vel suspensionem, de istis enim solum iura loquuntur, & notat Sylu. lo. cit. quæst. 19. Nau. lo. cit. cap. 23. nu. 106.

Vnde emens Vicariatum seu aliquam administrationem spiritualem Episcopi, parochi, seu alterius beneficiarij licet committat simoniam punibilem à iudice, non tamen istam quæ trahit secum excommunicationem, & inhabilitatem, similiter neque emens pensionem, cum hæc non possint dici propriè beneficia, Nauar. in Manual. lo. cit. num. 111.

48 Item per mentalē simoniam licet contrahatur peccatum mortale iuxta intentionis modum, non incurritur tamen pœna à iure contra simoniacos assignata, neque tenetur ad restitutionē, vel dimissionem beneficij per eam acquirens. Nauarr. cit. cap. 23. num. 103. & 111.

Conuentionali quoque simonia non incurritur excommunicatio, vel aliqua pœna expressa à iure, licet puniri possit illa delinquēs pœna arbitraria iudicis, etiam pœna priuationis beneficij, cum sit multo grauior quam mētalis. Rota diuersorum, decis. 408. num. 1. Nauar. lo. cit. volu. 104.

In Simonia tamen confidentiali sufficeret conuentionalis ad incurrendas pœnas extrauag. Pij IV. & Pij V. Nau. ib.

Aduertendum præterea, quod simoniacus in ordine incurrit, & excõicationem, & suspensionem perpetuam, & in tantum quidem quod amittit non solum executionem ordinis suscepti, sed etiam aliorum ante susceptorum, vt notat Diaz. in prax. cap. 85.

Simoniacus autem in beneficio incurrit excommunicationis, priuationis beneficij, & inhabilitatis ad illud, & similia in posterum obtinenda pœnam, non tamen suspensionem ab exercitio ordinum
49 cum hoc non reperiatur expressum, sed talis obtenta absolutione ab excommunicatione, & beneficio dimisso, liberè potest celebrare. Nauar. lo. cit. num. 111.

Simoniacus item in beneficio, in tm̃ non acquirit ius in tali beneficio, q̃ ẽt in foro conscientiæ, licet non præcesserit senña declaratoria, tenetur ad dimissionẽ ipsius beneficij, & fructuũ perceptorũ restitutionẽ. Tol. in sum. lib. 5. c. 93. Rodriquez in sum. c. 58. Vgolin. cit. tab. 4. c. 6. §. 1. & pœnitentiarius ipsum absoluere non potest nisi
50 velit dimittere beneficium vt patet ex verbis extrauag. Pij IV. super reformatione pœnitentiariæ incip. in sublimi, ann. 1562. 4. Non. Maij, quæ sunt huiusmod.

Caueat etiam pœnitentiarius ne in absolutionibus à simonia reali, vel conuentionali etiam occulta, vnquam concedat, vt ipsi simoniaci beneficia super quibus simoniam commiserunt, seu pecunias, vel alia pro illis accepta, aut fructus exinde post commissam simoniam perceptos in toto, vel in parte retinere possint, quinimo in absolutionibus huiusmodi, apponatur clausula, quod vterque ad beneficium super quo fuit commissa simonia perpetuo inhabilis existat.

51 Pœnas autem contra Simoniacos cit. extrauag. 2. de simo. commun. innouauit Pius V. constitutione, incip. cum primum ex qua aliqua supra circa reuerentiam Diuinorum retulimus, quoad vitium simoniæ, verba illius constitutionis sunt vt sequuntur.

Et vt simoniacæ prauitatis labes prorsus aboleatur, constitutiones antecessorum nostrorum contra simoniacos editas, & præsertim Paul. II. inuiolabiliter obseruari mandamus, & delinquentes tam in sacrorum ordinum receptione, quam in beneficiorum assecutione. statutis etiam inferius pœnis nostra auctoritate affici volumus. Quicunque igitur detestabile crimen simoniacæ prauitatis commisisse conuictus fuerit in conse- quendis

quendis ordinibus, eo ipso sit ab illorum exequutione per decennium sine spe dispensationis suspensus, & per annum carceribus mancipetur. Qui dignitates Ecclesiasticas simoniacè acquisierit, illis sit ipso iure priuatus, & in futurum inhabilis ad eas, & quascunque alias obtinendas. Qui beneficium aut officium Ecclesiasticum simoniacè adeptus fuerit, illis similiter sit ipso iure priuatus, & ad fructuum omnium quos perceperit restitutionem teneatur, & perpetuo sit inhabilis ad ea & quæcunque alia beneficia Ecclesiastica obtinenda. Si quis autem tale crimen pluries commisisse conuictus fuerit, præter supradictas pœnas, etiam corporaliter puniatur, & ab ordinibus Ecclesiasticis degradatus à fidelium consortio eijciatur. Qui vero ordines, & beneficia simoniacè contulerint, pœnis à iure statutis puniantur, cuiuscunque gradus, conditionis, & dignitatis etiamsi Episcopi Archiepiscopi, vel maiores fuerint. Caueant præterea quicunque ne in sacramentorum exhibitione simoniacum aliquid faciat, alioquin grauissimè puniantur per locorum ordinarios, qui huiusmodi criminis reos cum maxima seueritate coercere procurent, iuxta Conc. Tridentini statuta, &c.

Idem Pius V. in executionem decreti Conc. Trident. sess. 24. cap. 14. de ref. contra recipientes aliquid à prouisis de beneficijs, fecit constitutionem tenoris sequentis.

Durum nimis. & infra. Quare nos pro Diuini cultus exercitio simulque euocatorum ad illum auxilio plenius euidentiusque consulendum, fore rati reuocamus, & abolemus omnia, & quæcumque priuilegia consuetudines, & statuta quarumcunque Ecclesiarum Cathedralium Metropolitanarum ac maiorum, necnon collegiatarum, etiam iuramento, cofirmatione Apostolica aut alio quouis præsidio munita, ac etiam supra hominũ memoriam, & longissimo ac quantocunque, tempore etiam continuo obseruata, siue pro soluendis Ecclesiarum, vel prælatorum debitis, siue pro supportandis illorum oneribus, siue alijs etiam maioribus maximis, & vrgentissimis causis concessa, & approbata, ac etiam multiplicatis vicibus innouata, extensa, & moderata, quod vacantibus ipsarum Ecclesiarum dignitatibus, canonicatibus, præbendis, portionibus, beneficij, & officij fructus ac etiam quotidianas distributiones ex eis primo ab ipsa vacatione anno, aut longiore, vel etiam breuiore tempore prouecturi, mensæ Episcopali seu capitulari aliovè loco integrè, vel partim remaneant seu applicentur, aut in communes vsus cedant, seu inter alios canonicos, & personas Ecclesiæ seu capituli diuidantur. Quodque nullus etiam Apostolica auctoritate prouisus in Canonicum recipi aut ad dignitatem seu portio-

portionem, beneficium vel officium admitti, vel alias in eius possessionem induci possit, nisi prius de obseruandis huiusmodi priuilegijs consuetudinibus, & statutis, iuramentum præstiterit, & obtentæ illorum derogationi, ac fructuum, & distributionum perceptioni renunciauerit, seu capitulo, & personis prædictis cesserit, seu (vt appellant) dulciaria aut quid aliud præstiterit. Quorum omnium tenores, causas, & effectus, habemus præsentibus pro expressis, quibuscunque illa concepta sint formulis, necnõ irritantibus & alijs decretis roborata, volentes ea omnia vires, & effectum de cætero non habere. Præcipimus igitur, & interdicimus omnibus Episcopis, Capitulis, Collegijs, & personis ad quas id pertinet, ne post hac fructus aut distributiones huiusmodi, nec prorsus vllã eorum partem retineant, neuè ipsorum cessionem, vel renunciationem aut dulciaria, vel alia quandocunque petant vel exigant, aut quẽquam siue ordinaria siue Apostolica auctoritate prouisum, ad præstandum huiusmodi iuramentum inducant, aut illi prædicta non facienti possessionem impediant, vel remorentur. Quicunque contrafecerint, si Ecclesiarũ Antistites, tamdiu à Pontificalis officij exercitio sint suspensi, donec satisfactione præuia, illis per sedem Apostolicam suspensio relaxetur. Capitula vero, & collegia, quæcunque, Ecclesiastico subiaceant interdicto, ac singulares personæ in excommunicationis sententiam incurrant, à qua nisi in mortis articulo constituti, ab alio quam à Rom. Pontif. absolutionis beneficium nequeant obtinere. Decernentes huiusmodi præstita iuramenta non tenere nec quẽquam illis obligari, quinimo iurantes in huiusmodi censuram incidere, necnon irritum, & inane quicquid secus super his per quoscunque scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Et nihilominus statuimus, vt vbicumque huiusmodi fructus, & distributiones, fabricæ, vel Sacristiæ, vel alterius pij loci vsibus vltra semestre tempus reperiuntur concessi, horum duntaxat dimidia pars ipsi Sacristiæ, vel fabricæ aut pio loco deinceps tribuatur, alteram vero beneficiati prædicti integrè percipiant. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis contrarijs quibuscumque, &c. Cæterum per prædicta non intendimus illis præiudicare Capitulis, collegijs, mensis aut personis, fructus, & distributiones inter vacationem beneficiorum, & eorum collationem, siue possessionis apprehensionem prouenientes ex statuto, consuetudine, vel priuilegio huiusmodi percipientibus, vel retinentibus, quominus ipsi illos interim, vt antea exigere valeant, & habere, &c.
Datum Romæ, anno Incarnatio. Domin. 1570. prid. Kalend. Iul. Pontificat. anno quinto.

52 Contra aliam autem simoniæ speciem circa beneficiorum assecutiones, quæ confidentialis appellatur, tanto grauiores pœnas

mas Pius Quartus, constitutione sua incipien. Romanum, anno 1564. decimoseptimo, kalendas Nouembr. & postmodum Pius Quintus, ordinarunt, quanto facilius tam damnoso crimine delinquebatur. In eo autem maximè grauiores sunt pęnę huius criminis, quia nimirum illo peccans, etiam beneficijs antea obtentis priuatus existit, & beneficium sicqu: sitū remanet sedi Apostol. reseruatum, & quod solis præsumptionibus probari possit, & alia plura vt ex cōtextu constitutionum patet, quæ notat Suarez de censuris. disp. 22. sect. 6. & Paris. in tract. de confiden. benef. præcipuè quæst. 58. à nu. 31. nobis sufficiet referre constitutionem Pij V. illa enim etiam cōtenta Bullæ Pij IV. referuntur. Et sequitur.

Intolerabilis multorum, & infra. Bene quidem, & prouidenter Fe. rec. Pius PP. IV. prædecessor noster ad tollendam fiduciariæ mancipationis beneficiorum Ecclesiasticorum corruptelam, statuit, & decreuit vt ipso iure vacarent Ecclesiæ, monasteria, cæteraque beneficia Ecclesiastica in confidentiam à quibuscunque etiam San. Roman. Eccles. Cardinalibus, cuiusuis personæ contemplatione vel intuitu recepta, liberam illorum dispositionem sibi, & Apostolicæ sedi reseruando.

Nec valerent ipsorum collationes, seu concessiones, nec fructuum, nec pensionum reseruationes, nec facultates illas transferendi, nec regrediendi seu accedendi ad Ecclesias, monasteria, beneficia supradicta, illaque recipientes, fructus, pensiones, & alias res eorundem indebite perciperent, Prohibens quibuscunque etiam sub censuris Ecclesiasticis ne quid huiusmodi amplius auderent. Ac etiam decreuit omnes, & quascunque prouisiones, præfectiones, collationes, commendas, & alias dispositiones de Ecclesijs Monasterijs, & beneficijs, necnon reseruationes fructuum, pensionum, rerum, & iurium, ac etiam transferendi, regrediendi, accedendi, & ingrediendi, aliasque facultates siue per se siue futuros Romanos Pontifices, etiam motu proprio ac Consistorialiter, siue etiam per ordinarios collatores, etiā ad patronorū præsentationē, cū interuentu confidentiæ huiusmodi, siue expressè, siue occultè ac de iure præsumpto, & alias cōtra prædicta pro tempore factas, nullius momenti fore, nec cuiquam suffragari, sed Ecclesias Monasteria, & beneficia huiusmodi ipso iure vacare, ac prædicta dispositioni reseruata esse, sicque per quoscunque etiam per præsumptiones, & coniecturas legittimas, & alias eorum arbitrio procedendo (cum alioqui confidentias huiusmodi in lucem erui, & probari non posse constaret) iudicari, & definiri debere, necnon irritum & inane quicquid secus contigerit attentari, quemadmodum confectis super his litteris fuis plenius continetur. Verumtamen propter improbas multorum cupiditates,

tes,

tes, prædictæque ad purgandam hac pernicie Ecclesiam, & animarum salutem ab ipso prædecessore edita sunt, in multis deprehendimus viam aperuisse grauius delinquendi. Siquidem cum frequentibus plurium quęrelis pridem concitati, quod Iudices in causis huiusmodi confidentiarum expediendis remissiores essent, omnes, & singulas causas ipsas vbicunque, & inter quoscunque motas ad nos aduocauissemus ac omnimodam huiusmodi causarum præsentium, & futurarum, rerumque omnium ex ipsis resultantium cognitionem nobis, & successoribus nostris reseruauissemus, & super quibusdam coram nobis processum fuisset, varijs inde nec leuibus coniecturis intelleximus, vitium quidem confidentiæ occultè irrepsisse, sed in plerisque causis præsumptiones, & cõiecturas quæ ad illud probandum deducuntur, minimè sufficere, eiusque rei causa plurimos qui ante litterarum prædictarum editionem huiusmodi confidentiam exercebant, vbi cognouerunt obstructam veritatem propter difficultates probandi in iudicijs, confidentias ipsas contempta constitutione prædicta, ecclesias, monasteria, & beneficia sic recepta vt prius retinere, alios fructus, pensiones, & alias res percipere, alios eorum exemplo ad similia, & grauiora fidentius commoueri. Multi enim ipsa beneficia iure retinere nequeuntes, alij ne cogantur ad sacros ordines, ad residentiam, ad incedendum in habitu clericali, vt ad bellum proficiscantur, vt inimicos occidant: alij vt aliena nomine lites agant aut defendant, alij propter crimina incapaces: quidam vt purgato delicto vel absolutione consequuta, illa repetant, eadem in alios deponũt, & in plerisque fructus ipsorum aut eis ministrantur, aut quibus ipsi statuunt, sæpè Laicis, & inhabilibus. Plerique vel senes vel infirmi vt beneficia in domibus suis perpetuent, illa renunciarunt, & renunciant in alios, qui vel profanam familiam eccedentium de fructibus ecclesiasticis alant, vel illa etiamnum infantibus aut nascituris asseruent, facta interdum circuitu retrocessionis, cum reseruatione fructuũ, & aliarum rerum, aut accessu, præsertim ab illis qui pręstandorum Iurium Cameræ Apostolicæ sunt immunes: alij aut incapaces aut alijs beneficijs ecclesiasticis onusti, aut ecclesiastico ordini sese mancipare refugientes, aut mere laici beneficia ecclesiastica alijs conferẽda procurant, vt de illis postmodum ad libitum suum disponatur, fructus etiam percipientes illorum. Ad hæc plerique ordinarij, & alij collatores ac etiã patroni laici curant deponenda beneficia, vt fructus seu pensiones capiãt eorundem, alijsque faciant ministrari. Alia item permulta eiuscemodi admittuntur, quibus immaculata rerum Diuinarum puritas impie violatur, disciplina ecclesiasticæ neruus dirumpitur, & imminens patratur exitium animarum. Quare nos volentes periculosam talium audaciam noui iuris subsidio cohibere, præsentium auctoritate statuimus vt si quis

quacun-

quacunque auctoritate ecclesiam vel monasterium aut aliud beneficium ecclesiasticum qualecunque ex resignatione vel cessione cuiuscunque personæ simpliciter aut cum circuitu retrocessionis, cum regressu vel accessu, etiam sola dimittentis intentione receperit, vt illa vel illud etiam in euentum regressus vel accessus, eidem dimittenti vel alteri postea conferatur, aut illius fructus, vel eorum pars alij vel alijs concedantur, vel pẽsiones soluantur ex eisdem, hæc confidentia censeatur. Itidem si ordinarius vel alius collator contulerit ante hac, aut conferat in futurum beneficium ecclesiasticum quouis modo vacans, ea conditione tacita vel expressa, vt postea in alterum pro arbitrio collatoris, seu alterius cuiuscunque contra iuris communis ordinationem disponatur, siue vt de eo prouisus, fructus illius vel partem ad vtilitatem vel libitum cõferentis vel cedentis aut alterius relinquat, & remittat, seu pensionem illi vel illis quẽ vel quos idem collator aut cedens per se vel alium scripto aut verbo iusserit seu significauerit, persoluat, & pariter si à patrono etiam laico vel altero præsentatore seu electore contigerit id fieri. Ad hæc si clericus prædictæ Cameræ aut Cardinalis aut alius à solutione iurium ipsius Cameræ vel etiam Cancellariæ Apostolicæ exemptus, post resignationẽ vel cessionem alicuius extranei de ecclesia Monasterio vel alio beneficio Ecclesiastico, in se Apostolica vel alia auctoritate factam, & admissam, illam vel illud etiam confectis litteris Apostolicis, & possessione apprehensa in eundem resignantem vel cedentem, modico spacio interiecto, veluti duorum aut trium mensium retrocesserit, aut retrocedat in futurum, & ex illa retrocessione fructus Ecclesiæ seu monasterij aut beneficij, vel eorum pars seu pensio, seu quid aliud super illis reseruatum, aut regressus seu accessus, & ingressus ad illam vel illud, ipsi clerico vel Cardinali aut alij exempto sit fuerit vè concessus. Postremo si quis crimine aliquo absolutus, aut cum quo super irregularitate dispensatum est, denuo receperit quacunque auctoritate Ecclesiam Monasterium vel aliud beneficium Ecclesiasticum quod ante vel post commissum delictum aut contractam irregularitatem dimiserit, in quouis horum casuum confidentiæ prauitas sit contracta; casusque huiusmodi litteris prædictis comprehendantur, ac si illis speciatim expressi fuissent, licet ipsum confidentiæ crimẽ alterius tantum partis conscientia sit admissum. Ad probandum vero plenè confidentiarum abusum inter alia etiam hæ præsumptiones, & coniecturæ habeantur legittimæ, videlicet si quis post cessam ab se Ecclesiam vel Monasterium aut beneficium, & publicatam resignationem, seu cessionem, captamque à successore possessionem, sese in illa vel illo, seu rebus illius per se vel alium seu alios de facto ingesserit, aut fructus perceperit, aut quicunque successor illi, vel eius propinquis ipsos aut partem aliquã

Nn remi-

remiserit eorundem, si recipiens beneficium constituerit dimittentem, vel eius parentes aut propinquos procuratores ad percipiẽdum, vel locandũ fructus beneficij dimissi, & illi vel illis de fructib. perceptis aut percipiendis donationem fecerit. Si vel sola procuratoris depositione, vel libris rationalibus mensariorum ex parte dimittentis, expeditio, quæ personam recipientis concernit prosecuta sit, simulque expensæ pro ea necessariæ ab illo factæ fuerint. Denique si quis pro concessione alicui facta quacunque auctoritate de beneficio Ecclesiastico per se, vel alium seu alios intercesserit, vel alias in negotio concessionis sese immiscuerit quoquomodo, deinde aliquid de fructibus talis beneficij de facto etiam per manus possessoris ac etiam simplicis donationis titulo perceperit, seu de illa postmodum ad voluntatem intercessoris fuerit dispositum quandocunque. Testes autem de quaq; re singulares, singulas probare valeant præsumptiones, & coniecturas, pluresque huiusmodi præsumptiones, & coniecturæ plenam probationem faciant in prædictis. Cæterum criminosi, & cæteri omnes, qui ad perhibendum in casibus simoniæ testimonium recipi possunt, ad prædicta omnia admittantur. Sed ne quisquam etiam vana fiducia fretus non intendendi contra se iudicij in crimine perseueret, vtque hoc malum grauioris censuræ stimulo vsquequaque probibeatur, omnes & singulos, qui hucusque Ecclesias, monasteria, beneficia, fructus, pensiones alias vè res, intercedente hoc confidentiæ vitio receperunt, ac retinent, nisi statim ad se reuersi, & resipiscentes celeri dimissione sibi prospexerint, & quiquid talẽ admiserint in futurũ etiam omnibus, & singulis alijs Ecclesijs, monasterijs, dignitatibus, administrationibus, officijs, & beneficijs obtentis, quæ pariter sub dicta reseruatione comprehendi volumus, necnon fructibus pensionibus, & alijs rebus Ecclesiasticis, ac etiam Rom. Curiæ, & alijs officijs temporalibus præsentium auctoritate priuamus, & ad futuras inhabiles decernimus, & in iuris subsidium excommunicationis sententia innodamus, à qua nullus nisi in mortis articulo constitutus ab alio quam à Rom. Pont. absolutionis beneficium valeat obtinere. Nos enim aduocatione causarum huiusmodi, & reseruatione cognitionis illarum, rerumque omnium inde emergentium, nobis & prædictis successoribus, vt dictũ est, facta (causis illis dũtaxat exceptis, quæ iã coram nobis pendere noscuntur, ac etiam ijs quas ratione Ecclesiarum, & monasteriorũ quorũ dispositio in consistorio fieri consueuit, aut debet, itemq; cõtra ordinarios collatores Episcopos, & alios superiores Prælatos, etiam Cardinales haberi contigerit, vti iam alijs nostris litteris statutũ est, audiendis decidendis, & terminandis) harum serie prorsus relaxata, decernimus ita deinceps quoscunque iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarũ Palatij Apostolici Auditores, ac prædictæ Rom. Ecclesiæ Cardinales, sublata

lata

lata eis & ipsorum cuicunque quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate vbique iudicare, interpretari, & definire debere, necnon irritum, & inane quicquid secus in prædictis per quoscunq; quauis auctoritate scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Quocirca omnibus locorum ordinarijs districtius iniungimus, vt in suis quisque Ecclesijs, ciuitatibus, Diœcesibus & locis etiam exemptis ad prædicta studiosè attendant, & quatenus illis relaxauimus in delinquentes seuerè animaduertant, si Diuinæ maiestatis iudicium, dictæque sedis censuram voluerint euitare. In cæteris vero causis, & negotijs (nobis & prædictis successoribus exceptis) eosdem locorum Ordinarios præsentium auctoritate delegamus, vt gratia, & fauore postpositis, pro se quisque cum venerit vsus contra prædictos omnes sub ipsa exceptione comprehensos, diligenter inquirant, suoque inquisitiones omnes sigillo obsignatas ad prædictam sedem quamprimum transferant, vt nos, & prædicti successores in causis huiusmodi procedentes, quod iustum fuerit decernamus. Nos enim singulis ordinarijs ipsis prædictos omnes, & quoscunque alios etiam exẽptos, etiam per edictum publicum, constito prius summariè, & extraiudicialiter denon tuto ad illos accessu, citandi, monendi, eisque ac iudicibus ordinarijs, & delegatis alijsque personis quibuscunque ne prædictorũ executionem quoquomodo impediant, vel alias in illis sese interponãt etiam per simile edictum inhibendi, eosdemque alios contradictores, & rebelles quoscunque per censuras, & pęnas Ecclesiasticas ac omnia alia iuris, & facti remedia oportuna, compellendi, auxilium brachij sæcularis, quandocunque opus erit inuocandi, cæteraque in prædictis omnibus & singulis necessaria faciendi, & exequendi, plenam, & liberam tenore præsentium concedimus facultatem. Non obstantibus, &c. Dat. Romæ, ann. Incarnat. Dom. 1569. Kal. Iun. Pont. ann. quarto.

De immunitate Ecclesiastica.

SVMMARIVM.

53 *Immunitas Ecclesiæ in quibus attendenda.*
54 *Ecclesia non consecrata, gaudet immunitate.*
55 *Confugientes rei ad Ecclesiam quomodo tractandi.*
56 *Clerici non tenẽtur ad onera personalia imposita à Principe sæculari.*
57 *Clerici non tenentur ad tallias, & gabellas de eorum bonis.*
58 *Clerici ad quæ onera obligantur.*

CAusæ immunitatis Ecclesiasticę pertinent quoque ad iudicem Ecclesiasticum, cap. conquestus, lo. cit. de foro comp. immuni-

tas autem Ecclesiastica consistit primo in obseruatione decentis cultus ipsius loci Ecclesiæ. Ad quod facit quod in Ecclesia causæ san-
53 guinis, & negotia tractari non debent; cap. accusatio. 2. quæst. 7. c. cum Ecclesia, de immunit. Eccle. & sententia à laico in Ecclesia lata est ipso iure nulla, c. decet. tit. eo. in 6.

Ecclesia præterea incastellari non debet seu muniri vt in ea defensiones vel militum receptacula fiant, instante tamen necessitate graui, posset hoc concedere Episcopus, dummodo cessante necessitate incastellatio quoque cesset. Hostien. in summa. titulo. citat. numero. 6.

54 Et non solum Ecclesia consecrata, sed & nondum consecrata in qua tamen Diuina peraguntur, & etiam interdicta, gaudet immunitate. cap. Ecclesiæ. tit. cit. ibique doctores communiter. Item, & palatium Episcopi si fuerit ædificatum intra quadraginta passus ab ipsa Ecclesia. Couar. var. ref. lib. 2. cap. 20. nume. 5. Quoad hospitalia autem, & oratoria priuata attendendam esse loci consuetudinem, docet Abb. in cap. Ecclesiæ. tit. cit. Couar. loc. cit. num. 4. qui dicit in plerisque locis immunitatem hanc attendi solùm in Ecclesijs in quibus expositum tenetur SS. Eucharistiæ Sacramentum ad publicam venerationem.

Vel præcipuum autem est immunitatis Ecclesiarum priuilegiũ, quod ad eas confugientes inde extrahi non possunt, cap. inter alia. tit. cit. Circa quod multas, & quotidie plures nascentes controuersias, sopiuit Greg. XIIII. constitutione sua circa protectionem ad
55 Ecclesias confugientium perpetuo obseruandam, tenoris sequentis.

Cùm alias nonnulli prædecessores nostri, & præsertim fel. rec. Sixtus. PP. V. & infra. Hac igitur nostra perpetuo valitura constitutione, omnia & quæcunque priuilegia indulta, & gratias, tam per prædictum Six. ac Pium. V. quam alios quoscunque nostros prædecessores aut nosmetipsos Sedemque Apostolicam eiusvè Legatos, super abducendis vel extrahendis ab Ecclesijs, Monasterijs, Sacellis, domibus Regularibus, & sæcularibus; locisvè sacris aut Religiosis, aliasque in casibus à iure permissis hominibus certorum tunc expreßorum vel non expressorum criminum reis aut fraudulentis decoctoribus, etiam in odium certorum delictorum, & pro bono, pace & quiete publica, & ex causis vrgentissimis ac necessarijs, & æquipollentibus casibus in iure expressis, atque ex paritate, identitate aut maioritate rationis extensis, perpetuo vel ad certum nondum elapsũ tempus, seu ad vitam alicuius Principis, aut beneplacitum, seu alias quo-

modo

modolibet concessa, etiam iteratis aut multiplicatis vicibus approbata, & innouata ac vsu recepta, litterasque Apostolicas sub plumbo aut in forma Breuis seu alias quomodocunque desuper cōfectas, quarum tenores hic haberi volumus pro expressis ac ad verbum insertis, sublata penitus omni differentia, ita ad vnam tātum formam reducimus, & moderamur, vt laicis ad Ecclesias locaque sacra, & Religiosa prædicta confugientibus, si fuerint publici latrones, viarumque grassatores, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, ac viatores ex insidijs aggrediūtur, aut depopulatores agrorum, qui vè homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesijs earum vè cemeterijs committere non verentur, aut qui proditorie proximum suū occiderint, aut assasini, vel hæresis aut læsæ Maiestatis in personam ipsiusmet Principis rei, immunitas Ecclesiastica non suffragetur. Sed vniuersis, & singulis Venerabilibus fratribus nostris Patriarchis Primatibus Archiepiscopis Episcopis cæterisque Ecclesiarum, & Monasteriorū prælatis, tam sæcularibus quam cuiusuis Ordinis Regularibus districtè præcipiendo mandamus, & præcipimus vt laicos in casibus prædictis delinquentes, ad eorum Ecclesias, monasteria, domos, & alia loca supradictà sacra seu Religiosa respectiuè cōfugientes, & in eis se recipientes atque morantes, qui prædictà delictà eorumvè aliquod iudicio suo commisisse videbuntur, quando à Curia sæculari fuerint requisiti, & quilibet eorum fuerit requisitus, ministris, & officialibus curiæ sæcularis absque irregularitatis nota aut alicuius censuræ Ecclesiasticæ incursu, tradi & consignari curent, & faciant, & quilibet eorum curet, & faciat. Ne autem Curiæ sæcularis ministri prædicta facultate illos per se & propria auctoritate extrahendi, & abducēdi sibi olim vt præfertur attributa, & per præsentes reuocata, abutantur, volumus dictaque authoritate decernimus, & declaramus, vt curia sæcularis eiusque Iudices, & officiales ab Ecclesijs, Monasterijs, locisque sacris prædictis, laicū aliquem vt præfertur delinquentem, in vllo ex casibus supradictis sine expressa licentia Episcopi vel eius officialis, & interuentu personæ Ecclesiasticæ ab eo authoritatem habentis, ad quos solos, & non alios episcopis inferiores, etiamsi alias Ordinarij sint aut nullius Diæcesis, aut cōseruatores ab hac sede specialiter vel generaliter deputati, prædictam licentiam dandi, facultas pertineat, occurrente autem casu in loco exēpto, & nullius Diæcesis, tunc ad episcopum viciniorem deuoluatur hæc cognitio, & non ad alios, capere, extrahere, aut incarcerare non possint, nisi eo casu quo ipse Episcopus, & dictæ personæ Ecclesiasticæ requisitæ, illos in delictis superius expressis culpabiles, tradere, aut capturæ, carcerationi interuenire, & assistere recusauerint, tuncque reuerentiæ Ecclesiæ, & locis sacris debitæ memores, prædictos delinquen-

quen-

quentes minori quo id fieri poterit cum scandalo, & tumultu extrahere curent. Quodque delinquentes laici prædicti postquam, vt præfertur ab Ecclesiis locis vè sacris extracti, & capti fuerint, ad carceres Curiæ Ecclesiasticæ reponi, & inibi sub tuto, & firmo carcere, ac oportuna custodia, data illis si opus fuerit per Curiam sæcularem, detineri debeant, nec inde extrahi, curiæque sæculari prædictæ cõsignari, nec tradi possint, nisi cognito prius per Episcopum seu ab eo deputatum, an ipsi verè crimina superius expressa commiserint, tuncque demum de mãdato Episcopi per iudicẽ Ecclesiasticum Curiæ sæculari quacunq; appellatione postposita, consignentur. De crimine vero Hæresis cognitio ad forum Ecclesiasticum tota pertineat, neque in ea curia sæcularis se quoquomodo intromittat, sicuti etiam prohibemus ne contra Ecclesiasticas personas sæculares aut cuiusuis ordinis, vel militiæ etiam S. Ioannis Hierosolimitani regulares, quoquomodo etiam vigore prædictorum priuilegiorum: indultorum aut concessionum, quæ omnia ad terminos iuris per præsentes reducimus, procedant, aut se intromittant, illas vè ab Ecclesijs, monasterijs Domibus, locisque sacris aut religiosis etiam in casibus in hac constitutione expressis, extrahere abducere, capere, carcerare, aut cognoscere de criminibus ad forum Ecclesiasticum pertinentibus, alias quam de iure & per priuilegia eisdem ordinibus aut militijs concessa permittitur, quomodolibet præsumant. Quod si quis quacunque dignitate, & auctoritate præditus, præmissorum aut alio quouis prætextu, quicquam præter aut cõtra huius nostræ Constitutionis tenorem attentare præsumpserit, declaramus eum ipso facto censuras & penas easdem incurrere, quæ contra libertatis, iuris, & immunitatis Ecclesiasticæ violatores per sacros Canones & Conciliorum generalium nostrorumque prædecessorum Constitutiones sunt promulgatæ, sicque per quoscunque Iudices, &c.

Non obstantibus, &c. Dat. Romæ. an. Incar. Dom. 1591. 9. kal. Iun.

Immunitas Ecclesiastica attenditur quoque in personis Ecclesia
56 sticis. vnde vt vidimus supra clerici exẽpti sunt à iurisdictione laicorum. Non tenentur etiam ad onera merè personalia per laicos imposita, & hæc dicuntur, quæ animi prouisione, & corporali labore absoluuntur, l. fin. ff. de mu. & hon. Et ne quidem ad ea tenentur, quæ sunt honesta non sordida, vt ad officia sæcularia, legationes, curas, tutelas, cap. generaliter, 16. quæst. 1. possunt tamen si volunt recipere tutelam legittimam, cap. peruenit, 86. distinctione. Non tenentur item ire ad bellum, vt pugnent, etiam instante necessitate, Abb. in cap. peruenit, tit. cit. de immun. Eccles.

Eodẽ modo liberi sunt ab oneribus realib. siue quæ rõne bonorũ

per

per ipſos poſſeſſorum præſtanda viderentur, neque tenentur ad talias ſeu collectas laicorum, cap. non minus, hoc.tit.cap.1.eo.titu.in 6. Imo sæculares magiſtratus, imponentes clericis huiuſmodi collectas incurrunt hodie cenſuras Bullæ Cænæ Domini, vt in ipſius cõtextu videre licet.

Non tenentur etiam ad gabellas pro frumento, vino, & alijs fructibus ex propriis eorũ præbendis collectis, Abb. in cit. cap. non minus. Bal. in l. placet, C. de ſacroſ. Eccleſ.

Neque tenentur contribuere pro reparatione murorum, ſeu fortificatione ciuitatis, vel dare albergum, ſeu hoſpitium militibus. Innoc. in cap. 1. hoc. tit. Sicul. ib. & conſ. 3. Aufrer. in repet. 1. de offic. ord. not. 3. Et non ſolum ipſi, ſed & ipſorum familiæ, & coloni gaudent hac immunitate, cap. generaliter, 16. q. 1. cit.

In aliquibus tamen caſibus non ſuffragatur ipſis hæc immunitas, nam inſtante graui neceſſitate tenentur ad murorum cuſtodiam, &
58 vigilias, cap. peruenit, hoc tit. Tenentur ad ſoluenda tributa ſeu cẽſus bonis ipſorum antequam deuenirent ad Eccleſiam impoſitos, & annexos, bona enim tranſeunt, cum onere, glo. in ver. bonorum, cap. 1. hoc tit. in 6. cap. ſi tributum, 11. quæſt. 1. Abb. in cap. fin. de vita & honeſt. cleric. & ad ſolutionem huiuſmodi onerum poſſunt compelli per iudicẽ laicũ. vt probat Aufr. de põt. ſæc. reg. 2. fallẽ. 27.

Eadem ratione tenentur ad albergum ſeu hoſpitium dandum laicis, ſi domus peruenit ad ipſos, quæ tenebãtur ad hoſpitium præſtandum, Hoſt. in ſum. hoc tit. num. 7. Innoc. in cap. 1. ib.

Item tenentur ad onera, quæ naturali ratione ſequuntur res poſſeſſas, vt ad reficiendum, mundandum viam ante domum ſuã. Barr. in l. ad inſtructiones, C. de Sacr. ſanct. Eccleſ. cit. Similiter tenentur cõtribuere pro rebus ex quibus ipſimet percipiunt emolumentum, vt pro purgando flumine, puteo, ex quo aquam hauriunt, ſoluere gabellam impoſitam pro reparatione ſiue conſeruatione põtis, viæ, quam ipſi quoque eundo carris ſuis deſtruunt, l. ad inſtructiones, cit. Felin. in cap. Eccleſia S. M. de conſt. num. 105. alias circa iſta cõſuetudo loci eſt attendenda, vt docet Hoſt. lo. cit. num. 4.

Tenentur etiam ad ſolutionem gabellarum ſi negotiationẽ exerceant, vel ferant ſeu tranſmittant res alienas, cap. fin. de vita & honeſt. cler. cap. quanquam. de cenſib. in 6. Felin. lo. cit.

Tenentur item inſtante graui neceſſitate ad murorum, & fortificationis reparationem vbi laicorum facultates non ſuppetunt, & pro ſuccurſu neceſſitati Principis. Sed his & ſimilibus caſibus non neceſſitate aſtringi, ſed ſponte quantum ipſimet iudicauerint, & nõ niſi

nisi ad præceptum Episcopi, & Apostolica sede consulta, offerre debent. c. aduersus. hoc tit. ibiq; Innoc. in cap. non minus. Vbi tamen ageretur de priuata vtilitate cleri, vel esset periculū in mora etiā non expectato Apostolicæ sedis assensu hoc fieri posse notat Ang. verb. immunitas, nu. 37. circa finem.

Ad extremum si Ecclesia vel Clericus obtineat feudum à laico, tenetur ad omnia onera, quæ ratione ipsius feudi debentur, & cogi potest per Dominum feudi ad illorum prestationem. Innoc. in c. verum. de foro comp. Host. loc. cit. nu. 4.

De Decimis.

SVMMARIVM.

59 Decimarum causæ expediendæ processu summario.
60 Ad solutionem decimæ quilibet obligatur.
61 Decimæ cui Ecclesiæ sint soluendæ.
62 Decimam præscribere potest Ecclesia contra aliam Ecclesiam.
63 Priuilegio potest obtineri libertas à solutione decimæ.
64 Decimæ quota, consuetudine moderari potest.
65 Decimæ personales præscribi possunt.
66 Consuetudo præscripta non soluendi decimas toleratur ab Ecclesia.

Cognitio causæ decimarum cum sit de re spirituali ad forū spectat Ecclesiasticum, c. peruenit, cap. tua nobis, de decimis. Cum videlicet quæstio fundatur in articulo Iuris seu agitur petitorio. Si vero agatur possessorio, & in facto tantum, etiam per laicum cognosci posset. Dec. in cap. decernimus, de Iud. à nu. 24. Felin. in cap. causam quæ. de præscript. num. 15. Nau. consil. 1. de const. non priuatiuè ad Iudicem Ecclesiasticum sed ita vt detur locus præuentio
59 ni. Feder. de Senis consi. 245. Et debet expediri summariè. Clem. dispendiosa. de Iudic. neque in ea appellatur. cap. tua nobis, cit. Maran. par. 6. de appell. num. 293.

Quoad effectum videlicet suspensiuum, cum quis fuit in possessione, & agit possessorio, quominus vtatur possessione, appellatione impediri non potest; secus quo ad effectum deuolutiuum, & vbi agitur de proprietate seu Iure percipiendi decimas, tunc enim appellare licet. gl. in cit. cap. tua nobis, verb. tributa. Marches. de com miss. c. 4. nu. 15.

Ad so-

60 Ad solutionem autem decimarũ quilibet obligatur, vt late probat Innoc. in cap. vlt. de Paroch. & prædicantes aliquid quo populus abstrahatur à solutione decimarum, incurrunt ipso facto excõmunicationem. clem. vlt. de pœnis.

Debent solui, licet Ecclesia fuerit diues ex alijs prouentibus, nõ enim releuatur debitor à soluẽdo ex eo quod suus creditor sit opulentus. Couar. lib. 1. var. res. c. 17. nu. 4.

Solui debent non deductis expensis aut semine, cap. non est. cap. tua nobis, hoc tit.

Deferri debent ad horrea clericorum, vel si fuerit loci consuetudo contraria, illa seruanda est. Couar. loc. cit. nu. 8. Eadem consuetudine regulari oportet circa ipsam decimationem, vt laici nõ colligant fructus, nisi in præsentia clerici seu ipsius procuratoris, & decima soluta: vel è contra prius fructus liberè in horrea condant, & post demum soluant decimas secundum quod loci fuerit consuetudo. Guid. Papæ. consil. 285. nu. 1. Couar. loc. cit.

61 Soluendæ autem sunt Ecclesię Parochiali intra cuius limites prædium est situm, cap. cum contingat hoc tit. Host. in sum. ibid. nume. 4. In dubio autem vel vbi locus nulli fuerit subiectus Parochiæ, pertinent ad Episcopum, ille enim cum sit vniuersalis Parochus Diæcesis suæ, concurrit in emolumentis cum Parochis, & est dispensator omnium decimarum, cap. quoniam, hic. cap. in sacris. 16. quæst. 1. Imo & ex qualibet decima Parochiali debita, quartam sibi retinere potest, cap. quatuor. 12. quęstio. 2. nisi contra ipsum Parochus longa consuetudine contraria præscripserit, cap. quoniam, cit.

Et debentur decimæ nõ solum à laicis sed etiam à clericis de eorum prædijs siue Ecclesiasticis, si intra alienam Parochiam fuerint sita, siue patrimonialibus, cap. si quis laicus. cap. questi sunt. 16. q. 1. cit. Et à monachis, cap. commissum, hoc tit.

Et à Iudæis si prædia colant ex quibus decima debetur, cap. de terris, ibid.

62 Potest tamen consuetudine vel præscriptione legittima induci vt decima vni Ecclesiæ debita, alteri Ecclesiæ soluatur, cap. ad aures, de præscript. cap. ad Apostolicæ, cap. cum contigat. hoc. lo.

Non tamen vt debeatur Regularibus, isti enim decimam Ecclesiæ Parochiali debitam percipere aliqua consuetudine seu præsciptione non possunt, cum de iure sint incapaces decimarum, c. peruenit. 16. quæst. 1. cit. cap. nuper. hoc tit. iun. gloss. verb. componendum, nisi habeant adiũctam vnitam Ecclesiam Parochialem. Host. loc. cit. num. 10.

Oo Possunt

Possunt item clerici contra clericos eadem cōsuetudine seu præscriptione obtinere libertatem à solutione decimarum de eorum prædijs etiam patrimonialibus. Couar. loc. cit. nu. 9.

63 Priuilegio quoque Ecclesia siue clericus liberari potest à solutione decimarum, cap. ex parte, c. ad audientiam, hic. Similiter & Regulares; vnde Mendicantes multis summorum Pont. priuilegijs fuerunt liberati à solutione huiusmodi de terris ab ipsis excultis, item & multi alij Regulares, & sæpe ipsorum quoque coloni, quo casu informatio est petenda ex inspectione priuilegiorum ipsorum Regularium, & iuxta præscriptum illorum, exemptio huiusmodi est moderanda, vt notat. gloss. verb. excolendas, in Clem. 1. de decim. ibidemque Anchar. Imol. Card. & Abb. in cap. ex parte, nume. 5. de decim.

Derogationem Solum. cap. nuper. de decimis. à Greg. XIII. in fauorem Religionis Patrum Soc. Iesu factam, hic per extensum ponere libuit, vt pote in hac materia singularem, & in praxi sæpius necessariam, vt sequitur.

Greg. PP. XIII. ad perpetuam rei memoriam.

Pastoralis officij, & infra. Exponi siquidem nuper nobis fecit dilectus filius Euerardus Mercurianus Præpositus generalis Soc. Iesu; quod licet alias fe. rec. Paulus PP. III. prædecess. noster, volens dictam Soc. per eum authoritate Apostolica institutam, & approbatam, illiusque socios fauore prosequi gratiæ specialis, inter alia eidem Soc. & socijs dicta authoritate concessit ac indulsit, vt de ijs quæ in ornamentis, aut pro eis, seu libris, fabrica, luminaribus, vel victu aut indumentis eorum, necnō annuis censibus redimendis, ad quorum solutionem aliquæ domus ipsius Societ. obligatæ forsan existebant, ac de domibus, & Collegijs, eorumque prædijs, hortis, & alijs locis eisdem socijs iuxta eorum viuendi institutum habere concessis, aut de ijs quæ pro huiusmodi rebus, domibus Collegijs, prædijs, locis, & hortis emendis, per quascunque personas pro tempore legari aut relinqui contingeret, & alijs bonis quibuscunque per dictam Soci. & illius Collegia possessis, & obtentis aliquam decimam etiam Papalem soluere, seu Canonicam portionem exhibere, aut ad præstationem procurationum legatorum dictæ sedis, vel Nunciorum ipsius, seu ordinariorum locorum, aut exactionum, collectarum vel subsidiorum seu prouisionum quarumcunque minimè tenerētur, nec ad id per litteras sedis vel legatorum seu Nunciorum, aut Diœcesanorum prædictorum, cuiuscunq; tenoris forent, nullo vnquam tempore compelli possent, nisi ipsæ litteræ

Apostolicæ

Apostolicæ plenam,& expressam,ac de verbo ad verbum de indulto,& concessione huiusmodi ac de eorum ordine mentionem facerent,& si forte per ipsum prædecessorem vel dictam Sedem de ijs legatis, dispositis, & relictis in genere vel specie decima vel altera portio seu quarta alteri piæ vel non piæ causæ quomodolibet eatenus concessa esset,vel illam in posterum concedi,seu solui aut dari mandari contingeret,socios prędictos aut illorum domus,& bona quæcunque,necnon eis legata,& relicta,aut alias in eorum fauorem disposita in concessionibus,& mandatis huiusmodi decreuerit,& voluerit minimè comprehendi,nisi de ipsis ac suis decreto,& voluntate huiusmodi non per clausulas generales idem importantes,sed vera,expressa,& specifica mentio fieret in eisdē. Et successiuè piæ me.Pius PP.IV.etiam prædecess.noster exemptionem ac cum omnibus, & singulis in eis contentis clausulis litteras ipsius Pauli prædecess.desuper confectas,necnon inde sequuta quæcunque per suas litteras ex certa scientia confirmauerit, approbauerit, & etiam plenariè innouauerit,ac pro potiori cautela vniuersam Soc.prædictam omniaque, & singula illius domos etiam probationis,& collegia vbilibet consistentia,præsentia & futura,eorumque personas,fructus,reditus, & prouentus,etiam bonorum ecclesiasticorum sæcularium,& Regularium quorumcūque illis pro tempore vnitorum,aliasque res,& bona quæcūque à quibusuis decimis etiā Papalibus,prædialibus,personalibus,quartis,medietatibus, & alijs fructuum partibus,subsidijs etiam charitatiuis,& alijs Ordinarijs oneribus etiam pro expeditione contra infideles,defensione patriæ ac alias quomodolibet,etiam ad Imperatorum,Regum,Ducum, & aliorum Principum instantiam pro tempore impositis,etiamsi in illorum impositione caueretur, quod nulla prorsus exemptio cuiquam aduersus illa suffragaretur,ita quod Societas,eiusque domus etiam probationis,Collegia, fructus,res,& bona præfata semper ab illis absque declaratione desuper facienda excepta essent,& esse censerentur,perpetuo liberauerit,& exemerit,prout in singulis litteris prædecessorum huiusmodi plenius cōtinetur. Nihilominus quia in illis nulla de constitutione recolendæ me.Innoc.PP. III.similiter prædecess.nostri in Concilio generali super decimis edita,quę incipit.Nuper. expressa,& specifica mētio facta,nec eis specialiter,& expresse derogatum fuit,idem præpositus dubitat singulas litteras prędictas de subreptionis seu nullitatis vitio notari,ac Societati illiusque domibus Collegijs,& personis prædictis minus vtiles reddi, aut illa super exemptione huiusmodi molestari vel perturbari posse tempore procedente. Nos igitur qui votiuum ipsius Soc. profectum sincero paternæ charitatis affectu libenter prosequimur,eidem Soc.illiusque domibus etiam probationis,Collegijs,& personis,ne propterea dictarum litterarum frustren-

tur affectu opportunè prouidere volentes, ipsumque Præpositum, & singulares personas Soc. huiusmodi à quibusuis excommunicationis suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris & pœnis, à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum harum seriè absoluentes, & absolutos fore censentes, necnon singularum litterarum prædictarum veriores tenores, ac quarumcunque litiũ & causarum super præmissis iam forsan motarum statum, & merita nominaque, & cognomina iudicum, & collitigantium, ac titulos, & iura eorũ præsentibus pro sufficienter expressis habentes, ipsius Præpositi supplicationibus in hac parte inclinati; volumus, ac societati illiusque domibus etiam probationum, Collegijs, & personis prædictis eadem authoritate concedimus, quod singulæ litteræ prædictæ cum exemptionibus, cæterisque omnibus & singulis in eis contentis clausulis, & decretis, processusque habiti per easdem, ac inde sequuta quæcunque valeant, plenamq; roboris firmitatem obtineant, & eis quibus concessæ existunt perpetuo suffragentur in omnibus, & per omnia perinde ac si in illis de constitutione Innoc. prædecess. seu Concil. generalis huiusmodi specifica, & expressa mentio facta, eique specialiter, & expressè derogatum fuisset, prout nos eidem constitutioni ad effectum præmissorum specialiter, & expressè harum seriè derogamus, decernentes ita in quibuscunque causis pẽdentibus, & futuris per quoscunque iudices, & commissarios quauis authoritate fungentes iudicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane quicquid secus super his à quoquam quauis authoritate scienter vel ignoranter cõtigerit attentari. Non obstantibus litis pendentijs si quæ sint, & alijs præmissis, ac Innoc. prædecess. nostri, seu generalis Conc. huiusmodi alijsque Apostolicis, necnon in Prouincialibus, & synodalibus Concilijs editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, ac omnibus illis, quæ in singulis litteris prædictis expræssum fuit non obstare ceterisque contrarijs quibuscunque. Volumus autem quod earundem præsentium transumptis, &c. Dat. Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscat. die 1. Ian. 1578. Pont. ann. 6.

Item & conuentione seu transactione liberatur Ecclesia à soluendis decimis alteri Ecclesiæ; Ecclesia enim cum alia Ecclesia seu clerici inter se super decimis licitè componere possunt, cap. suggestũ, cap. nuper, hoc tit. quæ tñ compositio non perpetuatur, nisi fuerit roborata auctoritate Episcopi, vt notat, glo. ver. eandem conuentionem, in cap. ex multiplici, tit. eo.

Laici etiam priuilegio obtinere possunt, vt percipiant decimas, vel

vel vt ab earum præstatione sint liberi siue ad tempus siue ad vitam, ita videlicet, vt habeant ius percipiendi illas nomine Ecclesię non suo, glo. in cap. à nobis, ver. exemptus, hoc tit. Abb. ib. & est communis Doctorum sententia. Et hoc priuilegium concedere potest Episcopus ex aliqua iusta causa, gl. communiter recepta, in cap. quamuis, ver. concesserit, hoc tit. Card in cap. cum Apostolica, de his quæ fiunt à præl. In feudum tamen decimas concedere non potest, quæ antea in feudum dari non fuerunt. Solitæ, cap. 2. de locato. c. quàuis, cit. licet feudo concesso ante Conc. Later. Alex. III. laici decimas licitè detinere possint, & eodẽ feudo cessãte decimę ad Ecclesiã redeuntes, possint iterũ à Prælato cõcedi, vel de cõsensu feudatarij in alium transferri simili feudo quo aliæ res ab Ecclesia in feudum dari consueuerunt, cap. 2. de feudis, cap. prohibemus, iun. glo. ver. laicos, hoc, tit. cap. 2. §. sanè, iun. glo. eod. titu. in 6.

Licitè præterea laici decimas percipere, vel detinere possunt ex concessione, vel locatione Clerici ad tempus quoad ipsum spectãt, cap. querelàm, ne præl. vic. suas, Innoc. Abb. ib. Couar. lò. cit. num. 5.

Locationes tamen huiusmodi non debent fieri ad longum tempus anticipatis solutionibus, & factæ ad annos viginti, vel vltra, si fuerint damnosæ Ecclesiæ, & contrariæ sacris Canonibus, rescindi possunt per Concilium Prouinciale, etiamsi fuerint approbatæ à sede Apostolica, Conc. Trid. sess. 25. cap. 11. de ref.

Potest etiam consuetudine reduci decima, ad vicesimam, tricesimam. Guid. Papæ, cons. 284. & communiter Doctores tenent.

Consuetudo quoque sustineri potest, vt de aliquibus decima nõ soluatur, vt de feno, vino, oliuis, herbis, quod per totum fere Christianum orbem seruari testatur Paul. Castr. lib. 2. cons. 17.

Eadem consuetudine, vel præscriptione tolli possunt decimæ personales. Felin. in cap. causam que. de præscript. Hostië. loc. cit. & propterea in tota fere Christianitate non soluuntur, & quidem licite, vt testatur Nauar. in suo man. cap. 21. num. 31. quare & nos plura de illis dicere cõsulto omisimus, ad solas prædiales directo præsenti tractatu.

66 Item licet laici nulla consuetudine aut præscriptione obtinere possint, vt decimas alicui Ecclesiæ debitas percipiant, cap. causam quæ, de præscript. & omnes concordant, obtinere tamen possunt, vt sint liberi à solutione decimarum de prædijs, quæ ipsi colunt. hoc probat latè Couar. lo. cit. nu. 10.

Et tum præscribunt ipsum tantum actum præstandi decimas iure præstationis saluo remanente, ita quod si Papa, vel Conciliũ per suam

suam constitutionem seu decretum expresse derogaret tali consuetudini, & indiceret solutionem decimarum, tenerentur ad illas pręstandas dicti præscribentes præscriptione non obstante. quod intelligunt Theologi communiter tenentes hanc sententiam, cum dicunt, (nisi quis obstinatus nullo modo vellet soluere) vt etiam explicat verba S. Thomæ, 2. 2. quæst. 87. art. 1. Couar. lo. cit. Ang. ver. decima, num. 2.

Et hæc opinio à modernioribus communiter recepta, & vsu practicata, est verissima, vel saltem propter cõniuentiam Ecclesiæ, quæ patitur consuetudinem huiusmodi in pluribus locis. Vt in Regnis Hispaniarum, vbi vetitum est Regia pragmatica, nè à laicis exigantur decimæ quæ per consuetudinem antiquam non consueuerunt solui, similiter, & in Regno Galliæ à pluribus Regibus idẽ ordinatũ fuisse testatur Couar. lo. cit. num. 8. §. nonò principaliter, & tamen huiusmodi pragmaticę ab Ecclesia tolerantur, ne videlicet sequantur deteriora, si istis cõtradiceretur. Huic moderationi assentitur quoque Host. loc. cit. num. 15. §. septimo quæritur, & facit multum ad propositum, glo. in ver. possideri, cap. 1. 14. quæst. 1. quæ dicit laicum spoliatum decimis posse petere restitutionem.

Ad extremum possunt laici cum Ecclesia de decimis componere vel earum præstationem aliqua iusta recompensatione redimere, vt prædio, fundo, seu alijs vtilibus Azor. Instit. moral. lib. 7. cap. 37. Afflict. in const. Reg. const. quanto cæteris, num. 11. vbi refert quod communitas Neapolis consignauit turrim Græcam Archiepiscopo Neap. pro decimis. Imo consuetudo seu præscriptio non soluẽdi decimas, in hac præsumptione fundatur, quia videlicet præsumitur cõsuetudiuem præcessisse transactio seu recompensatio. Azor. loc. cit. Arm. ver. decima, num. 3. Si nimirum Ecclesia dotem sufficientem possideat. casu vero quo nihil possideret, & vigeret consuetudo de non soluendis decimis, posset cogi populus ad præstanda alimenta Clero. Conc. Triden. sess. 21. cap. 4. de ref. alimenta enim debentur clericis iure naturali, & Diuino legis Euangelicæ, nec aliqua consuetudine, vel præscriptione induci potest quo minus soluantur, Couarr. loc. cit.

De Ordine Iudiciorum.

SVMMARIVM.

67 Processu summario omnes causæ expediendæ.

68 *Pro-*

68 Processus summarius quis sit.
69 Terminorum defectus non vitiat processum.
70 Iudex in concedendis dilationibus informari debet qualitate facti.

Circa ordinem in iudicijs seruandum parum nobis immorãdum est, postquam hæc materia satis accuratè tractata reperitur, apud Maran.par.6.de ord.iud.Vestr.à lib.5.suę prax.Sallust.Tib.in suo speciali tractatu, de modo procedendi in causis coram Audi. Cam.& postquam antiquorum iudiciorum cursum ad diffugia, & cauillationes malitiosas causidicorum passim iam vsurpatum, nostri temporis iudicia vix seruant,cognitionem ipsam æquitatis, terminorum captionibus præferendo,& communiter summariè expediũtur.Et in primis quidẽ.Clem.dispendiosam,de iud.in causis electionum,postulationum, & quorumcunque beneficiorum Ecclesiasticorum,decimarum,matrimonij, vsurarum,summariè proceden-
67 dum ordinauit.Nunc vero iam non tãtum in istis,sed & in alijs omnibus causis processus hic summarius tenetur, & de tali communi vsu testatur Maran.cit.par.4.distinctione 9.num.1. Albericus Oliua.ritu.23. Immo, & signatura Iustitiæ committẽdo causas,passim summariè procedendum rescribit, ita quod licet hoc addere aliquando omittat,errore hoc Regentis potius fieri,& nihilominus iudicem summariè procedere solere testatur. Vestr.cit.lib.5.cap.1.
68 Quid autem importet processus summarius, docet Felin.in cap. dilecti,de iudic.Alexand.lib.3.cons.6.nimirum in processu summario omnes iuris solemnitates esse sublatas, præter citationem,quæ est iuris naturalis,& præter necessarias probationes,quę prætermitti non possunt.Ita quod tunc possit iudex expedire causas manu Regia sola facti veritate inspecta prout olim tempore iurisgentium tractabantur Maran.loc.cit.

Amplius autem. Clem.sæpe, de verbor.significat.circumscribit summarium processum, vt videlicet in summarijs iudex libellum, vel litis contestationem necessario non exigat, etiam tempore feriarum ob necessitates hominum inductarum procedat,appellationes frustratorias repellat, dilationum materiam amputet, testium multitudinem superfluam refrenet,ita tamen,vt probationes,& defensiones legittimæ non impediantur,iuramentum item de calumnia in summarijs tum demum præstandum,si petatur,si vero nõ peteretur,propter hoc non vitiaretur processus, Vestr. loc.cit.cap.2. & latè præmissa explicat.Lanfran.in rep et.ad dictam Clemen.per. 16.conclus.

Et

Et nouissimè Pius Papa IV. & Clem. VIII. ne aliquis solemnitatũ iuris seu terminorum defectus vitiet processum in quacunque cau-
69 sa, nisi fuerit defectus citationis, mandati aut iurisdictionis, ordinarunt, & constitutionem Clem. VIII. quę praxi forensi est multum necessaria, hic referendam putauimus, vt sequitur.

Litium dispendijs & ambagibus præsertim inter personas curę, & iurisdictioni nostra etiam in temporalibus subiectas occurrere quantum in nobis est cupientes, statutum fel. rec. Pij Papa IV. prædecessoris nostri, ne iudices Almæ Vrbis nullitates attendant, nisi ex defectu citationis, iurisdictionis, aut mandati, sed illis non obstantibus, ad expeditionem causarum procedant, ad omnes, & quoscunque iudices Ordinarios, & magistratus, & officiales in quibusuis ditionis nostræ temporalis Ecclesiasticę, Prouincijs, & ciuitatibus, terris, Oppidis, & locis quamcunque iurisdictionem exercentes, & quauis auctoritate, & dignitate fungentes, hac nostra perpetuo valitura cõstitutione extẽdimus, & ampliamus, atque in quocunque Tribunali aut Curia sæculari, vel Ecclesiastica firmiter, & inuiolatè seruari, sicque, & non aliter per quoscunque ex ipsis iudicibus etiam Causarum Palatij Apostolici Auditores, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesię Cardinales ac Legatos etiam de latere, sublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi facultate, in quacunque causa, & instantia etiam nunc pendente, aut in futurum mouenda, Ecclesiastica, prophana, ciuili, & criminali, aut mixta, iudicari, & definiri, & quibuscunque nullitatibus præter superius expressas nequaquam attentis ad expeditionẽ causarum earundem procedi debere præcipimus, & mandamus. Decernentes irritum, & inane si secus super his per quoscunque quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus & ordinationib. Apostolicis, &c. Dat. Romæ, Anno Incar. Dom. 1592. 5. Idib. Febr.

Vnde neque termini quos in summarijs requiri refert. Vestr. loc. cit. videlicet ad ponendum, ad articulandum, ad producendũ omnia, & ad dicendum contra producta, erunt omnino de substantia ita vt omissi vitient processum, sed tum demum si status causæ hos requirat seu ex præsuppositione. Vel etiam pro arbitrio prudentis iudicis, qui debet dilationes oportunes partibus indulgere, vel etiã
70 rescindere superfluas, dummodo de veritate ipsi constet. Quod & in praxi iudiciorum Aud. Cam. facile obseruari potest, vbi pro obligatione Camerali quæ pro manifesto habetur, nullæ solemnitates terminorum seruantur, sed facta citatione ad soluendum, & præ-

missa

missa intimatione, expeditur mandatum executiuum contra debitoré,& alias prout subiecta materia exigit diuersus in diuersis causis modus procedendi practicatur, videri potest breuis pract.term. Rotę. Flam.Paris. & Sall. Tyb.loc.cit.c.32.

Et licet dicta constitutio ad solos Iudices Dominij temporalis Ecclesiæ Rom.directa tantum videatur, tamen cum Romanæ Curiæ, quæ omnium Ecclesiarum mater est.cap.vlt.de foro comp.stylum omnes aliæ Ecclesiæ sequi,& seruare teneantur, vt docet Cardin.Zab.in clem.quamuis, de appell.in princip. Gomez. in proem. Reg.Canc.quæst.2.merito eadem ordinatio in Iudicijs etiam aliorum omnium Iudicum Ecclesiasticorum est seruanda.

De Pœnis.

SVMMARIVM.

71 *Pœnæ quædam spirituales quædam corporales.*
72 *Interdictum quid sit.*
73 *Interdici quæ possint.*
74 *Interdicti tempore quæ officia Diuina sint licita.*
75 *Interdictum violans quas pœnas incurrat.*

71 POEnæ quas Iudex Ecclesiasticus infligere potest, aliæ sunt spirituales, aliæ corporales, & quasi corporales, seu eorum quę circa corpus. Spirituales sunt Primo.

72 INTERDICTVM est Cẽsura Ecclesiastica qua prohibentur Diuina officia, sepultura,& Sacramenta Ecclesiastica actiue,& passiuè. Nau.cap.27.num.164. Fertur ob delictum Principis siue populi vel etiam personæ particularis, quando aliter de facili corrigi non potest. Cou.lib.2.var.res.c.9. Et quidem fertur aliquando contra lo-
73 cum tantum, aliquando contra populum tãtum seu collegium, vel contrà personam particularem tantum, aliquando contra locum, & personas simul.

Si locus tantum fuerit interdictus, populus loci illius in alio territorio non interdicto licitè potest participare Diuina. Quod si populus solum fuerit interdictus, externi licitè ibi audient Diuina exclusis interdictis, ipsi autem interdicti, neq; ibi neque alibi possunt adesse Diuinis, sed cum illis deambulat interdictum, cap.si sententia, de sent.excom.in 6.

74 In interdicto excipitur Baptismus, Chrismatio, pœnitentia sanorum si causam interdicto non dederunt, & satisfacere sint parati, pœnitentia ægrotorum, & morientium, extrema tamen Vnctio morientibus semper denegatur, & sepultura Ecclesiastica, cap. quod in te. de pœnit. & remiss. cap. responso. de sent. excommunic. Imo & solẽnitates conducendi corporis prohibẽtur, nẽpe cũ orationibus, comitatu cleri superpelliceati, & processionaliter vt mos est incedentis. Si tamen sepeliatur quis in Ecclesia eo tempore prohibito, non est exhumandus, multa enim facta tenent, quæ fieri prohibentur, glos. verb. forma. in cap. à nobis. 2. de sent. excomm.

Cessante etiam interdicto, tales possunt trãsferri ad sepulturam in loco sacro seruatis sólemnitatibus, si in eis apparuerunt signa cõtritionis. cit. c. à nobis. Arm. verb. interdictum. num. 47.

Conceditur præterea interdicti tempore, vt singulis diebus festis missæ celebrẽtur ianuis clausis, & sine sonitu campanarum, diebus vero Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes Natiuitatis B. M. V. solemniter omnia Diuina officia celebrari possunt etiam in præsentia interdictorum excommunicatis exclusis. c. alma mater. de sent. excomm. in 6. cit.

Licitè etiam interdicti possunt ingredi Ecclesiam orationis causa dum ibi Diuina officia non peraguntur. Potest; & prædicari interdicti tempore, & ad eum finem sonari campana, & pro Aue maria vt moris est. cap. responso. de sent. excom.

Interdictos nemo vitare tenetur in humanis, nisi in Diuinis postquam fuerit denunciatum interdictum. Arm. lo. cit. nu. 1. Nau. loc. cit. num. 170.

Contractus etiam matrimonij tempore interdicti non est prohibitus. Abb. in cap. non est, de spons. Arm. lo. cit. num. 53. & notat gl. in cap. vlt. de sent. excomm. in 6. verb. sacramentis, solemnis tamen benedictio sponsis tunc dari non debet. Nauar. loco. cit. numero 179. & authores cit.

75 Celebrans vel aliquem actum ordini sacro deputatum exercens in loco interdicto præterquam in casibus concessis, vel ipse interdictus existẽs, incurrit irregularitatem non nisi à Papa dispensandã, cap. is qui. loc. cit. in 6. Item, & sepeliens interdictum cum officio, & pompa exequiali solita in Ecclesia; cẽsetur enim tũ exercere actũ ordini Sacerdotali deputatũ, & incurrere irregularitatem. Syl. ver. interdictum. 5. §. 8.

Interdici non potest locus, ciuitas, vel vniuersitas pro debito pecuniario sine speciali mandato Papæ, Extrauag. prouide. §. præsentis de

tis de ſent.excomm.comm .Felin.in cap.ſane.2.de officio. delegat. numero.3.

SVMMARIVM.

76 *Suſpenſio quid ſit.*
77 *Iudex ferens ſuſpenſionem ſine cauſa quas pœnas incurrat.*
78 *Suſpenſionem violans quando efficiatur irregularis.*
79 *Epiſcopus non ligatur ſuſpenſione aliqua niſi de eo fuerit facta ſpecialis mentio.*
80 *Epiſcopus in quibus caſibus incurrat ſuſpenſionem.*
81 *Suſpenſus ad tempus, lapſo tempore eo ipſo abſoluitur à ſuſpen[...]e.*

76 SVSPENSIO eſt cenſura Eccleſiaſtica,qua alicui perſonæ Eccleſiaſticæ inhibetur exercitium officij ſui. Nauarr. loco. citat. numero.151.

Suſpenſio ferenda eſt monitione præmiſſa ſicut & excommunicatio,& interdictum,Innoc.in c.1.de exceſſ.præl.Abb.in c.reprehenſibilis,de appell.

77 Ferri debet in ſcripto,& cum expreſſione cauſæ rationabilis propter quam fertur,aliter iudex ferens illam,incurreret ipſo facto ſuſpenſionem à Diuinis,& ab ingreſſu Eccleſiæ per menſem,cap.cum medicinalis,de ſent.excom.in 6.cit.

Non ſuſpenditur ſuſpenſio appellatione,ſicut neque interdictum ſi appellatum fuerit poſt ipſius prolationem,c.is cui.lo.cit.

78 Suſpenſus ab exercitio alicuius certi Ordinis non intelligitur ſuſpenſus ab exercitio ordinis inferioris., vt ſuſpenſus ab ordine Sacerdotali,non eſt ſuſpenſus quoad Diaconatum,& poteſt exercere officium Diaconi.& ſuſpenſus ab exercitio Pontificalium,ſolum eſt ſuſpenſus ab illis quæ dependent ab ordine Pontificali,ſed officium Sacerdotale licitè exercere poteſt,è contra autem ſuſpenſus ab inferiori , etiam quoad omnes ſuperiores ordines manet ſuſpenſus , vt ſuſpenſus à Diaconatu,Sacerdotale officium exercere non debet, & ſuſpenſus à Sacerdotio Pontificalia exercere non poteſt.Arm.loco.cit.nu.9.12.Nau.lo.cit.nu.163.Ang.loc.cit.

Suſpenſus ab adminiſtratione , aut à beneficio non cenſetur ſuſpenſus ab Ordine, & ab alijs quæ non ſunt connexa actui à quo eſt ſuſpenſus.Nauar.loc.cit.num.160.nam in tantum ſuſpenſio ligat in quantum exprimit iudex in ſententia,vnde iudex ſemper exprimere debet à qnibus actibus ſuſpendere intendat. Diaz. in prax. crim.

capitulo.centesimo vigesimo secundo.

Suspensus item ab ingressu Ecclesiæ efficitur irregularis si in ea exerceat actum aliquem ordini sacro deputatum,loc. cit. si tamen exerceat vel celebret domi vel in oratorio priuato,nullam contra hit irregularitatem:similiter suspensus ab ingressu vnius Ecclesiæ licitè in alia exercere potest officium suum.Arm.verb.suspensio.nu me.8.Ang.ver.suspensio.3.nu.3.

Nullus etiam suspensus,præterquam ille qui suspenditur à Diuinis siue absolute siue in aliquo loco,incurrit irregularitatem cõtra ueniendo suspensioni,licet peccet.Felin.in cap.appostolicæ, nume. 13.de except.& suspẽsus à Diuinis tũ demum incurrit irregularitatem si exercet actum alicui ordini sacro specialiter deputatum.dicitur autem actus ordini deputatus cuius faciẽdi specialis potestas traditur in ordinatione.Nau.lo.cit.num.163.vbi etiam actum prędicandi vult esse actum Ordini sacro,Diaconatui videlicet deputatum,& suspensum à prædicatione licet non fiat irregularis celebrando,fieri tamen irregularem si prædicet.cui tamen oppositum tenet Arm.loc.cit.num.15.

Suspensus etiam vitari debet in illis actibus à quibus est suspensus.Nau.loc.cit.

Quæ autem crimina digna sint suspensione,certa regula dari nõ potest,vt testatur.Abb.in cap.at si clerici.de Iudic.Diaz.loc.cit.à iure vero latæ suspẽsiones numerantur apud Syl.verb.suspẽsio.16.nu. quadraginta,apud Arm.lo co cit.nu.16.nu. triginta nouem,quo lectorem remittimus.

79 Illud adhuc Notabiliter hic de hac materia sciendum est Episcopum nunquam incurrere suspensionem vel censuram aliquam Iuris vel hominis,nisi de ipso fiat expressa mentio.cap. quia periculosũ, de sentent.excomm.in 6.cit.Casus autem in quibus expresśè suspẽditur Episcopus quorum etiam sparsim aliquos suis locis retulimus sunt.

80 Ordinans aliquem sine litteris dimissorijs proprij Ordinarij,suspenditur à collatione eorum ordinum per annum.Conc.Trid.sess. 23. cap.8.de refor.

Pontificalia exercens,vel etiam solos calices,corporalia benedicens in aliena Diæcesi sine licentia loci Episcopi, efficitur suspensus ab exercitio Pontificalium.idem.Conc.sess.6.c.5.de ref.Naua. consil.69.nu.1.de sent.excom.

Ordinans infantem,illiteratum,bigamum,solemniter pœnitentem, vel indignum,suspenditur per annum ab ordinũ collatione in

quibus

quibus peccauit,cap.fina.de temp.ord.in 6.cap.si qui Episcopi. 1. quæst.1.ca.nullus,55.dist.

Ordinans aliquem vno die ad duos sacros Ordines vel die sabbati ad vnum sequenti vero Dominica ad alterum,licet continuato ieiunio,suspenditur à collatione eorundem ordinum quousque dispensetur à Papa.c.litteras,de temp.ord.quod & Conc.cit. prohibuit sess.23.cap.13.de ref.

Ordinans religiosum non professum sine titulo seu prouisione, suspenditur à collatione eorundem ordinum ex Bulla Pij. V. supra à nobis relata.

Ordinans aliquem accepta ab eo promissione quod ipsum non molestabit de prouisione ad quam promouetur, suspenditur per triennium à collatione ordinum,c.si quis,de simon.

Occupans fructus beneficij vacantis cuius collatio ad ipsum spectat vltra moderationem,extrauag.suscepti,de Elect.Ioann.22.suspenditur à Pontificalibus,& ab ingressu Ecclesiæ, non absoluendus donec accepta restituat.Similiter occupans res derelictas clerici,nisi aliquo priuilegio vel consuetudine legittimè præscripta hoc ipsi competat,suspenditur donec ablata restituat. cap. præsenti de off.ord.in 6.

Non visitans limina Apostolorum iuxta præscriptum constitutionis Six. Papa V. supra relatæ suspenditur ab ingressu Ecclesiæ,& ab administratione spiritualium, & temporalium, donec à sede Apostolica obtinuerit absolutionem.

Negligens procedere contra inculpatos de hæresi, odij annonis aut commodi temporalis obtenta, vel aliquem malitiosè inculpans de hæresi, & suspenditur ipso facto ab officio per trienniũ. Clem.1.de hæret.

Non conuocans clerum suæ Diæcesis, vt ipsi publicet gesta in synodo Proninciali intra sex menses post ipsius synodi celebrationem,suspenditur per duos menses, cap.vlt.18. distinctione, quam tamen suspensionem dicit non esse in vsu Suarez.tom.3. distinctione 33.sect.5.num.7. multæ aliæ iuris suspensiones sunt contra Episcopus per totam distinctionẽ 30. quas tamen non esse latæ sententiæ,sed ferendæ notat glo.in cap.2.de foro comp. cum enim iudex vel Canon præcipit,quid fieri sub pœna suspensionis,vel excommunicationis, etiamsi vtatur verbo sit excommunicatus, vel excommunicetur nõ obediens,non statim talis erit suspẽsus, vel excõmunicatus,cum ista verba significent potius comminationem,sed poterit illa pœna puniri,si non paruerit,Nau.cit.cap.27.nu.12.

81 Ad extremum notandum quod suspensus, vel etiam interdictus ad tempus, adueniente tempore, ipso facto est absolutus nec indiget alia absolutione. Arm. lo. cit. nu. 21.

Durante autem tempore suspensionis incursæ à iure ob delictum commissum non potest totaliter absolui; sed dispensatiuè potest ipsi moderari pœnam Episcopus. Nau. loc. cit. num. 162. si vero suspẽsio fuerit inflicta à iure ob contumaciam, absoluere ab illa poterit Episcopus, nisi conditor Canonis sibi reseruauerit absolutionem, cap. nuper. de sentent. excommun. suspensionem autem ab homine latam nemo absoluere potest, nisi qui eam tulit, vel eius superior, seu successor, cap. Pastoralis de off. ord. ibique Felin. num. 9. vbi sex limitationes circa hoc refert.

SVMMARIVM.

82 *Excommunicatio quomodo sit ferenda.*
83 *Excommunicatio, quando non ligat.*
84 *Excommunicatio ad finem reuelationis.*
85 *Reuelare quis non teneatur.*
86 *Excommunicatus vitari non debet nisi sit denuntiatus.*
87 *Excommunicatus notorius ad effectum vt euitetur quis dicatur.*
88 *Excommunicatus à quo absoluendus.*

EXCOMMVNICATIO quoque est censura Ecclesiastica eo grauior præcedentibus, quod priuat non solum participatione in diuinis, sed etiam in humanis cum fidelibus, vt definit excommunicationem maiorem, Host. in sum. hoc. tit. num. 1.

Fertur alia à iure propter futurum delictũ, idque non nisi si fuerit mortale, cap. nemo, 11. quæst. 3. Et in hac nulla requiritur præcedens monitio, sed ipse Canon facit pro monitione, Innoc. in cap. sacro, de sentent. excom. cit. Alia fertur ab homine. & hæc non nisi trina monitione præmissa ferri debet, cap. sacro. cit. cap. statuimus, c. constitutionem. eod. tit. in 6. iun. glo. nec sufficeret vna pro tribus, Felin. in cap. cum sit Romana, num. 19. de appel. sufficeret tamen si in vna monitione ponantur tria interstitia videlicet primo pro prima,
82 Secundo pro secunda, & tertio, pro tertia cum suis interuallis ad minus sex dierum pro quolibet, vt praxi curiæ quotidiana obseruatur, & facit tex. in cap. constitutionem, cit. similiter, & in ferenda declaratoria excommunicationis requiritur præcedens monitio, glo. in Clemen. præsenti, de censibus ver. constiterit, Nauarr. consil.

fil.9.numero.quarto,de sententia excommunic.

Monitio autem debet esse personalis,Innoc.in ca.si aduersarius, de eo qui mitt.in possess. Couar.in cap. alma mater.par.1.§.9.nisi reus malitiose latitaret,quod præsumitur de clerico non residente. Genuen.in prax. cap.29. num.12. vel si impedit quominus moneatur,seu si non detur ad illum tutus accessus; cap.quoniam frequenter,vt lite non contest.His tamen casibus non sufficit,quod constet iudici de aliqua causa præmissarum priuatim,sed debet hoc constare in actis,ita quod Nuncius legalis primo faciat diligentiam de inuenienda persona,& facta relatione ad acta quod non potuerit inuenire,cum attestatione duorum testium,denuo citet in loco solito habitationis,argu.tex.cap.sacro,cit.Maran.par.6.de cit.num.126. Sufficit etiam si prima citatio tantum fuerit personalis,reliquę vero in audientia contradictarum seu ad valuas Ecclesiæ.Genuen. & auctores,cit.

Et in tantum quidem monitiones sunt necessario præmittendæ ante prolationem excommunicationis,quod iudex excommunicās illis non præmissis ipso facto incurrit suspensionem ab ingressu Ecclesiæ per mensem,cap.sacro,cit. Nisi excommunicaret sine monitione in casu quo esset periculum in mora, Felin.vbi sup.numc.21. vel nisi excommunicaret in defensionem iuris proprij, vt cum turbatur ipsius iurisdictio,cap.dilecto,lo.cit. in 6.& diximus alias ex Innoc.in cap.venerabili,de censibus.

Debet item ferri excommunicatio ex causa iusta, exprimenda in ipsa sententia,& non solo verbo ferri debet, sed in scriptis, & eius copia tradenda est reo si petatur; & contra faciens iudex suspenditur quoq; ipso iure per mēsem vnum à Diuinis officijs,& ab ingressu Ecclesiæ,c.1.lo.cit.in 6.qua tamen suspensione,vt neq; præcedēti non ligatur Episcopus,cum in iuribus allegatis non fiat de eo specialis mentio.arg.tex.cap.quia periculosum, hoc eo.tit.in 6. & notat Nau.lo.cit.num.8.vt supra diximus.

Tenet tamen excommunicatio lata sine monitione, vel non seruato iuris ordine,licet puniatur iudex,vt diximus,glo.ver.probari, & ver.iusta,cap.sacro,cit.Nau.vbi sup.Nisi quod excommunicatio maior lata contra participantes cum excommunicatis est omnino nulla si non præmittatur monitio,cap.statuimus,cit.in 6. similiter sententia declaratoria incursę excommunicationis si illam nō præcesserit monitio est nulla.Felin.in cap. Rodulphus, num.41. de rescript.Alber.oliua,ritu.3.num.8.

Nulla item est excommunicatio si feratur à iudice incompeten-

ti,ca-

ti, capitulo. nullus, de Parochijs.

Et si feratur post appellationem interpositam, cap. ad præsentiã, 8; de appell. Vel si continet intolerabilem iuris errorem, vt si quis excommunicetur, quia non fecit peccatum mortale, cap. qui resistit, 11. quæst. 3. Nauar. loc. cit. num. 4. Vel vbi prælatus excommunicat subditum contra priuilegij sui tenorem, cap. cum Capella, cap. quãto. de priuil. Vel si iudex ferens sententiam, non intendit ligare, excõmunicatio enim sumit vires ab intentione. Abba. in cap. ex parte, 1. de off. ord. Ang. ver. excommunicatio, 3. num. 16. Arm. eo. num. 16. Item est nulla excommunicatio si feratur à delegato in casu sibi nõ permisso, vel contra delegantis intentionem, cap. fina. de prębend. Vel si feratur à iudice interdicto, suspenso, vel excommunicato, gl. in ca. præsenti, hoc tit. in 6. ver. ad cautelã, quæ colligit plures casus nullitatis excommunicationis. & suspensum intellige, vt sit suspensus à iurisdictione, nam ab ordine tantum suspensus potest facere ea quæ sunt iurisdictionis, & tenet ipsius excommunicatio, sicut & suspensus à iurisdictione potest ea quæ sunt ordinis. Arm. ver. excõ. cit. num. 16.

Pœna excommunicationis in contractu etiam sponte apposita, iudex non debet punire, aut declarare excommunicatum contrauenientem contractui, quod etiam ordinauit vtiliter Pius. V. in reformatione tribunalis Aud. Cam. in hæc verba.

Neuè quisquam ratione sui consensus in contractu, seu quasi contractu, aut alias in iudicio vel extra iudicium per se vel alium quocunque modo etiam in susceptione quam vocant censurarum, de cætero præstiti, purè aut sub cõditione, aut in diem, censuris Ecclesiasticis innodetur aut innodatus declaretur.

Præter præmissa quo ad modum ferendæ excommunicationis salubriter ordinauit Conc. Trid. sess. 25. cap. 3. de ref. vt videlicet iudex excommunicationem non ex quauis causa vel leui ferat, sed cõtumaces potius puniat alijs pœnis, & ad excommunicationem non procedat nisi tum demum cum executio realis vel personalis haberi non potest.

Præterea vt monitoria ad finem reuelationis cum pœna excommunicationis dari solita, non concedantur de facili, & non nisi pro re graui, & non nisi per ipsummet Episcopum. Posse tamen illa concedi etiam per Vicariũ generalem Episcopi, si hæc facultas ipsi fuerit expresse ab Episcopo concessa, respondit sæpius Sac. Cong. Cõc. vt te-

vt testatur Genuen. in prax. cap. 1. numero. 1.

84 Et de istorum modo cum in praxi frequenter occurrãt plura nobis annotanda sunt. Vnde primo videnda est forma quam præscripsit Pius. V. circa concessionem huiusmodi moni toriorum seruandam, & est talis.

Sanctissimus in Christo Pater, & D. N. D. Pius Diuina prouidentia PP. V. volens super expeditione mandatorum, quæ fiunt in forma Significauit. pro rerum subtractarum aut deperditarũ restitutione, seu illarum, & illas subtrahentium reuelatione, modum, & formam statuere (manẽte in alijs reformatione officij correctoris litterarum contradictarum à Sanctitate sua edita) præsenti, quod perpetuo obseruari vult, scripto ordinat, vt mandata pro restitutione seu reuelatione huiusmodi dentur (modo super illis supplicationes in præsentia suæ Sanctitatis signatæ fuerint) ad eorum duntaxat instantiam, quorum ciuiliter interest. Quæ supplicationes rem ipsam de qua agitur, reique valorem, nominatim, & specificè exprimãt, nisi forte sint pro Ecclesijs, locis pijs, communitatibus, vniuersitatibus, collegijs, aut vniuersalibus successoribus, quos verisimile est certam rerum notitiam non habere; tunc etenim hac ipsa personarum qualitate expressa, ita demum ferri poterit quædam in genere designatio rerũ, si designatio neque nimis vaga, & incerta, atque adeo inuerisimilis sit, & tamen ostendat res ipsas (id quod præcipuè in omnibus attendendũ est) minimè vulgares existere, &c.

Publicata Rom. in Cancell. Apost. Ann. incarn. Dom. 1570. *die* 27. *Iunij.*

Illud præterea in istis monitorijs tenendum est, vt formentur cõtra detentorem non restituentem, & contra scientes, & non reuelãtes. Si enim contra scientes, & non reuelantes tantum ponatur, dubium esset an ligarent ipsum detentorem, stante inter doctores q̃stione controuersa, & indecisa an aliquis teneatur reuelare contra seipsum, de qua opinionum varietate testatur Genuen. loco. citat. capitulo. 2.

Licet autem formetur modo prędicto monitorium et contra detinentem, adhuc tamen detentor non teneretur restituere si deuenerit ad paupertatem, nec habeat quod restituat. Silu. Nupt. lib. 3. verb. monitoriæ. nume. 56. Neque si ipsi ex restitutione immineret aliquod damnum honoris, bonæ famæ, & eo maximè si non adesset modus restituendi saltem per subordinatam personam sine periculo diffamationis. argumẽto. tex. c. officij. de pœnit. Item si credit se

Qq possi-

possidere iustè, vel in recompensam; tanto magis si id facit ex consilio peritorum: & si lis pendet indecisa, & est dubia. Genuen. loco. citat. à num. 1.

85 Neque tenetur sciens reuelare, si peccatum fuerit occultum, vel peccator siue detentor sit emandatus, seu probabiliter sit emendādus fraterna correctione.

Et si scit ex auditu tantum incertæ personę, vel leuis. Item si sciat detentorem, detinere rem iustè vel in recompēsam. Vel si nouit per solam Sacramentalem confessionem aut consultationem secretam. Nau. in com. in c. inter verba. 11. quæst. 3, conclus. 6. & in Man. cap. 25. num. 46. Neque item sciens tenetur reuelare, si timet verisimiliter ex reuelatione sibi graues inimicitias seu damnum futurum. Felin. in c. dilectorum, num. 3. de test. cogen.

Neque Priuilegiati, & qui de iure testificari non tenētur, vt enumerantur, in l. Iulia. ff. de testib. reuelare tenētur, nisi in defectu aliorum testium. Nau. loc. cit. num. 50. Genuen. loc. cit. num. 3. Inhabiles autem ad testificandum tenentur reuelare, quia licet non probent, faciunt tamen præsumptionem illorum reuelationes vt notat. glos. in verbo. ad testimonium, capitulo. 1. de testibus, in 6. Franch. ibidem.

Neque ligātur monitione qui tempore quo promulgatur, & decurrit tempus incurrendæ excommunicationis, degunt extra territorium Iudicis monentis. Genuen. cit. Neque illi quos pars vel Iudex nō præsumitur velle excōmunicare, vt pater filiū, maritus vxorem non præsumitur velle excommunicare, licet etiam isti teneantur ad restitutionem. Silu. nupt. loco citat. Nauarr. citat. cap. 27. numero. 14.

Vlterius circa eadem monitoria aduertendum est cum non sint concedenda nisi pro re graui, quænam res sit æstimanda grauis, relinqui arbitrio Episcopi, qui considerata loci consuetudine vel paupertate petentis, hoc iudicabit, respectu enim personæ pauperis petentis posset dici summa viginti vel triginta ducatorum, sufficiēs ad concedendum monitorium, quæ tamen in alia persona diuite pro leui reputari posset. Romana autem curia, & plerique alij loci seruant vt non cōcedantur monitoria nisi pro summa ad minus ducatorum quinquaginta, vt testatur. Zerol. verb. excom. mater. nu. 1. Genuen. loc. cit. c. 1. nu. 3.

Non sunt item concedenda nisi in subsidium, & quando veritas aliter haberi non potest. Vnde si sciretur detentor, & posset contra ipsum agi via ordinaria, non deberent concedi monitoria, nisi

deessent

deessent testes ad probandum, tūc enim possent moneri qui scirēt, vt testificentur. Silua. Nupt. lo. cit.

Receptis autem reuelationibus, siquidem nihil contineant infamatorium, vel criminale, tradenda est ipsarum copia actori, vt ex illis probet suam intentionem coram iudice competenti. Si autem contineant quid infamatorium, vel ex quo intendi posset actio criminalis, nō debet ipsarū copia tradi ꝓpter periculū irregularitatis, quæ sequi posset ex morte, vel mēbri amissione rei ob criminalitatē hmōi forte infligēda, sed moneri pōt detentor, & repetitis testimonijs cū iuramento, & citato detentore ad dicendū quare non debeat declarari, si pertinaciter non restituat, posset declarari excommunicatus ob non restitutionem. quem modū procedendi tradit Sil. nupt. Neuizani loc. cit. Tutius tamen esse si in criminalibus, & infamatorijs, vel vbi sequeretur scandalū, vt non concedantur monitoria huiusmodi docet. Genuen. cit. cap. 1. num. 7.

Eædem excommunicationes morte eius qui eas tulit siue naturali siue ciuili, vt si ab officio remoueatur, expirant, si mors sequatur antequam incurrerentur. glo. in ver. non nisi, cap. à nobis, 1. de sent. excom. ibique Abb. & omnes communiter.

Sciendum præterea, quod si iudex præcipiat aliquid sub pœna excommunicationis, ista verba esse comminatoria, nec contrauenientem incurrere excommunicationem ipso facto, sed esse excommunicandum, vt & supra diximus. Si autem prohibeatur sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, quod facere potest iudex pro futuris delictis, tunc non est dubium quod perpetrato delicto statim excommunicatio incurritur. Similiter, & si dicat iudex, nisi infra decem paruerit, excommunico, lapso enim termino reus tenetur abstinere à participatione cum fidelibus. Felin. in c. Rodolphus, de rescript. num. 35. nisi excusetur iuris, vel facti ignorātia probabili, Nau. lo. cit. cap. 27. num. 16.

Quo autem ad alios, vt teneantur euitare excommunicatum, nō sufficit excommunicatio incursa, sed requiritur, vt sit publicata, & denunciata, Fel. lo. cit. Couar. in cap. alma mater, cit. §. 7. & fuit ordinatum à Leo. X. in Conc. Lateranen. in concordatis Galliæ, in hęc verba.

Statuimus insuper quod ad euitandum scandala, & multa pericula, subueniendumque conscientijs timoratis, quod nemo deinceps à communicatione alicuius in sacramentorū administratione, vel receptione aut alijs quibuscunque diuinis, vel etiam prætextu cuiuscunque sententiæ

aut censuræ Ecclesiasticæ, seu suspensionis, aut prohibitionis ab homine, vel à iure generaliter promulgatæ, teneatur abstinere; vel aliquem vitare, vel interdictum Ecclesiasticum obseruare, nisi sententia, prohibitio, suspensio, vel censura huiusmodi fuerit, vel contra personam, collegium, vniuersitatem Ecclesiasticam aut locum certum aut certam, à iudice publicata, & denuntiata specialiter, & expresse, aut si notoriè in excommunicationis sententiam constiterit incidisse, quod nulla possit tergiuersatione celari, aut aliquo iuris suffragio excusari, cum à communione illius abstinere volumus iuxta canonicas sanctiones. Per hoc tamen huiusmodi excõmunicatos, suspensos, interdictos, seu prohibitos nõ intendimus in aliquo releuare nec eis quomodolibet suffragari, &c.

Vnde patet solos excommunicatos declaratos, & notorios esse euitandos. Nomine autem notorij hoc loco solum percussorem clerici notorium euidentia facti, quod tergiuersatione celari
87 non possit intelligendum esse, communis Doctorum interpretandi vsus obtinuit, ita quod alij notorij etiamsi euidenter constet ipsos fuisse excommunicatos siue à iure siue ab homine, vitari non debẽt antequam fuerint denunciati, Couar. lo. cit. Gutier. lib. 1. Can. quęst. cap. 1; eamque extrauagantem esse vsu receptã cũ ista limitatione, vt intelligatur notorium de solo percussore clerici, concedit Naua. lo. cit. num. 35. & tanto magis, quia innititur decreto Concilij Basiliensis, quod solos percussores clerici notorios decreuit euitãdos, quod decretum refert Felin. lo. cit. num. 39. in hæc verba.

Insuper ad euitanda scandala, & multa pericula; quæ conscientijs timoratis contingere possent misericorditer indulgemus; vt nemo deinceps à communicatione alicuius; sacramentorum administratione, vel receptione, aut alijs quibuscunque Diuinis intus, vel extra prætextu cuiuscunque censuræ à iure, vel ab homine generaliter promulgatæ teneatur abstinere, vel aliquem vitare, aut interdictum Ecclesiasticum obseruare, nisi sententia, vel censura huiusmodi fuerit publicata, vel denunciata specialiter, & expresse, non obstantibus constitutionibus, &c. saluo si quem pro sacrilega manuum in clericos iniectione sententiam latam à Canone adeo notoriè constiterit incidisse, quod factum non possit aliqua tergiuersatione celari, nec aliquo suffragio excusari, nam à communione illius; licet denunciatus non fuerit volumus abstineri iuxta canonicas sanctiones, &c.

Vide eadẽ relata apud Nau. in c. 1. §. laboret, de pœn. distinct. 6.
Sciendum item quod non potest excommunicari vniuersitas, collegium.

legium, vel capitulum, si tamen de facto excommunicaretur, ligaret excommunicatio, cap. Romanæ, hoc tit. in 6. iun. glo. ver. penitus. Et tanto magis esset valida si in ea apponeretur clausula, (excommunicamus Capitulum, & singulas illius personas, quæ fuerunt culpabiles.) Nauar. consil. 7. & 8. hoc, tit. & tunc ligarentur illi solum qui essent in culpa, Couar. lib. 2. var. ref. ca. 8.

Non potest etiam aliquis excommunicare seipsum, neque æqualem, neque superiorem, cap. cum inferior, 21. distinctione vnde Episcopus licet delinquat contra suum statutum habens annexam excommunicationem non erit excommunicatus, Hostien. in sum. hoc. titu. num. 6. Armil. loc. cit. num. 25. Nau. lo. cit. cap. 27. nu. 6.

Semel autem excommunicatus, & denunciatus semper euitari debet, donec constiterit de absolutione, glo. in ver. de absolutione, in c. proposuit, de cler. excommun. ministr. Arm. lo. cit. nu. 62.

Ad hæc sciendum, quod excommunicatus exercens actum aliquem ordini sacro deputatum incurrit irregularitatem Papæ reseruatam, cap. 2. de cler. excomm. cit. cap. is qui. hoc nostro, tit. in 6. Eam tamen non incurrit excommunicatus minori excommunicatione, cap. si celebrat, lo. cit. de cler. excomm. Vltra quod excommunicatio hæc minor non est in vsu, nisi in casu participationis cũ excommunicato maiori excommunicatione, vt testatur, Naua. lo. cit. num. 25. Imo & in dubio non præsumitur de minore, sed de maiore c. penult. hoc tit. licet alias in pœnalibus semper præsumendũ sit de minore pœna, cap. in pœnis, de reg. iuris in 6. Neque ille irregularitatem incurrit, qui appellat à sentẽtia excommunicationis, quã probabiliter dubitat esse validam, licet postea declaretur male appellasse. Felin. in cap. Rodulphus, cit. num. 43. Nauarr. cit. cap. 25. num. 104.

Neque in casibus in quibus communi sensu subintelligitur tum demum incurrere excommunicationem si non paruerit absque iusta causa, in talibus enim non censetur quis pro excommunicato nisi postquam per iudicem fuerit declaratum eum ob non paritionẽ excommunicationem incurrisse, quales sunt omnes excommunicationes latæ à iure, & mandata iudicum, ver. grat. sit excommunicatus ipso facto nisi paruerit, & similia, & ita decisum fuisse in Rota Rom. testatur, Felin. cit. in cap. ad probandum. num. 6. de re iudic. Vnde & pensionarius non soluens pensionem in termino sub pœna excommunicationis latæ sententiæ sibi præfixo, non est excommunicatus nec efficitur irregularis celebrando ex quo credit excusatum se fore impotentia soluendi, concordia, vel bonitate pensiona-

rij.

rij donec ille cui debetur pensio id declaret, & ita praxim communem seruare testatur, Nauar. cap.23. num.104. & cap.27. cit.numero 15.

Sciendum item quod excommunicatio non suspenditur appellatione interposita post latam sententiam, cap.is cui. hoc tit.in 6. Declaratio tamen excommunicationis appellatione suspenditur, glo.in ver.priuatos, in cap.cupientes, de elect.in 6. ver. priuatos, Felin.in cap.Rodulphus,cit.num.43. Ita quod licitè communicari possit sic declarato, nec ipse celebrans incurret irregularitatem,si dubitet de valore excommunicationis, seu confidit suæ appellatio ni,vt diximus.securius tamen est in talibus abstinere ab illis actibus quibus irregularitas inducitur, cum vulgatum sit etiam iniustam excommunicationem ligare, & id quod salutarius est animæ esse sequendum.

Quod autem absolutionē excommunicationis attinet,ab excommunicatione minore absoluere potest quilibet confessor approba-
88 tus.cap.nuper. hoc tit. Ab excommunicatione vero maiore à iure lata,si conditor canonis illam sibi non reseruauit, absoluere debet Prælatus seu Episcopus.Nau.cit.cap.27. nu.39.& fuit dictum supra de foro pœnitentiali,ab excommunicatione demum ab homine lata nemo alius absoluere potest nisi qui eam tulit, vel ipsius successor,vel superior.Host.lo.cit.num.12.§.si vero.

Absolutio item ab excommunicatione potest concedi ad tēpus tantum cum reincidentia,vt si velit iudex absoluere aliquem ad effectum,vt possit ferre testimonium, glo.fin.in cap.veniēs,de testib. Abb.ib.vel si concedenda sit absolutio ad cautelam, de qua Quar. ver.Archiep.auctorit.num.14.Genuen. lo.cit.cap.5.& nos infra de appell.aliqua referemus. Suspendi autem excommunicatio non potest,sed vel statim ligat vel statim nulla est, c.pastoralis, de appell. glo.in c.dilectis,ver.suspendendum,& alia,in cap.ad hæc quoniam, ver.interdictum,ib.licet interdictum possit suspendi,lo.cit.& gl.1. in cap.præsenti,hoc titu.de sent.excom.in 6.

Vltimo excommunicatio tolli potest de consensu partis antequam incurratur,postquam tamen esset incursa superuenienti consensu non tolleretur.nec potest differri, ita vt semel sublata, lapso termino de partis consensu in quo debebat incurri, iterum alio termino arbitrio partis incurratur, nisi prorogatio huiusmodi termini fiat iudicis authoritate, excommunicatio enim non potest nasci ex pacto,sed ex iudicis authoritate,Bald.in l. tale pactum, ff.de pactis.Ang.ver.excommunicatio,1.nu.21.Nau.cit.c.17.nu.15.

SVM-

SVMMARIVM.

89 *Carceris pęna ex quibus causis sit infligenda.*
90 *Carcer infamat.*
91 *Verberum pęna est in iure vsitata.*
92 *Torqueri non debet clericus nisi praecesserint grauia indicia.*
93 *Depositionis pœna quibus casibus infligenda.*
94 *Degradatio in quibus casibus facienda.*
95 *Bannum Episcopi extenditur tantum per ipsius Diœcesim.*
96 *Priuari nemo debet beneficio nisi in casibus in iure expressis.*
97 *Pęnam pecuniariam, quando possit retinere sibi iudex.*

CORPORALES pœnę sunt. Carceris perpetui. & hæc pœna non debet imponi clericis nisi in casibus à iure expressis, cap. penul. & vlt. de hæretic. & non nisi in casibus quibus de iure ciuili esset imponenda pœna mortis, non simplex, sed cum aliqua qualitate atroci, vt ignis, membrorum lacerationis, Diaz. in practica crimina. cap. centesimo vigesimo nono. Hoc tamen casu prouidendum est ne ex defectu iuris, vel cibi carceratus moriatur, Abb. in cap. à nobis. de Apostat. sequuta enim morte quam arctitudo carceris vel fames causaret, iudex efficeretur irregularis. Card. in clem. 1. de pœnit. & remiss. quæst. 7.

Carcerari etiam potest clericus causa custodiæ, & in vinculis detineri, licet agatur ciuiliter, si nimirum sit suspectus de fuga. cap. si clericos, de sent. excomm. in 6. cap. dilectis. de appell. Carcer tamē non debet esse squallidus, & immundus nec corporis afflictiuus, & cauendum est ne carceratio passim fiat, nec leui de causa, sed habita prius informatione, & indicijs, cū carceratio ipsa infamet, & ge-
90 neret præiudicium irreparabile, vt notat Felin. in cap. cum super. de re iudic. num. 17. Iason. in l. 4. §. condemnatum. ff. de re iudicat. quin & sola accusatione opinio hominis grauatur. Arch. in cap. tantis. 85. distin. & iudex carcerans iniustè, pœnam excommunicationis non effugit. cap. si clericos. cit. Genuen. in prax. cap. 34.

Possunt & laici carcerari à Iudice Ecclesiastico in criminib. Ecclesiasticis. Clem. 1. de hæret. Aufrer. de potest. Eccles. in Laicos, sub principium.

Ad capturam autem carcerādorum, laicorum ministerio vti potest, nec incurrunt tum laici pœnam excommunicationis capiendo clericum vel etiam percutiendo si se defendat, & si aliter detineri

non

non possit. Host.in sum.loc.cit.de sentent.excomm. nume. 4.Ang. ver.excom.5.nu.6.

91 Verberum quoque pœna est vsitata.cap.1. de calumniatoribus, cap.fin.35.dist.sed non nisi per clericum clerico verbera sunt insligenda,vel per ipsummet Iudicem.cap.vniuersitatis.loc.cit. de sen. excomm.Episcopus tamen ipse neminem debet percutere.cap.non liceat.86.dist.Caueri etiam debet vt citra mortis, & membrorum læsionis periculum verbera infligantur,& citra sanguinis effusioné. capitu.in archiepiscopatu.de raptor.si tamen casu succederet sanguinis effusio,non propter hoc sequeretur irregularitas, cum hæc non inducatur nisi morte vel membri abscissione causata. Diaz.lo. citat.cap.125.Abstinere item debet iudex quam maxime ab huiusmodi pœnis corporalibus,& non nisi in grauissimis culpis illis vti, & facilius contra minores clericos,quam sacerdotes, vt monet Archid.in cap.vlt.cit.35.dist.

Huc pertinet quod clericus pro crimine torqueri potest Diaz.loco.cit.cap.117.dummodo prius extent contra ipsum magna,& violenta indicia ad minus per duos testes probata,& quod fuerit infamatus de eo crimine. Siman.de cath.institut.tit.65.num. 14. nam propter testimonium vnius qui fuit particeps criminis nemo torquendus est,nisi alia suffragentur.Boer. decis. 319. neque ad vnius testis bonæ famæ,si reus etiam habeat adminicula integræ conuersationis, alioquin si fuerit infamatus,& suspectus,ad vnius testis bonæ famæ relationem torqueri posset,cum hæc faciat semiplená probationem.Simanc.cit.num.25.Confessio autem extraiudicialiter facta,licet regulariter in clerico non sufficiat ad torturam,Diaz.loco.citat.Aufr.de potest.sæc.Reg.3.fall.4.contrarium tamé vsu seruatur vt refert.Boss.de indicijs,num.103.Genuen.cit.cap.70.num. 17.Tortura eadem non deberet infligi clericis per laicos,tamé vsus obtinuit contrarium.Aufr.vbi supr.Zerol.verb.excommunic. efficiens,num.8.

Pœna corporalis quoque est damnatio ad triremes in Italia vsitatissima,de qua Diaz.citat.cap.135.Et hac damnati clerici, si dánentur ad vitam,degradantur prius,si vero ad tempus,deponuntur tantum verbaliter,& vtroque casu licite vapulantur à ministris triremium.Zerol.citat.par.2.verb.excomm.nu.19.

93 Depositionis pœna est qua remouetur clericus ab altaris ministerio.de qua in cap.at si clerici.de Iudic.Abb.ibidem. depositio videlicet verbalis quæ fit sine solemnitatibus vt infra,& de hac intelliguntur iura in dubio cum loquuntur de depositione, quia nimirú

est

est leuior. Abb. in cap. ad abolendam de Hæret.

Nemo autem deponi debet nisi in casibus à iure expressis, vel in illis tantum in quibus ius ciuile imponit pœnam mortis. Felin. in cap. qualiter, 2. de accusat. num. 25. Dec. vero in cap. at si clerici. cit. num. 20. tenet arbitrarium esse iudici quando debeat, infligere hāc pœnam, imo omnes pęnæ hoc tempore sunt arbitrariæ iudici, ita qđ possit pro arbitrio eas augere vel minuere. Couar. lib. 2. var. res. ca. 9. num. 8. Marant. 4. par. distin. 1. num. 65. Zer. cit. verb. priuatio. in princ. Et huiusmodi depositi deberent in monasterium detrudi vt ibi lugeant commissa. cap. sacerdos. 81. dist. debentque ali ex beneficijs suis, vel ab Episcopo si sint pauperes, alimenta enim ipsis debentur. cap. de lapsis. 15. quæst. 6. Felin. loc. cit. num. 27. His tamen temporibus hæc detrusio in monasterium non vsitatur, cum monasteria tales recipere passim recusent, nec ab Episcopo vt suscipiant cogi possunt cum fere vbique sint exempta. Diaz. cit. cap. 128.

Degradatio est alius modus depositionis, quo delinquens deponitur cum solemnitatibus quæ habentur, in cap. degradatio. de pœnis. in 6. & traditur Curiæ sæculari, ad quam cum antiquo iure debuerit adhiberi certus numerus Episcoporum vt in depositione præsbiteri, sex Episcopi, in Diaconi depositione tres adesse debebāt cap. fælix. 15. quæst. 7. Conc. Tri. sess. 13. cap. 4. de ref. ordinauit vt loco Episcoporum adhiberi possint totidem Abbates vsum mitræ, & baculi habentes, vel si & isti commodè haberi non possint, aliæ quęuis graues personæ in dignitate Ecclesiastica constitutę, & iuris scientia commendabiles.

94 Degradationis pœna infligitur pro hæresi. cap. ad abolendam, de hæret. cit. Pro crimine falsi. cap. ad falsariorum, de crim. falsi. Et propter calumniam seu contumeliam illatam Episcopo. cap. si quis sacerdotum, 11. quæst. 1. vide glo. in cap. ad abolendam, cit. verbo. relinquatur. Pro crimine item læsæ maiestatis contra Papam commisso. vt in facto iudicatum fuisse. refert Felin. in cap. Rodulphus. de rescript. cit. num. 37.

Non ordinatus celebrans, eadem pœna puniendus est ex ordinatione Clem. 8. vt sequitur.

Etsi alias fe. re. Paulus PP. IIII. & infra. Nos igitur animaduertentes huiusmodi perditos, & nefarios homines ad sacrum præsbiteratus ordinem non promotos missarum celebrationem vsurpare præsumentes, nō solum actus idololatriæ saltem extrinsecè seu per externa, & visibilia re ligionis, & pietatis signa exercere, sed etiam quantum in ipsis est efficere

 vt Christi

vt Christi fideles, qui credunt eos ordinatos esse, & rite conficere Sacramentum Eucharistiæ, idolatriæ crimen ignoranter incurrant, purum videlicet panem, & vinum tanquam verum Christi Domini nostri corpus, & sanguinem eisdem adorãdum proponentes. Confessiones autem audiẽtes non solum sacramenti pœnitentiæ dignitatem contemnere, verum etiã Christi fideles decipere, dum scilicet iniquè sibi assumunt gradum sacerdotalem, & auctoritatem absoluendi à peccatis magno cum periculo, & scandalo plurimorum. Propterea vt grauissima hæc scelera committentes posthac debito supplicio puniantur. Motu proprio, & ex certa nostra sciẽtia ac matura deliberatione deque Apostolica potestatis plenitudine S. Inquisitionis iudicum conscientiæ consulere, & ne in futurum de pœna hisce delinquentibus imponẽda dubitari possit, prouidere volentes, supradictorum prædecessorum nostrorum vestigijs inhærentes, hac perpetuo valitura constitutione decernimus atque statuimus vt quicunque non promotus ad sacrum presbiteratus ordinem repertus fuerit missarum celebrationem vsurpasse, vel Sacramentalem confessionem audiuisse, à Iudicib. S. Inquisitionis vel locorum ordinarijs tanquam Ecclesiæ misericordia indignus à foro Ecclesiastico abijciatur, & ab ordinibus Ecclesiasticis si quos habuerit ritè degradatus, statim Curiæ sæculari tradatur, per Iudices sæculares debitis pœnis plectendus. Non obstantibus. &c.

Dat. Rom. die. 1. Decembr. 1601.

Crimen nefandũ contra naturã eadẽ pęna degradationis, & traditionis curię sęculari puniri voluit Pius. V. cuius cõstitutionis verba refert Nau. cap. 27. num. 249. & dicit intelligendum esse non de quocunque committẽte hoc crimen, sed exercente, frequentatione actuum.

In delictis item atrocibus pro arbitrio pœnam hanc infligi posse tenet Diaz, cit. & pluries in facto iudicatum fuisse vt in crimine parricidij. testatur idem ibid. cap. 90. Nemo tamen degradari debet nisi directè accusatus, & conuictus seu confessus, & præsens, cõtra absentem enim non proceditur ad hanc pœnam. Inno. in c. qualiter. 2. de accusat.

Exilij pœnæ meminit, cap. 1. de calumniatoribus, cap. accedens. 50. dist. quam ferre plurimum conducit, vbi delictum puniendum
95 cohæret loco, & vbi loci mutatione leuaretur scandalũ, & occasio
iterum delinquendi criminoso. Diaz. cit. cap. 126. sed hoc exilij bãnum non extenditur extra Diœcesim iudicantis. Felin. in c. postulasti. num. 2. de foro comp. Archiepiscopus tamen non tantum ex Diœcesi sua, sed etiam ex tota sua Prouincia potest exulare facere, cap.

tuarum, de priuil. Quatan. verb. Archiepiscopi auctor. num. 39. Hęc etiam pœna relaxari potest ex causa per ipsum Episcopum. Diaz. loco citat.

96 Priuationis pœna vsitata est in iudicio Ecclesiastico, priuari, tamen nemo debet nisi in casibus à iure expressis. Felin. in cap. querelam, num. 1. & 2. de iureiurand. & in cap. ex parte. de rescript. num. 2. Innoc. in cap. bonæ. de elect. In casibus etiam in quibus priuatur quis ipso iure, requiritur semper Iudicis sententia declaratoria, & ante ipsam non tenetur quis dimittere beneficium, Felin. in cap. Rodulphus. cit. num. 38. Causæ autem priuationis in iure expressę præcipuæ sunt. Crimen Simoniæ, cap. insinuatum. de sim. quod aliquando priuat etiam non expectata iudicis declaratoria vt suo loco dictum fuit. Cōcubinatus, si concubinarius monitus, & mulctatus primo sequestratione tertiæ partis fructuum, deinde pœna suspensionis ab administratione officij, concubinam non dimittit. cap. sicut. cap. si autem. de cohab. cler. & mul. Conc. Trid. sess. 25. capitul. 14. de ref. Periurium item punitur pœna priuationis, cap. querelam. de iureiuran. non tamen hoc intelligitur de non tenente promissum, vt notat Felin. ibid. num. 7. Imo signatura non concedit priuationē pro periurio, nisi fuerit iudiciale. vt testatur Staphil. de litt. grat. ti. de modis priuandi.

Homicida voluntarius priuari etiam debet beneficijs, cap. 1. & 2. de cler. pug. in duel. non tamen est ipso iure priuatus, sed est priuādus Iudicis sententia, quod communiter sentire Doct. testatur. Felin. in cap. inquisitionis, num. 3. de accus. & in tātum quidem quod licet lata fuerit sententia condemnatoria de homicidio, & in ea nō fiat mentio priuationis, non censeretur adhuc talis priuatus. Diaz. loc. cit. c. 88. quia nimirum præsumi posset Episcopum voluisse cū ipso dispensare in retentione beneficij, cum hoc casu, & in omnibus ferè alijs quoad beneficij retentionem dispensare possit Episcopus Staphil. Diaz. locis cit. & diximus alias ex Innoc. in c. ex litteris. de cler. non ord. ministr.

Si etiam in sententia exprimatur pœna priuationis, & condemnatus appellat, durante appellatione non est priuatus, & si resignaret interim, teneret resignatio etiam si beneficium iam fuisset impetratum ob priuationem. Crescen. decis. 6. num. 3. de renun. Ant. de Butrio. consil. 43. num. 2. quod pro indubitato practicari in Rota Romana refert Genuen. cit. cap. 65. num. 18. Vltra priuationem autem homicida puniendus est pœna depositionis verbalis, & detrusionis in monasterio ad quinquennium vel septennium, cap. sicut dignum

§.vlt.iun.glo.verb.consilium,de homicid.cap.tuæ.de pœnis,& capit.cum non ab homine.de Iudic.

Priuari demum debet non residens,& se absentans à beneficio requirente residentiam,vltra tempus licitum.Priuationem tamen pręcedere debet monitio,& deinde pœna censurarum, deinde subtractionis fructuum, ita quod post quemlibet terminum pœnæ,expectetur ad minus per sex menses,cap.quoniam frequenter,vt lite nõ contest.& demum si pertinaciter adhuc se absentauerit priuandus. Conc.Trident.cit.sess.23.de ref.cap.1.Et quidem debet citari absens personaliter si scitur vbi sit,si autem nesciatur vbi sit citari debet in sua Ecclesia ter successiuè,nec sufficeret vna citatio pro tribus,glos.in cap.quoniam.cit.verb.Canonibus.Abb. consil. 67.lib. 1.Felin.in cap.consuluit.num.13.de off.deleg.neque teneret sententia qua priuaretur non residens non præmissa trina citatione. Abb. loc.cit.vel non seruata forma dicti Conc. si videlicet non residens non fuerit primo censuris, sequestratione fructuum alijsque iuris remedijs castigatus,vt fuisse decisum in Rota Rom. corā Seraphino.die.5.Decem.1567.in vna Salamantinen refert.Genuen.cit.c. 112.vt alias diximus.

Pecuniariam quoque pœnam imponere potest iudex Ecclesiasticus.Felin.late.in cap.irrefragabilis. nu. 6.de off.ord.& si fuerit pę-
97 na hæc imposita statuto,licitè ipsam sibi retinere potest Iudex,si vero imponatur per.Sententiam,honestius est vt ad pios vsus conuertatur.Fel.loc.cit.hodie vero Conc.Trid.ses.25.cap.3.de ref.voluit has pœnas omnino erogari ad pios vsus, ita quod Episcopus ipsas non possit conuertere nequidem in fabricam Ecclesiæ cathedralis aut mercedem Vicarij vel aliorum officialium Curię,quemadmodum declarasse.Sac.Congreg.Concilij testatur Genuen.citat.capitulo.69.

Pœna autem pecuniaria quæ solet vulgo apponi in contractibus licet de iure exigi possit,Felin.in cap.1.de constit.num.43.de consuetudine tamen non exigitur,nisi quatenus concurrit interesse,argum.tex.cap.suam,iun.glos.fin.de pœnis.Anch.in cap.peccatum,de reg.iuris.in 6.Naua.in Man.c.23.nu.68. Libet hic etiam referre de pœnis imponendis pro blasphemia ordinationem Pij. V. in Bulla. incip.cum primum,alijs etiam locis à nobis adductam,quoad propositum ita que verba ipsius sunt.

Ad abolendum vero nefarium,& execrabile blasphemiæ scelus,quod in antiqua lege Deus morte puniri mandat,& imperialibus quoque legibus rece-

bus receptum est, nunc autem propter nimiam iudicum in puniendo segnitiem, vel potius desuetudinem, supra modum inualuit. Leon. X. prædecessoris nostri in nouissimo Lateranen. Concilio statuta innouantes. Decernimus vt quicunque laicus Deum, & Dominum nostrum Iesum Christum, vel gloriosam Virginem Mariam eius genitricem expresse blasphemauerit, pro prima vice pœnam vigintiquinque ducatorum incurrat, pro secunda, pœna duplicabitur, pro tertia autem centum ducatos soluet, & ignominia notatus exilio mulctabitur. Qui vero plebeius fuerit, nec erit soluendo, prima vice manibus post tergum ligatis ante fores Ecclesiæ constituetur per diem integrum, pro secunda fustigabitur per vrbem, pro tertia, lingua ei perforabitur, & mittetur ad triremes. Quicũque clericus in hoc blasphemiæ crimẽ incurrerit, ꝑ prima vice fructibus vnius anni omnium, & quorumcunque beneficiorum suorum, pro secunda beneficijs ipsis priuetur, pro tertia omnibus etiam dignitatibus exutus deponatur, & in exilium mittatur. Quod si clericus nullum obtinuerit beneficium, pœna pecuniaria vel corporali pro prima vice puniatur, pro secũda carceribus mãcipetur, pro tertia verbaliter degradetur, & ad triremes mittatur. Qui reliquos sanctos blasphemauerit, pro qualitate blasphemiæ atque personæ, arbitrio iudicis puniatur. Si quis crimen nefandum contra naturam propter quod ira Dei venit in filios diffidentiæ, perpetrauerit, Curiæ sæculari puniendus tradatur, & si clericus fuerit omnibus ordinibus degradatus simili pœnæ subijciatur. Monemus præterea omnes locorum ordinarios, & in virtute sanctæ obedientiæ eis præcipimus vt statuta Trid. Concil. contra concubinarios tam clericos, quam laicos edita, districtè faciãt obseruari, reddituri Deo ac nobis si id omiserint rationem. Et vt præmissorum delictorum simoniæ, blasphemiæ, ac stupri nefandi notitia facilius habeatur, volumus quod in singulis casibus, non solum per accusationem & inquisitionem sed etiam ad simplicem, & secretam denunciationem procedatur per quoscunque iudices, alias tamen de iure competentes, tam ratione delicti quam personarum, ita quod inter eos locus sit præuentioni. Monemus præterea omnes, & singulos, vt solum Dei timorem præ oculis habentes, & non alia praua animi affectione ducti, culpabiles tantum deferant; innocentes non vexent. Quod si aliqui ex calumnia aliquos denunciasse comperti fuerint, eos ad pœnam talionis teneri volumus, & mãdamus. Mulctæ autem pecuniariæ applicabuntur pro duabus partibus locis pijs arbitrio nostro in Vrbe, extra vero ordinariorum, pro tertia accusatori qui delinquentes detulerit. Mandamus autẽ, &c. Non obstãtib. &c.

De

De Appellationibus.

SVMMARIVM.

98 *Ordinata per Conc. Trid. circa appellationes.*
99 *Sententia definitiua quid sit.*
100 *Carceratio inducit grauamen irreparabile.*
101 *Archiepiscopus quando debeat admittere appellationes factas à suis suffraganeis.*
102 *Appellatio non concedenda in facto notorio.*
103 *Appellanti praefigi potest terminus prosequendae appellationis.*
104 *Sequestrum quando concedi possit.*

DIFFVSAM appellationum materiam de qua copiosissimi extant variorum tractatus, pro nostro more in ijs tantum, quę circa eas recenter, & maximè post Conc. Triden. fuerunt innouata, sufficiet attigisse.

Vnde primo Conc. cit. sess. 22. cap. 7. de ref. ordinauit, vt ab om-
98 nib. Legatis Nuncijs S. Sedis, Metropolitanis alijsque superioribus iudicibus, const. Innoc. IV. relata in cap. Romana, de appella. in 6. in admittendis appellationibus, seruetur.

Idem sess. 24. cap. 20. prohibet appellationes admitti, nisi à definitiua sententia, vel ab habente vim definitiuae, vel ab interlocutoria grauamen irreparabile continente. Quae autem sit differentia inter has sententias, tradit Felin. in rub. de re iud. Host. in sum. titu. eo. num. 2. nimirum, quod definitiua est, quae decidit negotium prin
99 cipale in iudicium deductum. Vim definitiuae habens est quae definit vnum articulum causę substantialem, vel etiam totum negotiũ perimit. licet per indirectum, vt si quis repellatur ab agendo per aliquam exceptionem, Interlocutoria vero est omnis alia pronũtiatio iudicis super incidentibus ante definitiuam.
100 Grauamen demum irreparabile est omnis actus irretractabilis, & quo mandato executioni, pars grauata amplius non subleuaretur appellatione à definitiua, vel nõ sine difficultate, & praeiudicio subleuaretur, vt est carceratio, tortura, excõmunicatio, suspensio, interdictũ, Duen. reg. 52. Franch. de appell. c. super eo. 2. not. 2. Rebuf. in Cõcord. tit. de friuol. appellat. Et quoad carceratione declaratũ fuit à S. Cõg. Cõc. vt refert Quar. ver. Archiepiscopi auctori. i addi.

nume-

numero vigesimo, versus finem in hunc modum.

An quod decreto sacri Conc. Trid. sess. 13. cap. 1. de refor. & alio sess. 24. cap. 20. de ref. dicitur de grauamine quod per appellationem à diffinitiua reparari non potest, intelligi possit, & debeat de grauamine indebita carcerationis.

S. D. N. audita relatione Congregationis Concilij, declarauit ita esse intelligendũ, & ideo ab huiusmodi grauamine appellari posse & ordinarium teneri huic appellationi deferre, & teneri processum transferre ad iudicem appellationis, interim tamen reo manente in carceribus donec iudex appellationis causa cognita aliud iusserit.

Idem Conc. sess. 23. cap. 1. de ref. ordinat, ne vlla appellatio, vel inhibitio superioris impedire possit ordinarium quo minus suam sententiam circa residentiam curati latam exequatur.

Sess. vero 13. cap. 1. & sess. 24. cap. 10. de refo. similiter vult ne in causis visitationis, correctionis morũ, & criminalibus, executio sententię appellatione suspendatur.

Eadem, sess. 13. cap. 2. statuitur, vt causę ad Rom. Curiam per appellationem deuolutæ, committantur in partibus Archiepiscopo seu eius Vicario, siue ex causa alteri viciniori Episcopo seu eius Vicario, & non inferiori.

Sess. 25. cap. 13. de Regular. vt causæ præcedentiæ remota omni appellatione terminentur.

Eadem sess. c. 14. de ref. ordinatur, vt cõtra cõcubinarios ordinarius procedere possit, appellatione non obstante.

Circa eandem appellationum materiam decreuit quoque sacra Episcoporum Congregatio ea quæ sequuntur in anno 1600. relatá apud Genuen. cit. cap. 88. & Quar. lo. cit.

101 *Ad tollendas ambiguitates, & controuersias iurisdictionales, quæ inter appellationum, & prioris instantiæ iudices, non sine partium dispendio cursusque iustitiæ impedimento, & sæpè cũm scandalo oriuntur, sacra Congregatio causis Episcoporum præposita, facta prius relatione. San. Dom. N. Clem. VIII. ac de sanctitatis suæ mandato viuæ vocis oraculo desuper habito in hunc qui sequitur modum ab omnibus ad quos spectat, in posterum fieri, ac seruari debere mandauit, & mandat.*

Metropolitani, Archiepiscopi, Primates, aut Patriarchæ suffraganeos eorumque subditos non iudicent, nisi in casibus à iure expressis.

Item nec alij superiores etiam Nuncij, vel Legati de latere specificá

facul-

facultatem maiorem non habentes, causas in Curijs Ordinariorum, vel aliorum inferiorum iudicum pendentes, ad se aduocent, nisi per viam legittimæ appellationis ad ipsorum tribunalia deferantur; tuncque appellantes ab inferiorum iurisdictionibus quoad alias causas, eximere non possint.

Appellationes nunquam recipiantur, nisi per publica documenta, quę realiter exhibeantur, prius constiterit, appellationem à sententia definitiua, vel habente vim definitiuæ, aut à grauamine quod per definitiuam sententiam reparari non possit in casibus à iure non prohibitis per legittimam personam, & intra debita tempora fuisse interpositam ac prosecutam.

Nec dum causæ coram inferioribus iudicibus pendent, ante definitiuā sententiam, vel vim definitiuæ habentem, de grauamine illato superiores cognoscere valeant; licet citra præiudicium cursus causarum, se id facere contestentur, nec ad hunc effectum liceat eis inhibere, aut simpliciter mādare, vt ipsis copia processus transmittatur etiam expensis appellantis.

Inhibitiones post appellationem sicut præmittitur receptam, non concedantur nisi cum inscriptione tenoris sententiæ aut decreti definitiui, aut vim definitiui habentis, vel damnum per definitiuam irreparabile continentis, alias inhibitiones, & processus, & inde sequuta quæcunque sint ipso iure nulla eisque impunè non parere liceat.

Si appellans asserat sententiam aut appellationis exemplum culpa iudicis, vel actuarij habere non posse, non ideo recipienda erit appellatio, aut aliqua inhibitio concedenda; sed eis tantum ad quos pertinet iniungi poterit, vt soluta condigna mercede actorum, exemplum authenticum appellanti intra breuem aliquem competentem terminum tradatur. Caueat tamen iudex à quo, ne si verè appellatum fuerit in casu appellabili, interim aliquid in præiudicium appellantis attentet, & si per actum publicum aut per testium depositionem constiterit, acta denegari appellāti, tunc mandato tradendi acta, possit iudex appellationis adijcere ne interim aliquid noui contra appellantem attentetur.

Ab executione decretorum sac. Conc. Trident. aut Visitationis Apostolicæ, appellationes à Metropolitanis non recipiantur, nec si Episcopi virtute eiusdem sac. Concilij procedant vti sedis Apostolicæ delegati in causis, quæ sub eorum iurisdictione ordinaria non comprehenduntur, salua tamen in hoc casu Legatorum & Nunciorum Apostolicorum auctoritate.

In causis vero visitationis Ordinariorum, aut correctionis morum quoad effectum deuolutiuum tantum admittantur, nisi de grauamine per definitiuam irreparabili agatur, vel cum visitator citata parte, & adhi

bita

bita causa cognitione, iudicialiter procedit, tunc enim appellationi locus erit etiam quoad effectum suspensiuum.

Cum à grauamine quod per definitiuam reparari nequit, vt indebitæ carcerationis, vel torturæ, aut excommunicationis, etiam comminatæ appellatur, non nisi visis actis ex quibus euidenter appareat de grauamine appellatio admittatur, aut inhibitio, vel prouisio aliqua concedatur.

Causa appellationis pendente, appellans in eodem, quo reperitur carcere permanebit, quoad iudex ad quem appellatum est, visis actis, & causa cognita aliter decreuerit, & tūc si à iudicis ad quem; decreto vim definitiuę habente fuerit appellatum, nihil mandare aut pro sui decreti executione attentare poterit, donec per iudicem superiorem aliud fuerit ordinatū.

Acta originalia processuum primæ instantiæ ad iudicem appellationis Notarius mittere non cogatur, nisi probabilis aliqua falsitatis causa, & suspicio incidat, quæ iudicialiter obijciatur, & tunc terminata causa remittenda sunt ad ordinarium, vt in suo archiuio conseruentur.

Censura Ecclesiastica in appellantem prolata, relaxari aut nulla declarari per Iudicem appellationis non possit, nisi auditis partibus, & causa cognita, tuncque si cōstiterit eam iustam esse, ad iudicem qui excommunicauit appellans remittendus est, vt ab ipso iuxta sacros canones beneficium absolutionis, si humiliter petierit debitamque emendationem præstiterit, obtineat: si vero iniustam esse clare appareat, superior absolutionem impendat; si dubitetur honestius est vt ad excommunicatorem intra breuem aliquem competentem terminum eidem præfigendum absoluendus remittatur, licet etiam superior hoc casu id ipsum per se præstare iure possit.

Absolutio ad cautelam, non nisi parte citata, & visis actis, cum dubitatur de nullitate excommunicationis ab homine prolatæ vel à iure, si occurrat dubium facti vel probabile dubium iuris, concedenda erit, tuncque ad tempus breue cum reincidentia, & præstita per excommunicatum cautione de stando iuri, & parendo mandatis Ecclesiæ tantū: & si iuxta formam à iure præscriptam apparebit quem ob manifestam offensam excommunicatum fuisse, debitam etiam satisfactionem præstare, & si ob contumaciam manifestam, expensas pariter satisfacere, & cauere de iudicio sisti coram excommunicatore quis tenebitur prius, quam ad cautelam absoluatur.

A sententia etiam definitiua contra verum contumacem prolata, appellatio nō recipiatur, nec inhibitio aut alia quęuis prouisio, quamdiu appellans in huiusmodi vera cōtumacia perstiterit, concedatur. Romæ in sacra Congregatione. die 13. Octob. 1600.

Alex. Card. Florent. Hieron. Acutius Secret.

Sf Vltra

Vltra præmissa autem circa eandem appellationum materiam notari potest vtiliter, appellationem non esse concedendam in notorio, manifesto ex ipsa facti euidentia, vt si quis fuerit confessus, & conuictus, nec confessio fuerit excusata, cap. cum speciali. §. porro. de appell. vel si quis obligauit se apud acta ipsius Iudicis, vel obligatione Camerali. Vestr. lib. 7. cap. 3. nu. 16. Similiter si constet ex confessione alterius, vt si hæres conueniatur ex cõfessione defuncti. Vestr. ibid.

102

Seruat quoque Romanæ Curiæ stylus vsitatus vt non deferatur appellationi in rebus parui momenti, vt si pro summa non maiori decem ducatorum agatur. Vestr. ibid.

Notandum item quod in appellatione à definitiua vel deffinitiuæ vim habente, nulla causa est exprimenda, quia ius ipsum concedit appellare. In appellatione vero ab iterlocutoria, necessario causa exprimi debet, aliter esset appellatio nulla, causa autem exprimitur, vt iudex causa considerata, possit si velit reuocare sententiam, potest enim reuocare interlocutoriam à qua appellatur, cap. cum cessante, de appel.

Appellans item, si intra decem dies à prolatione sententiæ computandos non appellat in scripto, appellatio censetur deserta. Maran. 6. par. de appell. num. 202. nisi grauamen esset permanens, & habens causam continuam, vt est carcerario, vel nisi iusta excusaretur ignorantia. Alius autem terminus dierum triginta ad petendũ apostolos, non appellanti, sed iudici concessus est à iure vt interim deliberare possit an debeat deferre appellationi, illo tamen durante debet appellans petere apostolos ter, seu vno contextu dicere peto instanter, instantius, instantissimè. Clem. quamuis. de appell.

Et non nisi ab interlocutoria sunt petendi, à definitiua enim ius ipsum defert appellationi. cap. biduum. 11. quæstio. 6. Vestr. loco. citato. in fin.

Tempus prosequendæ appellationis annus est præfinitus à iure, & ex causa biennium, cap. cum sit Romana. cap. personas, de appell.

103 Potest tamen iudex à quo, præfigere breuiorem terminum appellanti, intra quem appellationem suam prosequatur, & doceat de prosequutione, cap. ad aures. loco. cit. non tamen assignare potest terminum intra quem appellatio finiatur, quia esset imponere legem superiori. cap. ex insinuatione, ibid. Franch. in c. personas, cit.

Notandum item quod iudex appellationis in concernentibus ordinem procedendi, tenere debet vsum sui Tribunalis, quo ad merita autem causæ, & modũ decidendi, vsum Tribunalis iudicis à quo. glos. in

glos.in verb.decreto.in cap.licet canon.de elect.in 6.Felin. in cap. super his,num.13.de accusat.& faciunt relata per Innoc.in rubr.de consuetud.

Finaliter sciendum quod quādo appellatur à sententia, contra possessorē lata,sequestrari possunt res tam mobiles quā immobiles
104 de quib.agitur,si timeatur de distractione seu dilapidatione,c.2. de sequestrat.iun.gloss.verb.sequestrari.quæ colligit causas sequestrationis,hocque idem faciunt Doctores,ibidem. Specialiter autē in beneficialibus de sequestris ordinatum est,vt si à prima sententia in Romana Curia lata contra detentorem beneficij,nisi sit trienna lis possessor,appellatur,etiam ordinarius possit sequestrare huiusmodi beneficium,qui casus est singularis quo inferior intromittere se potest in causa ad Roman.Curiam deuoluta.Clemen.1. de sequestrat. Cassad.decis.5.numero.3. de sequestrat. poss.si nimirum feratur sententia contra possessorem,& pro eo qui petit sequestrū, si autem pro possessore fuerit sententiatum,deneganda esset sequestratio.gloss.in citat.Clemen.verb.contra possessorem.Vestr.libro. 7.capitulo.secundo,numero.6.si etiam præuenerit Iudex Roman. Curiæ seu superior in decernendo sequestro.inferior illud amplius decernere non posset.Maran.p.6.de appell.num.177.



Caput Quintum.

De Iurisdictione Voluntaria.

QVarto demum, & vltimo loco considerandà nobis venit potestas Episcopi Iurisdictionis voluntariç, ad quã reducemus dispositionem rerum, & fructuum, qui Episcopo ratione officij, & dignitatis suæ debentur. Et primo de beneficiorum collatione videbimus, hæc enim est iurisdictionis voluntariæ. Zer. verb. beneficia. ad. 9. & inter fructus Episcopo debitos computatur, capitulo. his. quæ. capitul. cum olim. iun. gloss. verbo. capitulo. de maior. & obedientia.

Quænam beneficia conferre possit Episcopus.

SVMMARIVM.

1 *Beneficiorum collatio spectat propriè ad Episcopum in sua Diæcesi.*
2 *Papa reseruare sibi potest collationem beneficiorum.*
3 *Reseruationes Regularum Cancellariæ.*
4 *Reseruationes Papales aliæ diuersæ.*
5 *Iuspatronatus quibus acquiratur.*
6 *Scriptura authentica quæ dicatur.*
7 *Iuspatronatus quomodo probatur.*
8 *Iuspatronatus quomodo deuoluatur ad successores.*
9 *Legatus à Latere concurrit cum Ordinario in collatione beneficiorum.*
10 *Concordata Germaniæ.*
11 *Concordata Galliæ.*
12 *Beneficia reseruata quando conferre possit Episcopus.*
13 *Patrono non præsentante intra certum tempus, beneficium confert Episcopus.*
14 *Vicarius Episcopi quæ beneficia conferre possit.*
15 *Archiepiscopus non potest conferre beneficia sede vacante sui suffraganei.*
16 *Capitulum sede vacante circa beneficia vacantia quæ possit.*

1 Omnium itaque beneficiorum Ecclesiasticorum Diæcesis collatio, &

tio,& institutio de iure spectat ad Episcopum, cap. nullus omnino. 16. quæst. 7. cap. conquerente. de offi. ord. cap. ex frequentibus, de institut. Innoc. in cap. postulasti. de Iurepatr. Felin. in cap. cum venerabilis. num. 31. de except. Dec. consil. 117. Staphil. de litt. grat. in proem. Mandos. in Reg. 14. Canc. q. 2. nu. 2.

Limitatur tamen hæc ipsius potestas Primo reseruationib. Papæ, qui cum sit Ordinarius ordinariorum, & illi soli collata sit plenitu-
2 do potestatis in Ecclesia. cap. qui se scit. 2. quæst. 6. licet hanc potestatem in Episcopos transtulerit, penes ipsum tamen maior remansit, cap. dudum, de præben. in 6. & potestati Episcoporum prædictæ derogare sibique collationes reseruare potest. cap. præsenti. capit. licet. loc. cit. in 6. gl. singularis. verb. reseruamus, in extrauag. execrabilis. Ioan. 22.

Vnde Papæ reseruatur beneficia per extrauag. cit. & extrauag. ad regimen. eo. tit. comm. & cap. licet, cap. præsenti. cit. Quas tamen reseruationes sublatas fuisse in concilio Basilien. refert. Rebuff. titul. de reseruationibus, num. 38. Zecchus, de beneficijs, cap. 5. nume. 5. Sed quidquid sit de istis, successerunt earum loco reseruationes Regularum Cancellariæ quas quilibet summus Pont. immediatè post
3 suam creationem ordinare solet, quæ postea expirant morte ipsius & iterum à successore de nouo reassumuntur, & publicantur. Pauli. V. autem fęliciter PP. moderni sunt hæ quæ sequuntur, beneficialia concernentes.

Reseruationes generales, & speciales.

1 *Inprimis fecit easdem reseruationes quæ in constitutione Fęlic. rec. Bened. PP. XII. quæ incipit. ad regimen. continentur, & illa innouauit ac locum habere voluit etiamsi officiales in eadem constitutione expressi Apostolicæ Sedis officiales ante obitum eorum esse desierint, quo ad beneficia quæ tempore quo officiales erant obtinebant. Declarās nihilominus beneficia quæ dictæ Sedis officiales, qui ratione officiorum suorum huiusmodi eiusdem sedis Notarij erant etiam dimissis ipsis officijs, & quandocumque assequuti fuerint, sub huiusmodi reseruationibus comprehendi.*

Reseruatio Cathedralium Ecclesiarum, & Monasteriorum ac tempore vacationis Episcopatuum vacaturorum beneficiorum.

2 *Item reseruauit generaliter omnes Ecclesias Patriarchales, Primatiales*

tes Archiepiscopales, Episcopales, nec non omnia Monasteria virorum, valorem annuum ducentorum florenorum auri communi extimatione exceden. Et voluit quod excessus huiusmodi in litteris exprimatur. Ac etiam reseruauit dignitates, & beneficia omnia ad collationem, præsentationem, electionem, & quamcunque aliam dispositionem Patriarcharum, primatum, Archiepiscoporum, & Episcoporum, necnon Abbatum, & aliorum quorumcunque collatorum, & collatricum sæcularium, & Regularium, quomodolibet, non tamen ad collationẽ cum alio, vel alijs, aut etiam ad alterius præsentationem, vel electionem pertinentia, quæ post illorum obitum aut Ecclesiarum seu monasteriorũ, vel aliarum dignitatum suarum dimissionem seu amissionem, vel priuationem, vsque ad promotionem successorum ad easdem Ecclesias aut monasteria, vel dignitates Apostolica auctoritate faciendam, & adeptam ab eisdem successoribus pacificam illorum possessionem, quomodocunque vacant, & vacabunt in futurum.

Reseruatio dignitatum, necnon suorum, & S.R.E. Cardinalium familiarium beneficiorum.

3 *Item reseruauit generaliter dispositioni suæ omnes dignitates maiores post Pontificales in Cathedralibus etiam Metropolitanis, & Patriarchalibus, necnon valorem decem florenorum auri communi extimatione exceden. principales in Collegiatis Ecclesijs. Reseruauit etiam Prioratus, Præposituras, Præpositatus, ac alias dignitates Conuentuales, & præceptorias generales ordinum quorumcunque, sed non militiarum. Ac quæcumque beneficia, quæ sui etiam dum Cardinalatus fungebatur honore, existentes, ac S.R.E. viuentium nunc, & qui erunt suo tempore Cardinalium familiares, continui commensales, obtinent, & in posterum obtinebunt eorum familiaritate durante, ac in quibus, seu ad quæ ius eis competit, aut competierit, etiamsi ab ipsa familiaritate per obitum Cardinalium eorundem, vel alias recesserint. Declarans dignitates, quæ in Cathedralibus etiam Metropolitanis, post Pontificales non maiores existunt, & quæ ex Apostolicæ sedis indulgentia, vel ordinaria auctoritate, aut consuetudine præscripta, vel alias quouis modo in collegiatis Ecclesiis, principalem præeminentiam habere noscuntur, sub reseruatione prædicta comprehendi debere.*

Reseruatio beneficiorum collectorum, & subcollectorum.

4 *Item reseruauit generaliter omnia beneficia Ecclesiastica quorumcunque*

que collectorum, & vnitorum in quacunque ciuitate, vel Diœcesi, qui suo tempore officia exercuerint Subcollectorum fructuum, & prouentuum Cameræ Apostolicæ debitorum, illa videlicet beneficia duntaxat, quæ durante eorum officio obtinebant, & in quibus seu ad quæ ius eis competebat.

Reseruatio beneficiorum Curialium dum Curia transfertur.

5 *Item reseruauit omnia & singula beneficia Ecclesiastica quorumcunque curialium, quos dum Curia Rom. de loco ad locum transfertur eam sequēdo, decedere contigerit in quouis loco, quantumcunque etiam à dicta Curia remoto.*

Reseruatio beneficiorum Cubiculariorum, & Cursorum.

6 *Item reseruauit generaliter D.N. Papa dispositioni suæ omnia beneficia cubiculariorum, & cursorum suorum.*

Reseruatio beneficiorum Ecclesiarum S. Ioan. Lateranen. & S. Petri, ac B. Mariæ Maioris de Vrbe, & beneficiorum titulorum Cardinalium, à Curia absentium.

7 *Item reseruauit dispositioni suæ generaliter quæcunque canonicatus, & præbendas ac dignitates, personatus, & officia in S. Ioan. Lateranen. & Principis Apost. ac B. Mariæ Maioris de Vrbe Ecclesijs; necnō ad collationem, prouisionem, & præsentationem seu quamuis aliam dispositionē S. R. E. Cardinaliū à Rom. Curia absentium; ratione suorum Episcopatuum, Cardinalatus ac ipsorum Cardinalium titulorum, & Diaconiarū spectantia, quamdiu absentia sua durauerit, canonicatus, & præbendas, dignitates personatus, administrationes, & officia, cæteraque beneficia Ecclesiastica cum cura, vel sine cura vacantia, & in antea vacatura tā in eadem Vrbe, quam in Ecclesijs ciuitatibus, & Diœcesibus dictorum Episcopatuum consistentia, ac decreuit irritum, &c.*

Reseruatio mensium Apostolicorum, & de alternatiua pro Episcopis residentibus.

8 *Item cupiens idem D.N. Papa pauperibus clericis, & alijs benemeritis personis prouidere, omnia beneficia Ecclesiastica cum cura, & sine cura, sæcularia, & quorumuis ordinum regularium qualitercunque qualificata, & vbicunque existentia, & singulis Ianuarij, Februarij, Aprilis, Maij,*

Maij, Iulij, Augusti, Octobris, & Nouembris, mensibus, vsque ad suæ volūtatis beneplacitum extra Romanam Curiam alias quam per resignationem quocunque modo vacatura, ad collationem, prouisionem, præsentationem, electionem, & quamuis aliam dispositionem quorumcunque, collatorum, & collatricum sæcularium, & quorumuis ordinum regulariū (non tamen S.R.E. Cardinalium, aut aliorum sub concordatis inter sedem Apostolicam, & quoscunque alios initis, & per eos, qui illa acceptare, & obseruare debuerant acceptatis, & obseruatis, quæ lædere non intendit comprehensorum) quomodolibet pertinentia, dispositioni suæ generaliter reseruauit. Volens in supplicationibus seu concessionibus gratiarum, quæ de dictis beneficijs tunc vacantibus etiam motu proprio fient, de mense in quo vacauerint, dispositiuè mentionem fieri, alioquin gratias nullas esse. Ac consuetudines etiam immemorabiles optandi maiores, & pinguiores præbendas necnon priuilegia, & indulta Apostolica circa ea, ac etiam disponendi de huiusmodi beneficijs, aut quod illa sub huiusmodi reseruationibus nunquam comprehendantur, etiam cum quibusuis derogatoriarum derogatorijs, & fortioribus, efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & alijs decretis, quibusuis personis, & collegijs cuiuscunque dignitatis, & status, gradus, ordinis, & conditionis, existentibus, quomodolibet concessa, aduersus reseruationem huiusmodi minimè suffragari. Insuper sanctitas sua ad gratificandum Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis intenta, ipsis quamdiu apud Ecclesias, aut Diœceses suas verè ac personaliter resederint duntaxat, de omnibus, & quibuscunque beneficijs Ecclesiasticis, cum cura & sine cura, sæcularibus & Regularibus, ad liberam ipsorum duntaxat non autem aliorum cū eis dispositionem, seu præsentationem, vel electionem, nec etiam cum consilio, vel consensu seu interuentu capitulorū, vel aliorū aut alias pertinentibus, quæ in antea in mensib. Februar. April. Iunij, Augusti, Octobris, & Decembris, extra Curiam ipsam vacare contigerit (dummodo alias dispositioni Apostolicæ reseruata, vel affecta non fuerint) liberè disponendi facultatem concessit, ac etiam voluit, vt si ipsi in collatione aut alia dispositione beneficiorum in alijs sex mensibus videlicet Ianuarij, Martij, Maij, Iulij, Septembris, & Nouembris, vacaturorum, (quæ etiam dispositioni suæ, vt præfertur reseruauit) seu etiam aliorum dispositioni suæ, & dictæ sedis alias quomodolibet reseruatorum, vel affectorum, sese intromiserint, aut quominus prouisiones, & gratiæ sanctitatis suæ de illis debitum effectum consequantur, impedimētum quoquomodo præstiterint, vsu & beneficio prædictæ facultatis eo ipso priuati existant, ac collationes, & aliæ dispositiones de beneficijs illius prætextu deinceps faciendæ, nullius sint roboris, vel momenti. Illi vero qui gratiam alternatiuæ prædictæ,

dictæ, acceptare voluerint, acceptationẽ huiusmodi p patẽtes litteras manu propria subsignatas, suoque sigillo munitas, & in sua quisque ciuitate vel Diæcesi datas, declarare, & litteras ipsas huc ad Datarium sanctitatis suæ transmittere teneantur quibus ab eo receptis, & recognitis, tunc demum, & non antea vti incipiant gratia supradicta. Decernentes sic in prædictis omnibus per quoscunque, &c. iudicari debere, ac irritum, &c.

Declaratio reseruationis Ecclesiarum, & beneficiorum per prædecessores reseruatorum.

10 *Item declarauit omnium, & singularum Ecclesiarum Cathedralium, & Monasteriorum prouisiones, quas prædicti prædecessores sui; ordinationi ac dispositioni eorum, necnon omnia & singula beneficia Ecclesiastica, quæ dicti prædecessores etiam prædictæ dispositioni cum interpositione decreti, reseruauerant (quæ quidem Ecclesiæ, & monasteria necnõ sic reseruata beneficia, tempore obitus eorundem prędecessorum vacabant, aut Ecclesiæ ipsæ, vel monasteria huiusmodi si commendatà, vel eis administratores deputati non fuissent, etiam tunc vacassent) remansisse, & remanere per huiusmodi reseruationem, & decretum affecta, nullumque de illis præter Romanum Pontificem, ea vice se intromittere, vel disponere potuisse siue posse quoquomodo. Decernentes irritum, & inane si secus super illis attentatum forsan erat tunc vel in posterum contingeret attentari.*

Reseruatio facultatum conferendi beneficia reseruata.

14 *Item reuocat quascunque facultates, & litteras desuper confectas per quas quicunque sui prædecessores Romani Pont. quibusuis personis, ordinariam collationem seu aliam dispositionem beneficiorum Ecclesiasticorũ de iure vel consuetudine habentibus, & quauis etiam Patriarchali Archiepiscopali, Episcopali, vel alia dignitate, vel alio non tamen Cardinalatus honore, fungentibus, quauis consideratione, vel intuitu etiam motu proprio, & ex certa sciẽtia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine cõcesserant, aut quamdiu viuerent, vel suis Ecclesiis, seu monasterijs præessent aut ad aliud tempus de beneficijs Ecclesiasticis generaliter reseruatis seu affectis ad eorum collationem, prouisionem, præsentationem, electionem, & quãuis aliam dispositionem communiter, vel diuisim spectantibus, disponere liberè, & licitè valerent, aut etiam ad id per eosdem prædecessores Vicarij perpetui, vel ad tempus constituti forent.*

De beneficijs vacaturis per promotionem ad Ecclesias, & Monasteria.

25. *Item prædictus D. N. Papa voluit, decreuit, & ordinauit, quod quæcunque concessiones gratiæ, & mandata etiam motu proprio, & cum derogatione huius constitutionis quæ ab eo pro quibusuis personis emanauerint, de prouidendo eis de quibusuis beneficijs vacaturis per promotionem quorumcunque ad Ecclesiarũ, & monasteriorum regimina; si huiusmodi concessiones, & mandata diem promotionis promouendorum ipsorum præcesserint, necnon quæcunque collationes prouisiones, & dispositiones pro tempore faciendæ, de præmissis ac quibusuis alijs beneficijs Ecclesiasticis sæcularibus, & regularibus, quæ per promouendos, vel assumẽdos ad quascunque prælaturas inter illarũ vacationis, & huiusmodi promotionis, vel assumptionis tempora simpliciter, vel ex causa permutationis vbicunque resignari, vel alias dimitti contigerit cum inde sequutis pro tempore sint cassæ, & irritæ nullius que roboris vel momenti.*

Beneficia item vacantia propter crimen Hæresis reseruauit sedi Apostoli. Pius. V. constitutione sua incip. cum ex Apostolatus, an. 1566. 6. Kal. Febr.

4 Idem reseruauit beneficia quæcunque recepta in confidentiam quæ vacant ipso iure vt supra in bulla confidentiali à nobis relata.

Reseruata item sunt sedi Apostolicæ beneficia contra formam Conc. Trid. collata ab Or dinarijs collatoribus, constitutione eiusdem Pij. V. quam infra referemus. Et beneficia per resignationem vacantia si non conferantu r iuxta formam constitutionis Gregor. XIII. incipit, Humano vix iudicio, de qua inferius.

Affecta etiam beneficia per appositionem manus Papæ sunt reseruata sedi Apostolicæ nec amplius quisquam pro ea vice de eis sese intromittere potest. extrauag. ad Romani, de præben. comm. vt si Papa det beneficium in commendam, cessante commenda, censetur eo modo vacare quo vacabat eo tempore quo fuit commendatum. Nau. cap. 25. num. 126. & solus Papa illud confert, & si apponat in prouisione decretum, vt resignetur beneficiũ in manus eius, cum fuerit resignatum à nullo conferri potest præterquam à Papa. Item si conferat Papa beneficium inhabili, si vacaret propter huiusmodi inhabilitatem, pertineret ad dispositionem Papę. Cum etiam Papa mandat alicui prouideri de primo vacante, primum vacans

remanet

remanet affectum, & reseruatum. Aeneas de Faloon. de reseru. præd lud. 3. Mandosius, in Reg. 4. Canc. quæst. 4. Rebuff. loc. cit. à nu. 30. Gonz. super. 8. reg. Canc. gl. 52. vbi viginti affectionis modos enumerat cum decem limitationibus.

Reseruatum prætèrea censetur beneficium Papæ si præueniat in collatione Ordinarium, datur enim ipsi præuentioni locus, cap. si à sede. c. dudum, loco. cit. de præb. in 6. Similiter, & Episcopus licitè potest præuenire suum Vicarium generalem, cui dederit facultatẽ conferendi beneficia, gl. in c. constitutus, de præben. verb. canonicè. Rebuff. de Vicar. nu. 89.

Reseruata demum sunt beneficia Papæ de quibus Ordinarius collator intra sex mensium decursum non prouiderit, c. licet de sup plen. negl. prælat.

Vltra autem reseruationes Papales Limitatur secundo Episcopi facultas in conferendis beneficijs, Iurepatronatus, quo alicui competit Ius nominandi personam instituendam in aliqua Ecclesia.

5 Et hoc acquiritur ex fundatione, constructione, vel dotatione Ecclesiæ, cap. quoniam, iun. glos. verb. fundatores, de iurepat. Alios autem modos prætendendi iuspatronatus sustulit. Conc. Trid. sess. 24. de ref. cap. 12. & sess. 25. cap. 9. vbi præscripsit modum probandi iurapatronatus, vt videlicet probentur per scripturas authenticas. Vnde non sufficeret probare per testes vt etiam declarauit Sac. Cong. Conc. consulta super loco cit. Conc. relata apud Gonzal. cit. gl. 18. num. 79.

Congregatio omnium consensu censuit requiri pro forma, vt probatio fiat per authenticas scripturas, & regulam esse constituendam quod probatio per testes non sufficiat.

Si tamen ageretur possessorio tantum, sufficeret probatio per testes vt vult Zerol. verb. iuspatronatus, ad. 3.

6 Scriptura autem authentica dicitur, quæ conficitur per actuarium publicum, seu Iudicem cum duorum vel trium testium subscriptione seu præsentia, glos. in cap. 1. de fide instrum. verb. si scripturam. Quod ad propositum autem, scriptura authentica censeretur Bulla Episcopi seu consensus in scripto datus ad fundandum, construendum siue dotandum, facit enim plenam fidem in his quæ fiunt sine figura iudicij sola scriptura vel sigillum Episcopi, capit. post cessionem. iun. glos. verb. litteras. de probat.

7 Libri autem visitationum licet probent quoad visitationem per

ionarum,& Sacramentorum, non tamen sufficerent ad probandũ Iuspatronatus cum fiant sine causæ cognitione. Genuen. in prax. ca. 63. num. 17.

Et sufficit quod probetur fundatio siue dotatio licet non appareat de reseruatione Iurispatronatus, sola enim fundatione acquiritur iuspatronatus sine reseruatione aliqua,& transit ad hæredes licet hoc fundator non expresserit. Staph. loco. citat. titu. de iurispatronat. prærog. num. 5. Genuen. loco. cit. num. 13. qui dicit opinionem esse communem.

Est & alius modus probãdi iuspatronatus à Conc. vbi supra præscriptus, vt videlicet probari possit per multiplicatas præsentationes cum præscriptione immemorabilis temporis Si nimirum præsentationes fuerint successiuæ,& fuerint sortitę suum effectum. Calder. de iurep. cons. 12. Zerol. loc. cit.

Immemorabilis quoque computanda est ad diem motæ litis vt etiam Sac. Congreg. Conc. declarauit. referente Gonzal. loco. citat. numero. 89. his verbis.

Congregatio censuit vt ad conficiendam immemorabilem concurrant anni elapsi vsque ad terminum controuersiæ motæ,& non tempus decursum vsque ad publicationem Concilij tantum attendendum sit.

Probata autem immemorabili præsumetur probatum Iuspatronatus ex fundatione, licet hoc non appareat vt declarasse eandem Sac. Cong. refert. Genuen. loc. cit. num. 14.

Non tamen suffragaretur immemorabilis seu continuatæ præsẽtationes, quando constaret de initio inualido à principio, vt si appareat quod fuerit vsurpatũ Iuspatronatus ex priuilegio,& non ex fundatione seu dotatione, quod etiam declaratum fuisse à Sac. Cõgreg. refert. Gonz. loc. cit. num. 48.& tenet. Genuen. loc. cit. nu. 5. similiter non iuuatur quis immemorabili, quando constat de mala fide. c. vlt. de præscript.& c. 1 eod. tit. in 6.

Non tamen requireretur iste rigor præscriptus à Conc. in probando Iurepatronatus, si agatur pro iurepatronatus non contra Ecclesiam, sed inter ipsos patronos, vt fuisse decisum in vna de Ianzi 10. Apr.& 20. Nouemb. 1595. coram Mantica. testatur. Gonz. loc. cit. num. 59.& tenet Genuen. lo. cit. num. 11.& cap. 100. num. 2.

Descendentes autem, vltra prædictas probationes, tenentur etiã probare iure deuolutionis insto, se esse patronos. Deuoluitur autẽ iuspatronatus, primo hæreditate, cap. quoniam, cap. cum sæculum,

iun.

iun.glo.ver.emptorum,de iurepatr.Et tum debet constare eum esse hæredem successionis,qui prætendit iuspatronatus, sola enim sanguinis hæreditas non sufficit.Vnde filia dotata non succedens patri stantibus masculis, & filius, qui repudiauit hæreditatem patris,repelluntur à iure præsentãdi, Abb.in cap.cit.cum sæculum.Zecchus, cit.de benef.cap. 12. nisi testator ordinauerit, vt in iurepatronatus succedant omnes hæredes sanguinis.Anch.cons.81. Similiter licet in iurepatronatus succedatur in stirpes nõ in capita.Clem.plures.de iurepatr.tamẽ si Iuspatr.dẽatur iure donationis, vel legati facti toti familiæ,oẽs de familia succedunt,& oẽs de collegio si collegio fuerit relictum.Genuen.lo.cit.cap.101.num.2.Legari enim potest, vel donari,cap.ex insinuatione,lo.cit.de iurepatr.requiritur tamen cõsensus Episcopi si fiat donatio iurispatr. laico, licet si fiat Ecclesiæ, vel clerico,etiam sine consensu Episcopi sit valida,glo.ver.contulisset,lo.cit.Abb.in cap.cit.cum sæculum.

Deuoluitur quoque iuspatronatus venditione, vel concessione in feudum hæreditatis, cap.cum sæculum, cit.Innoc.ib. non tamen transit ad locatores seu conductores bonorum. Rocchus, de iurepatr.quæst.26.Genuen.lo.cit.num.5. ipsum autem per se iuspatronatus vendi non potest,aliter tam emens quam vendens illo priuarentur, & Ecclesia rediret ad libertatem, cap.quia clerici,cap.de de iure.tit.cit.Conc.vbi supra.sic etiam amittit iuspatronatus occidens Rectorem seu clericum suæ Ecclesiæ patronatæ, vel si fuerit Hæreticus. Zerol. loc.cit.ad.8. In tantum autem est priuilegiatum iuspatronatus, vt neque collatio Episcopi illud impedire neque reseruationes Papæ illi derogare possint, nisi expresse dicat Papa se velle derogare.& hoc indulgent iura laicis quo alliciantur ad subueniendum Ecclesijs, glo.ver.collatio. in cap.2. de præbend.in 6. Franch.ib.num.8. Staph.lo.cit.num.1. Tanto magis si iuspatronatus fuerit Regum seu aliorum supremorum Principum istis enim ne quidem Conc.cit. dicta sua ordinatione de modis probandi derogauit,vt patet ex textu ipsius,Conc.

Iuripatronatus tamen Ecclesiastico, siue quod clerico seu alteri alicui cõpetit rõne beneficij seu officij Ecclesiastici, derogari solet, c.cũ dilectus,tit.cit.illiq; derogari per Regulas Cancellariæ multis probat Gonz.lo.cit. si vero clerico iuspatronatus competat ratione proprij patrimonij, vel ratione rei sæcularis, censebitur per omnia vt iuspatronatus laicale Staph. lo.cit.num.2. Et si clericus in simul cum laico sit patronus, gaudebit priuilegio laici nec afficietur reseruationibus, sicut & è conuerso laicus gaudebit priuilegio cle-

rici

rici in fauorabilibus, late Felin. in tract. quando litt. Apost. noceant patr. limit. 3. vbi dicit hanc opinionem esse communem, idem tenet Couar. pract. q. cap. 36. num. 5.

Tertio limitatur Episcopi facultas in conferendis beneficijs priuilegijs seu consuetudinibus particularium personarum, vel collegiorum. Vt priuilegio legati à latere Cardinalis, qui in prouincia ad quam est Legatus, omnia potest, quæ potest Episcopus in sua Diœcesi, & concurrit cum eo in collatione beneficiorum, cap. 1. & 2. de offi. Leg. in 6. cap. si à sede, de præb. ib. si tamen non fuerit Cardinalis, hoc non potest, vnde neque Nuncij cum facultatibus Legati à latere beneficia conferre possunt, nisi habuerint super hoc concessionem expressam, cap. 1. cit.

Derogatur item Episcopo priuilegio Capituli si id habeat ad eligendum ad aliqua beneficia, cap. cum in Ecclesijs, de præb. in 6. cit. cap. si capitulo, de concess. præb. ib. vel si vna cum Episcopo conferre soleat, cap. postulastis, extr. hoc tit. vel alternatiuè, cap. cum in illis, de præb. in 6. cit. Quandoque etiam Abbates Priores seu alij inferiores Prælati habent priuilegia particularia beneficia conferendi, Clem. vn. de supplen. negl. prælat.

Exceptis itaque limitatis casibus prædictis Episcopus liberè confert beneficia Ecclesiastica suæ Diæcesis, vt diximus. Quinimo, & in casibus istis limitatis aliquando retinet suam potestatem. Vt primo ad Ecclesiam Parochialem vacantem in mensibus Papæ reseruatis, ille potest per concursum eligere digniorem instituendum ex ordinatione dicti Conc. sess. 24. cap. 18. de ref. & declaratum fuit constitutione Pij V. quæ infra referetur.

Confert, & in reseruatis vacantia per resignationem, vacantia enim per resignationem non afficiuntur reseruatione, vt patet ex tex. Reg. 8. & probat Gonz. cit. super illis verbis Regulæ glo. 14. Similiter confert & resignata causa permutationis quocunque tempore vacauerint. cap. cum olim, cap. cum vniuersorum, de rerum permutatio. Feder. de Senis, de permut. benefic. num. 30. Rebuff. eo. tit. num. 36.

Cōfert, & præstimonia, hospitalia, beneficia manualia seu ad nutum amouibilia nulla resuatione obstante, neque enim hæc afficiūtur reseruationibus. Staph. cit. de noua forma expect. num. 29. Zer. verb. beneficia, ad 3. Gonz. cit. gloss. 5. §. 6.

Signanter autem de hospitalibus. loquitur Clem. per litteras. de præb. quippe quæ non veniant appellatione beneficiorū. Felin. in c. de quarta, num. 9. de præscript.

Con-

Confert item non obstantibus reseruationibus quando ipsi speciali aliquo priuilegio hoc fuerit indultum. Sicuti nationi Germanicæ, & Gallicæ vi concordatorum cum sede Apost. quædã specialia circa collationem beneficiorum concessa sunt quorum concordatorum constitutiones quo vtilitati siue curiositati multorum satisfiat hic posuimus, vt sequitur Primo Germanica Nicolai PP. V.

Nicolaus Episcopus, &c. Ad Sacram Petri sedem, &c. Nuper siquidem charissimus in Christo filius noster Federicus Romanorum Rex illustris, & nonnulli alij dilecti filij Ecclesiastici, & sæculares Principes inclitæ nationis Germanicæ ex vna, ac dilectus filius noster Ioannes sancti Angeli Diaconus Cardinalis in partibus illis Apostolicæ sedis de latere Legatus per nos ad dictas partes missus sufficienti desuper à nobis, & sede Apostolica auctoritate suffultus ex alia partibus, Romanæ Ecclesiæ, & dictæ nationis nominibus, pro ipsius Ecclesiæ vnione pace, & trãquillitate, inter Ecclesiam, & nationem prędictam perpetuo solidandis, & cõseruandis diuersa rationabilia, & vtilia, ordinationes, & statuta à partibus ipsis hinc inde approbata, laudata, conclusa, acceptata, & concordata fecerunt ac ediderunt. Nobisque humiliter supplicari fecerunt vt illis pro firmiori eorum subsistentia robur Apostolicæ firmitatis adijcere, necnon auctoritatem potiorem, & decretum interponere dignaremur. Nos itaque qui statuta ordinationes, & concordata prædicta per nonnullos ex Venerabilibus fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus, magnorum maturitatis, auctoritatis, & litteraturæ viros, diligenter examinari, & discuti fecimus, eaque rationabilia, & salubria tam Ecclesiæ quam Nationi præfatæ fore comperimus de dictorum, & aliorum venerabilium fratrum nostrorum prædictæ Ecclesiæ Cardinalium consilio, & assensu, Apostolica auctoritate, & ex certa scientia approbamus, ratificamus, laudamus, & acceptamus, & præsentis scripti patrocinio communimus iuxta modum & formam subsequentes. Placet nobis super prouisione Ecclesiarum, & beneficiorum Ecclesiasticorum quorumcunque vti iuris scripti reseruatione, & execrabilis, & ad regimen constitutionum modificatis vt sequitur. Ad regimen Ecclesiæ generalis quanquam immeriti superna dispositione vocati gerimus in nostris desiderijs vt debemus, quod per nostrę diligentiæ studium ad quarumlibet Ecclesiarum, & Monasteriorum regimina, ac alia beneficia iuxta diuinum beneplacitum, & nostræ intentionis affectum viri assumantur idonei qui præsint, & prosint committendis eis Ecclesijs monasterijs, & beneficijs prælibatis. Præmissorum itaq; consideratione inducti, & suadentibus nobis alijs rationabilibus causis nonnullorum prædecessorum nostrorum Rom. Pontificum vestigijs inhærentes,

rentes, omnes Patriarchales Archiepiscopales Episcopales Ecclesias, & etiam Monasteria prioratus, dignitates, personatus, & officia necnon canonicatus præbendas, & Ecclesias cęteraque beneficia Ecclesiastica cũ cura vel sine cura sæcularia, & regularia quæcunque, & qualiacunque fuerint etiamsi ad illa personæ consueuerint seu debuerint per electionem seu quemuis alium modum assumi, nunc apud sedem Apostolicam quocunque modo vacantia, & in posterum vacatura, necnon per depositionem vel priuationem seu translationem per nos seu authoritate nostra factas, & in antea faciendas vbilibet: necnõ ad quę aliqui in concordia vel discordia electi seu postulati fuerint, quorum electio cassata seu postulatio repulsa, vel per eos facta renunciatio, & admissa authoritate nostra extiterit, seu quorum electorum vel postulatorum, & in antea eligendorum vel postulandorum electionem cassari seu postulationem repelli aut renunciationem admitti per nos aut authoritate nostra continget apud Sedem prædictam vel alibi vbicunque, & etiam per obitum Cardinaliũ eiusdem Ecclesiæ Romanæ, aut officialium dictæ sedis quamdiu ipsa officia actualiter tenebunt, (videlicet Vicecancellarij, Camerarij, Septem Notariorum, Auditoris litterarum contradictarum, & Apostolici Palatij causarum Auditorum, Correctorum, centum & vnius scriptorum litterarum Apostolicarum, & viginti quatuor Pœnitentiariæ præfatæ sedis, & vigintiquinque Abbreuiatorum, necnon verorum commensalium nostrorum, & aliorum vigintiquatuor Capellanorum sedis eiusdẽ in Epitaphio descriptorum,) & etiam quorumcunque Legatorum seu collectorum ac in terris Rom. Ecclesię Rectorum ac Thesaurariorum deputatorũ seu missorum hactenus, vel deputandorum aut mittendorum in posterum nunc vacantia, & inantea vacatura, vbicunque dictos Legatos vel collectores seu Rectores, & Thesaurarios antequam ad Romanam Curiam redierint seu venerint, rebus eximi contigerit ab humanis: necnon quorumlibet pro quibuscunque negotijs ad Romanam curiam venientium, seu ẽt recedentiũ ab eadem si in locis à dicta curia vltra duas dietas legales nõ distantibus iam forsan obierint, vel eos in antea ab hac luce transire contigerit, & etiam simili modo quorumcunque Curialium peregrinationis infirmitatis, seu recreationis vel alia quacunque causa ad quæuis loca se cedẽtium, si eos antequam ad dictam Curiã redierint in locis vltra duas dietas ab eadem curia vt præmittitur non remotis (dummodo eorũ proprium domicilium non existat ibidem) iã forsan decesserint vel in posterum eos continget de medio submoueri, etiam nunc per obitum huiusmodi vacantia vel in posterum vacatura: Rursus Monasteria, prioratus, dignitates, personatus, decanatus, administrationes, officia, Canonicatus, præbendas, & Ecclesias cæteraque beneficia Ecclesiastica sæcularia, &

regula-

regularia cum cura vel ſine cura, quæcunque, & qualiacunque fuerint, etiamſi ad illa perſonæ conſueuerint ſeu debuerint per electionem ſeu quẽuis alium modum aſſumi, quæ promoti per nos ſeu authoritate noſtra ad Patriarchalium Archiepiſcopalium, & Epiſcopalium Eccleſiarum, necnon Monaſteriorum regimina obtinebant tempore promotionum de ipſis factarum, nunc quocunque modo vacantia aut in poſterum vacatura: necnõ etiam per aſſecutionem pacificam quorumcunque Prioratuum, Perſonatuum, officiorum, canonicatuum, præbendarum, Eccleſiarum aut beneficiorum aliorum per nos ſeu authoritate noſtrarum litterarum immediatè collatorum ſeu conferendorum in poſterum, præterquam ſi virtute gratiæ expectatiuæ aſſecutio fiet, nunc vacantia, & inãtea vacatura, plena ſuper præmiſſis omnibus, & ſingulis cum Fratribus noſtris collatione præhabita, & matura deliberatione ſequuta, Ordinationi diſpoſitioni, & prouiſioni noſtræ de ipſorum fratrum conſilio, authoritate Apoſtolica reſeruamus. Decernentes ex nunc irritum, & inane ſi ſecus ſuper præmiſſis, & quolibet eorum per quoſcunq; quauis authoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attẽtari. Item placet nobis quod in Metropolitanis, & cathedralibus etiam immediatè non ſubiectis Eccleſijs: & in monaſterijs immediatè ſubiectis ſedi Apoſtolicæ, fiãt electiones canonicæ, quæ ad dictam ſedem deferantur, quas etiam ad tempus conſtitutionis fel. rec. Nicolai PP. III. quæ incipit. cupientes, expectabimus, & elapſo dicto tempore ſi non præſentatæ, vel ſi præſentatæ minus canonicæ fuerint, prouidebimus, & ſi canonicæ fuerint eas confirmabimus, niſi ex rationabili, & euidenti cauſa, ac de dictorum fratrum conſilio, de digniori, & vtiliori perſona duxerimus prouidendum, prouiſo quod confirmati prædicti, & per nos prouiſi metropolitanis ſuis, & alijs præſtent debita iuramenta, & alia ad quæ de iure tenentur. Et in monaſterijs dictæ ſedi immediate non ſubiectis, & alijs regularibus beneficijs, ſuper quibus pro confirmatione vel prouiſione ad dictam ſedem non conſueuit haberi recurſus, electi ſeu illi, quibus prouidendum eſt pro confirmatione, & prouiſione huiuſmodi ad Curiam Rom. venire non tenebuntur, ipſaque regularia beneficia ſub expectatiuis gratijs non cadant. Vbi autem pro Monaſterijs ad dictã curiam venire ſeu mittere conſueuerint, non aliter confirmabimus vel prouidebimus, quam ſuperius de cathedralibus Eccleſijs eſt expreſſum. Et de monaſterijs Monialium non diſponemus, niſi ſint exempta, & tunc per commiſſionem ad partes. De cæteris vero dignitatibus, & beneficijs quibuſcunque ſæcularibus, & regularibus vacaturis vltra reſeruationes prædictas (maioribus dignitatibus poſt põtificales in cathedralibus, & principalibus in collegiatis Eccleſijs exceptis) de quibus iure ordinario prouidetur per illos inferiores ad quos alias pertinet, placet etiã nobis quod

Maij, Iulij, Augusti, Octobris, & Nouembris, mensibus, vsque ad suæ volũtatis beneplacitum extra Romanam Curiam alias quam per resignationem quocunque modo vacatura, ad collationem, prouisionem, præsentationem, electionem, & quamuis aliam dispositionem quorumcunque, collatorum, & collatricum sæcularium, & quorumuis ordinum regulariũ (non tamen S.R.E. Cardinalium, aut aliorum sub concordatis inter sedem Apostolicam, & quoscunque alios initis, & per eos, qui illa acceptare, & obseruare debuerant acceptatis, & obseruatis, quæ lædere non intendit comprehensorum) quomodolibet pertinentia, dispositioni suæ generaliter reseruauit. Volens in supplicationibus seu concessionibus gratiarum, quæ de dictis beneficijs tunc vacantibus etiam motu proprio fient, de mense in quo vacauerint, dispositiuè mentionem fieri, alioquin gratias nullas esse. Ac consuetudines etiam immemorabiles optandi maiores, & pinguiores præbendas necnon priuilegia, & indulta Apostolica circa ea, ac etiam disponendi de huiusmodi beneficijs, aut quod illa sub huiusmodi reseruationibus nunquam comprehendantur, etiam cum quibusuis derogatoriarum derogatorijs, & fortioribus, efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & alijs decretis, quibusuis personis, & collegijs cuiuscunque dignitatis, & status, gradus, ordinis, & conditionis, existentibus, quomodolibet concessa, aduersus reseruationem huiusmodi minimè suffragari. Insuper sanctitas sua ad gratificandum Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis intenta, ipsis quamdiu apud Ecclesias, aut Diœceses suas verè ac personaliter resederint duntaxat, de omnibus, & quibuscunque beneficijs Ecclesiasticis, cum cura & sine cura, sæcularibus & Regularibus, ad liberam ipsorum duntaxat non autem aliorum cũ eis dispositionem, seu præsentationem, vel electionem, nec etiam cum consilio, vel consensu seu interuentu capitulorũ, vel aliorũ aut alias pertinentibus, quæ in antea in mensib. Februar. April. Iunij, Augusti, Octobris, & Decembris, extra Curiam ipsam vacare contigerit (dummodo alias dispositioni Apostolicæ reseruata, vel affecta non fuerint) liberè disponendi facultatem concessit, ac etiam voluit, vt si ipsi in collatione aut alia dispositione beneficiorum in alijs sex mensibus videlicet Ianuarij, Martij, Maij, Iulij, Septembris, & Nouembris, vacaturorum, (quæ etiam dispositioni suæ, vt præfertur reseruauit) seu etiam aliorum dispositioni suæ, & dictæ sedis alias quomodolibet reseruatorum, vel affectorum, sese intromiserint, aut quominus prouisiones, & gratiæ sanctitatis suæ de illis debitum effectum consequantur, impedimẽtum quoquomodo præstiterint, vsu & beneficio prædictæ facultatis eo ipso priuati existant, ac collationes, & alia dispositiones de beneficijs illius prætextu deinceps faciendæ, nullius sint roboris, vel momenti. Illi vero qui gratiam alternatiuæ prædictæ,

dictæ, acceptare voluerint, acceptationē huiusmodi p patētes litteras manu propria subsignatas, suoque sigillo munitas, & in sua quisque ciuitate vel Diœcesi datas, declarare, & litteras ipsas huc ad Datarium sanctitatis suæ transmittere teneantur quibus ab eo receptis, & recognitis, tunc demum, & non antea vti incipiant gratia supradicta. Decernentes sic in prædictis omnibus per quoscunque, &c. iudicari debere, ac irritum, &c.

Declaratio reseruationis Ecclesiarum, & beneficiorum per prædecessores reseruatorum.

10 *Item declarauit omnium, & singularum Ecclesiarum Cathedralium, & Monasteriorum prouisiones, quas prædicti prædecessores sui; ordinationi ac dispositioni eorum, necnon omnia & singula beneficia Ecclesiastica, quæ dicti prædecessores etiam prædictæ dispositioni cum interpositione decreti, reseruauerant (quæ quidem Ecclesiæ, & monasteria necnō sic reseruata beneficia, tempore obitus eorundem prędecessorum vacabant, aut Ecclesiæ ipsæ, vel monasteria huiusmodi si commendatà, vel eis administratores deputati non fuissent, etiam tunc vacassent) remansisse, & remanere per huiusmodi reseruationem, & decretum affecta, nullumque de illis præter Romanum Pontificem, ea vice se intromittere, vel disponere potuisse siue posse quoquomodo. Decernentes irritum, & inane si secus super illis attentatum forsan erat tunc vel in posterum contingeret attentari.*

Reseruatio facultatum conferendi beneficia reseruata.

14 *Item reuocat quascunque facultates, & litteras desuper confectas per quas quicunque sui prædecessores Romani Pont. quibusuis personis, ordinariam collationem seu aliam dispositionem beneficiorū Ecclesiasticorū de iure vel consuetudine habentibus, & quauis etiam Patriarchali Archiepiscopali, Episcopali, vel alia dignitate, vel alio non tamen Cardinalatus honore, fungentibus, quauis consideratione, vel intuitu etiam motu proprio, & ex certa sciētia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine cōcesserant, aut quamdiu viuerent, vel suis Ecclesijs, seu monasterijs præessent aut ad aliud tempus de beneficijs Ecclesiasticis generaliter reseruatis seu affectis ad eorum collationem, prouisionem, præsentationem, electionem, & quāuis aliam dispositionem communiter, vel diuisim spectantibus, disponere liberè, & licitè valerent, aut etiam ad id per eosdem prædecessores Vicarij perpetui, vel ad tempus constituti forent.*

De beneficijs vacaturis per promotionem ad Ecclesias, & Monasteria.

25 *Item prædictus D. N. Papa voluit, decreuit, & ordinauit, quod quæcunque concessiones, gratiæ, & mandata etiam motu proprio, & cum derogatione huius constitutionis quæ ab eo pro quibusuis personis emanauerint, de prouidendo eis de quibusuis beneficijs vacaturis per promotionem quorumcunque ad Ecclesiarũ, & monasteriorum regimina; si huiusmodi concessiones, & mandata diem promotionis promouendorum ipsorum præcesserint, necnon quæcunque collationes, prouisiones, & dispositiones pro tempore faciendæ, de præmissis ac quibusuis alijs beneficijs Ecclesiasticis sæcularibus, & regularibus, quæ per promouendos, vel aßumẽdos ad quascunque prælaturas inter illarũ vacationis, & huiusmodi promotionis, vel assumptionis tempora simpliciter, vel ex causa permutationis vbicunque resignari, vel alias dimitti contigerit cum inde sequutis pro tempore sint cassæ, & irritæ nulliusque roboris vel momenti.*

Beneficia item vacantia propter crimen Hæresis reseruauit sedi Apostoli. Pius.V. constitutione sua incip. cum ex Apostolatus, an. 1566. 6. Kal. Febr.

4 Idem reseruauit beneficia quæcunque recepta in confidentiam quæ vacant ipso iure vt supra in bulla confidentiali à nobis relata.

Reseruata item sunt sedi Apostolicæ beneficia contra formam Conc. Trid. collata ab Or dinarijs collaroribus, constitutione eiusdem Pij.V. quam infra referemus. Et beneficia per resignationem vacantia si non conferantu r iuxta formam constitutionis Gregor. XIII. incipit, Humano vix iudicio, de qua inferius.

Affecta etiam beneficia per appositionem manus Papæ sunt reseruata sedi Apostolicæ nec amplius quisquam pro ea vice de eis sese intromittere potest. extrauag. ad Romani, de præben. comm. vt si Papa det beneficium in commendam, cessante commenda, censetur eo modo vacare quo vacabat eo tempore quo fuit commendatum. Nau. cap. 25. num. 126. & solus Papa illud confert, & si apponat in prouisione decretum, vt resignetur beneficiũ in manus eius, cum fuerit resignatum à nullo conferri potest præterquam à Papa. Item si conferat Papa beneficium inhabili, si vacaret propter huiusmodi inhabilitatem, pertineret ad dispositionem Papę. Cum etiam Papa mandat alicui prouideri de primo vacante, primum vacans remanet

remanet affectum, & reseruatum. Aeneas de Falcon. de reseru. prælud. 3. Mandosius, in Reg. 4. Canc. quæst. 4. Rebuff. loc. cit. à nu. 30. Gonz. super. 8. reg. Canc. gl. 52. vbi viginti affectionis modos enumerat cum decem limitationibus.

Reseruatum præterea censetur beneficium Papæ si præueniat in collatione Ordinarium, datur enim ipsi præuentioni locus, cap. si à sede. c. dudum, loco. cit. de præb. in 6. Similiter, & Episcopus licitè potest præuenire suum Vicarium generalem, cui dederit facultatē conferendi beneficia, gl. in c. constitutus, de præben. verb. canonicè. Rebuff. de Vicar. nu. 89.

Reseruata demum sunt beneficia Papæ de quibus Ordinarius collator intra sex mensium decursum non prouiderit, c. licet de sup plen. negl. prælat.

Vltra autem reseruationes Papales Limitatur secundo Episcopi facultas in conferendis beneficijs, Iurepatronatus, quo alicui competit Ius nominandi personam instituendam in aliqua Ecclesia.

Et hoc acquiritur ex fundatione, constructione, vel dotatione
5 Ecclesiæ, cap. quoniam, iun. glos. verb. fundatores, de iurepat. Alios autem modos prætendendi iuspatronatus sustulit Conc. Trid. sess. 24. de ref. cap. 12. & sess. 25. cap. 9. vbi præscripsit modum probandi iurapatronatus, vt videlicet probentur per scripturas authenticas. Vnde non sufficeret probare per testes vt etiam declarauit Sac. Cong. Conc. consulta super loco cit. Conc. relata apud Gonzal. cit. gl. 18. num. 79.

Congregatio omnium consensu censuit requiri pro forma, vt probatio fiat per authenticas scripturas, & regulam esse constituendam quod probatio per testes non sufficiat.

Si tamen ageretur possessorio tantum, sufficeret probatio per testes vt vult Zerol. verb. iuspatronatus, ad. 3.

6 Scriptura autem authentica dicitur, quæ conficitur per actuarium publicum, seu Iudicem cum duorum vel trium testium subscriptione seu præsentia, glos. in cap. 1. de fide instrum. verb. si scripturam. Quod ad propositum autem, scriptura authentica censetur Bulla Episcopi seu consensus in scripto datus ad fundandum, construendum siue dotandum, facit enim plenam fidem in his quæ fiunt sine figura iudicij sola scriptura vel sigillum Episcopi, capit. post cessionem. iun. glos. verb. litteras. de probat.

7 Libri autem visitationum licet probent quoad visitationem per

sionarum, & Sacramentorum, non tamen sufficerent ad probandũ Iuspatronatus cum fiant sine causæ cognitione. Genuen. in prax. ca. 63. num. 17.

Et sufficit quod probetur fundatio siue dotatio licet non appareat de reseruatione Iurispatronatus, sola enim fundatione acquiritur iuspatronatus sine reseruatione aliqua, & transit ad hæredes licet hoc fundator non expresserit. Staph. loco. citat. titu. de iurispatronat. prærog. num. 5. Genuen. loco. cit. num. 13. qui dicit opinionem esse communem.

Est & alius modus probãdi iuspatronatus à Conc. vbi supra præscriptus, vt videlicet probari possit per multiplicatas præsentationes cum præscriptione immemorabilis temporis. Si nimirum præsentationes fuerint successiuæ, & fuerint sortitę suum effectum. Calder. de iurep. cons. 12. Zerol. loc. cit.

Immemorabilis quoque computanda est ad diem motæ litis vt etiam Sac. Congreg. Conc. declarauit, referente Gonzal. loco. citat. numero. 89. his verbis.

Congregatio censuit vt ad conficiendam immemorabilem concurrant anni elapsi vsque ad terminum controuersiæ motæ, & non tempus decursum vsque ad publicationem Concilij tantum attendendum sit.

Probata autem immemorabili præsumetur probatum Iuspatronatus ex fundatione, licet hoc non appareat vt declarasse eandem Sac. Cong. refert. Genuen. loc. cit. num. 14.

Non tamen suffragaretur immemorabilis seu continuatæ præsẽtationes, quando constaret de initio inualido à principio, vt si appareat quod fuerit vsurpatũ Iuspatronatus ex priuilegio, & non ex fundatione seu dotatione, quod etiam declaratum fuisse à Sac. Cõgreg. refert. Gonz. loc. cit. num. 48. & tenet. Genuen. loc. cit. nu. 5. similiter non iuuatur quis immemorabili, quando constat de mala fide. c. vlt. de præscript. & c. 1 eod. tit. in 6.

Non tamen requireretur iste rigor præscriptus à Conc. in probando Iurepatronatus, si agatur pro iurepatronatus non contra Ecclesiam, sed inter ipsos patronos, vt fuisse decisum in vna de Ianzi 10. Apr. & 20. Nouemb. 1595. coram Mantica. testatur. Gonz. loc. cit. num. 59. & tenet Genuen. lo. cit. num. 11. & cap. 100. num. 2.

Descendentes autem, vltra prædictas probationes, tenentur etiã probare iure deuolutionis iusto, se esse patronos. Deuoluitur autẽ iuspatronatus, primo hæreditate, cap. quoniam, cap. cum sæculum,

iun.

iun.glo.ver.emptorum,de iurepatr.Et tum debet constare eum esse hæredem successionis,qui prætendit iuspatronatus, sola enim sanguinis hæreditas non sufficit.Vnde filia dotata non succedens patri stantibus masculis, & filius, qui repudiauit hæreditatem patris,repelluntur à iure præsentãdi, Abb.in cap.cit.cum sæculum.Zecchus, cit.de benef.cap.12. nisi testator ordinauerit, vt in iurepatronatus succedant omnes hæredes sanguinis.Anch.cons.81. Similiter licet in iurepatronatus succedatur in stirpes nõ in capita.Clem.plures.de iurepatr.tamẽ si Iuspatr.dẽatur iure donationis, vel legati facti toti familiæ,oẽs de familia succedunt,&oẽs de collegio si collegio fuerit relictum.Genuen.lo.cit.cap.101.num.2.Legari enim potest, vel donari,cap.ex insinuatione,lo.cit.de iurepatr.requiritur tamen cõsensus Episcopi si fiat donatio iurispatr. laico, licet si fiat Ecclesiæ, vel clerico,etiam sine consensu Episcopi sit valida,glo.ver.contulisset,lo.cit.Abb.in cap.cit.cum sæculum.

Deuoluitur quoque iuspatronatus venditione, vel concessione in feudum hæreditatis, cap.cum sæculum, cit.Innoc.ib. non tamen transit ad locatores seu conductores bonorum. Rocchus, de iurepatr.quæst.26.Genuen.lo.cit.num.5. ipsum autem per se iuspatronatus vendi non potest,aliter tam emens quam vendens illo priuarentur, & Ecclesia rediret ad libertatem,cap.quia clerici,cap.de de iure.tit.cit.Conc.vbi supra.sic etiam amittit iuspatronatus occidens Rectorem seu clericum suæ Ecclesiæ patronatæ, vel si fuerit Hæreticus. Zerol. loc.cit.ad.8. In tantum autem est priuilegiatum iuspatronatus, vt neque collatio Episcopi illud impedire neque reseruationes Papæ illi derogare possint, nisi expresse dicat Papa se velle derogare.& hoc indulgent iura laicis quo alliciantur ad subueniendum Ecclesijs, glo.ver.collatio. in cap.2. de præbend.in 6. Franch.ib.num.8. Staph.lo.cit.num.1. Tanto magis si iuspatronatus fuerit Regum seu aliorum supremorum Principum istis enim ne quidem Conc.cit. dicta sua ordinatione de modis probandi derogauit,vt patet ex textu ipsius,Conc.

Iuripatronatus tamen Ecclesiastico, siue quod clerico seu alteri alicui cõpetit rõne beneficij seu officij Ecclesiastici, derogari solet, c.cũ dilectus,tit.cit.illiq;derogari per Regulas Cancellariæ multis probat Gonz.lo.cit. si vero clerico iuspatronatus competat ratione proprij patrimonij, vel ratione rei sæcularis, censebitur per omnia vt iuspatronatus laicale Staph. lo.cit.num.2. Et si clericus in simul cum laico sit patronus, gaudebit priuilegio laici nec afficietur reseruationibus, sicut & è conuerso laicus gaudebit priuilegio cle-

rici

rici in fauorabilibus, late Felin. in tract. quando litt. Apost. noceant patr. limit. 3. vbi dicit hanc opinionem esse communem, idem tenet Couar. pract. q. cap. 36. num. 5.

Tertio limitatur Episcopi facultas in conferendis beneficijs priuilegijs seu consuetudinibus particularium personarum, vel collegiorum. Vt priuilegio legati à latere Cardinalis, qui in prouincia ad quam est Legatus, omnia potest, quæ potest Episcopus in sua Diœcesi, & concurrit cum eo in collatione beneficiorum, cap. 1. & 2. de offi. Leg. in 6. cap. si à sede, de præb. ib. si tamen non fuerit Cardinalis, hoc non potest, vnde neque Nuncij cum facultatibus Legati à latere beneficia conferre possunt, nisi habuerint super hoc concessionem expressam, cap. 1. cit.

Derogatur item Episcopo priuilegio Capituli si id habeat ad eligendum ad aliqua beneficia, cap. cum in Ecclesijs, de præb. in 6. cit. cap. si capitulo, de concess. præb. ib. vel si vna cum Episcopo conferre soleat, cap. postulastis, extr. hoc tit. vel alternatiuè, cap. cum in illis, de pręb. in 6. cit. Quandoque etiam Abbates Priores seu alij inferiores Prælati habent priuilegia particularia beneficia conferendi, Clem. vn. de supplen. negl. prælat.

Exceptis itaque limitatis casibus prædictis Episcopus liberè confert beneficia Ecclesiastica suæ Diœcesis, vt diximus. Quinimo, & in casibus istis limitatis aliquando retinet suam potestatem. Vt primo ad Ecclesiam Parochialem vacantem in mensibus Papæ reseruatis, ille potest per concursum eligere digniorem instituendum ex ordinatione dicti Conc. sess. 24. cap. 18. de ref. & declaratum fuit constitutione Pij V. quæ infra referetur.

Confert, & in reseruatis vacantia per resignationem, vacantia enim per resignationem non afficiuntur reseruatione, vt patet ex tex. Reg. 8. & probat Gonz. cit. super illis verbis Regulæ glo. 14. Similiter confert & resignata causa permutationis quocunque tempore vacauerint. cap. cum olim, cap. cum vniuersorum, de rerum permutatio. Feder. de Senis, de permut. benefic. num. 30. Rebuff. eo. tit. num. 36.

Cõfert, & præstimonia, hospitalia, beneficia manualia seu ad nutum amouibilia nulla resuatione obstante, neque enim hæc afficiũtur reseruationibus. Staph. cit. de noua forma expect. num. 29. Zer. verb. beneficia, ad 3. Gonz. cit. gloss. 5. ſ. 6.

Signanter autem de hospitalibus. loquitur Clem. per litteras. de præb. quippe quæ non veniant appellatione beneficiorũ. Felin. in c. de quarta, num. 9. de præscript.

Con-

Confert item non obstantibus reseruationibus quando ipsi speciali aliquo priuilegio hoc fuerit indultum. Sicuti nationi Germanicæ, & Gallicæ vi concordatorum cum sede Apost. quædã specialia circa collationem beneficiorum concessa sunt quorum concordatorum constitutiones quo vtilitati siue curiositati multorum satisfiat hic posuimus, vt sequitur Primo Germanica Nicolai PP. V.

Nicolaus Episcopus, &c. Ad Sacram Petri sedem, &c. Nuper siquidem charissimus in Christo filius noster Federicus Romanorum Rex illustris, & nonnulli alij dilecti filij Ecclesiastici, & sæculares Principes inclitæ nationis Germanicæ ex vna, ac dilectus filius noster Ioannes sancti Angeli Diaconus Cardinalis in partibus illis Apostolicæ sedis de latere Legatus per nos ad dictas partes missus sufficienti desuper à nobis, & sede Apostolica auctoritate suffultus ex alia partibus, Romanæ Ecclesiæ, & dictæ nationis nominibus, pro ipsius Ecclesiæ vnione pace, & trãquillitate, inter Ecclesiam, & nationem prædictam perpetuo solidandis, & cõseruandis diuersa rationabilia, & vtilia, ordinationes, & statuta à partibus ipsis hinc inde approbata, laudata, conclusa, acceptata, & concordata fecerunt ac ediderunt. Nobisque humiliter supplicari fecerunt vt illis pro firmiori eorum subsistentia robur Apostolicæ firmitatis adijcere, necnon auctoritatem potiorem, & decretum interponere dignaremur. Nos itaque qui statuta ordinationes, & concordata prædicta per nonnullos ex Venerabilibus fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus, magnorum maturitatis, auctoritatis, & litteraturæ viros, diligenter examinari, & discuti fecimus, eaque rationabilia, & salubria tam Ecclesiæ quam Nationi præfatæ fore comperimus de dictorum, & aliorum venerabilium fratrum nostrorum prædictæ Ecclesiæ Cardinalium consilio, & assensu, Apostolica auctoritate, & ex certa scientia approbamus, ratificamus, laudamus, & acceptamus, & præsentis scripti patrocinio communimus iuxta modum & formam subsequentes. Placet nobis super prouisione Ecclesiarum, & beneficiorum Ecclesiasticorum quorumcunque vti iuris scripti reseruatione, & execrabilis, & ad regimen constitutionum modificatis vt sequitur. Ad regimen Ecclesiæ generalis quanquam immeriti superna dispositione vocati gerimus in nostris desiderijs vt debemus, quod per nostræ diligentiæ studium ad quarumlibet Ecclesiarum, & Monasteriorum regimina, ac alia beneficia iuxta diuinum beneplacitum, & nostræ intentionis affectum viri assumantur idonei qui præsint, & prosint committendis eis Ecclesijs monasterijs, & beneficijs prælibatis. Præmissorum itaq; consideratione inducti, & suadentibus nobis alijs rationabilibus causis nonnullorum prædecessorum nostrorum Rom. Pontificum vestigijs inhærentes,

regularia cum cura vel sine cura, quæcunque, & qualiacunque fuerint, etiamsi ad illa personæ consueuerint seu debuerint per electionem seu quẽuis alium modum assumi, quæ promoti per nos seu authoritate nostra ad Patriarchalium Archiepiscopalium, & Episcopalium Ecclesiarum, necnon Monasteriorum regimina obtinebant tempore promotionum de ipsis factarum, nunc quocunque modo vacantia aut in posterum vacatura: necnõ etiam per assecutionem pacificam quorumcunque Prioratuum, Personatuum, officiorum, canonicatuum, præbendarum, Ecclesiarum aut beneficiorum aliorum per nos seu authoritate nostrarum litterarum immediate collatorum seu conferendorum in posterum, præterquam si virtute gratiæ expectatiuæ aßecutio fiet, nunc vacantia, & inãtea vacatura, plena super præmissis omnibus, & singulis cum Fratribus nostris collatione præhabita, & matura deliberatione sequuta, Ordinationi dispositioni, & prouisioni nostræ de ipsorum fratrum consilio, authoritate Apostolica reseruamus. Decernentes ex nunc irritum, & inane si secus super præmissis, & quolibet eorum per quoscunq; quauis authoritate scienter vel ignoranter contigerit attẽtari. Item placet nobis quod in Metropolitanis, & cathedralibus etiam immediatè non subiectis Ecclesijs: & in monasterijs immediatè subiectis sedi Apostolicæ, fiãt electiones canonicæ, quæ ad dictam sedem deferantur, quas etiam ad tempus constitutionis fel. rec. Nicolai PP. III. quæ incipit. cupientes, expectabimus, & elapso dicto tempore si non præsentatæ, vel si præsentatæ minus canonicæ fuerint, prouidebimus, & si canonicæ fuerint eas confirmabimus, nisi ex rationabili, & euidenti causa, ac de dictorum fratrum consilio, de digniori, & vtiliori persona duxerimus prouidendum, prouiso quod confirmati prædicti, & per nos prouisi metropolitanis suis, & alijs præstent debita iuramenta, & alia ad quæ de iure tenentur. Et in monasterijs dictæ sedi immediate non subiectis, & alijs regularibus beneficijs, super quibus pro confirmatione vel prouisione ad dictam sedem non consueuit haberi recursus, electi seu illi, quibus prouidendum est pro confirmatione, & prouisione huiusmodi ad Curiam Rom. venire non tenebuntur, ipsaque regularia beneficia sub expectatiuis gratijs non cadant. Vbi autem pro Monasterijs ad dictã curiam venire seu mittere consueuerint, non aliter confirmabimus vel prouidebimus, quam superius de cathedralibus Ecclesijs est expressum. Et de monasterijs Monialium non disponemus, nisi sint exempta, & tunc per commissionem ad partes. De cæteris vero dignitatibus, & beneficijs quibuscunque sæcularibus, & regularibus vacaturis vltra reseruationes prædictas (maioribus dignitatibus post põtificales in cathedralibus, & principalibus in collegiatis Ecclesijs exceptis) de quibus iure ordinario prouidetur per illos inferiores ad quos alias pertinet, placet etiã nobis quod

per quamcunque aliam reseruationem, gratiam expectatiuam, aut quamuis aliam dispositionem, sub quacunque verborum forma, per nos vel authoritate nostra factam vel faciendam, non impediemus nos quominus de illis cum vacabunt de Februarij, Aprilis, Iunij, Augusti, octobris, & Decembris mensibus libere disponatur per illos, ad quos eorum collatio, prouisio, præsentatio, electio, seu quauis alia dispositio pertinebat, reseruatione aliavè quauis dispositione authoritate nostra factis vel faciendis non obstantibus quibuscunque. Quoties vero aliquo vacante beneficio in Ianuarij Martij. Maij, Iulij, Septembris, & Nouembris mensibus specialiter dispositioni dictæ sedis reseruatis non apparuerit intra tres menses à die notæ vacationis in loco beneficij, quod alicui de illo Apostolica authoritate prouisum fuerit, ex tunc, & non antea ordinarius, vel alius ad quē illius dispositio pertinebit de illo liberè disponere poterit. Et ad finem vt hæc ordinatio collationum beneficiorum non reseruatorum per alternos menses possit per dictam Nationem publicari, & omnes qui ea gaudere voluerint tempus congruum habeant eam acceptandi, tunc quoad dictam sedem à Kalendis Iunij proxime futuris ipsa currere incipiet, & durabit deinceps, nisi in futuro Concilio de consensu dictæ nationis aliter fuerit ordinatum. Placet similiter nobis quod circa prouisionem dictæ sedis ordinandam, modus Annatarum hoc modo currat. De Ecclesijs cathedralibus omnibus, & Monasterijs virorum duntaxat vacantibus, & vacaturis, soluantur de fructibus primi anni à die vacationis, summæ pecuniarum, in libris cameræ Apostolicæ taxatæ quæ communia seruitia nuncupantur: Et si quæ excessiuè taxatæ sint, retaxentur, & quod prouideatur in grauatis regionibus, secundum qualitatem rerum, temporum, & regionum, ne nimium prægrauentur: ad quod petentibus dabimus commissarios in partibus qui diligenter inquirant, & retaxent. Taxa autem prædictæ pro media parte infra annum à die habitæ possessionis pacificæ, totius, vel maioris partis soluantur, & pro alia media parte infra annum sequentem. Et si infra annum bis vel pluries vacauerint, semel tantum soluantur, nec debitum huiusmodi in successorem in Ecclesia vel Monasterio transeat. De cæteris vero dignitatibus, personatibus, officijs, & beneficiis sæcularibus, & regularibus quibuscunque quæ auctoritate dictæ sedis conferentur, vel de quibus prouidebitur (præterquā vigore gratiarū expectatiuarū aut causa permutationis) soluātur Annatæ seu medij fructus iuxta taxā solitā à tempore possessionis infra annum, & debitum huiusmodi similiter in successorem in beneficio non transeat, Sed de beneficijs, quæ valorem viginti quatuor florenorum auri de Camera non excedunt, nihil soluatur. duretque hæc obseruantia deinceps nisi eam similiter in futuro Concilio de ipsius Nationis consensu contingat immutari.

In alijs

In alijs autem quę per fæl. rec. Eugen. Papa IV. etiam prædecessorem nostrum pro dicta natione vsque ad tempus futuri generalis Concilij permissa, concessa, indulta, & decreta, ac per nos confirmata fuerunt, in quãtum illa concordiæ præsenti non obuiant ista vice nihil volumus esse immutatum. Et per hoc quod in concordatis huiusmodi siue quibusuis alijs corũ occasione conficiendis litteris propter compendiosiorem descriptionem Alemania specialiter appellatur, natio ipsa censeri non debet à Germanica natione distincta seu quomodolibet separata. Et prætcrea quia difficilè foret præsentes litteras ad singula in quibus de eis forsan facienda fides fuerit loca deferri, eadem Apostolica authoritate decernimus, quod ipsarum transumpto, &c. Nulli ergo, &c. Dat. Romæ, an. Incar. Domin. 1448. 18. Kal. April.

Regni autẽ Franciæ concordata cum Leone X. in Conc. Lateranen. confirmata multo maiora priuilegia circa beneficiorum dispositionem ei nationi concessa continet tenore sequenti.

11 *Sacro approbante Concilio. & infra. De eorundem fratrum consilio & vnanimi consensu ex certa nostra scientia, & potestatis plenitudine statuimus, & ordinamus, quod de cætero perpetuis futuris temporibus loco dictæ pragmaticæ constitutionis ac omnium, & singulorum capitulorum in ea contentorum, in dicto Regno Delphinatu, & comitatu Dien. ac Valentinen. infrascriptæ obseruentur constitutiones, videlicet. Quod cathedralibus, & Metropolitanis Ecclesijs in Regno Delphinatu, & Comitatu prædictis nunc & pro tempore etiã per cessionem in manibus nostris, & successorum nostrorum, Rom. Pont. canonicè intrantium sponte factam vacantibus, illarum Capitula, & Canonici ad electionem seu postulationem inibi futuri prælati procedere non possint, sed illarum occurrente huiusmodi vacatione Rex Franciæ pro tempore existens, vnum grauem Magistrum seu licentiatum in Theologia aut in vtroque seu altero iurium Doctorem aut licentiatum in vniuersitate famosa, & cum rigore examinis, & in vigesimo septimo suæ ætatis anno ad minus cõstitutum, & alias idoneum, infra sex menses à die vacationis Ecclesiarum earundem computandos, nobis, & successoribus nostris, Rom. Pont. seu sedi prædictæ nominare, & de persona per Regem huiusmodi nominata, per nos, & successores nostros seu sedem prædictam prouideri, & si contingeret præfatum Regem, personam taliter non qualificatam ad dictas Ecclesias sic vacantes nominare, per nos seu successores seu sedem huiusmodi de persona sic nominata eisdem Ecclesijs minimè prouideri debeat, sed teneatur idem Rex infra tres alios menses à die recusationis personæ nomina-*

tæ non qualificatæ solicitatori nominationem non qualificatam prosequẽti consistorialiter factæ intimandæ computandos, alium supradicto modo qualificatum nominare, alioquin, vt dispendiosæ Ecclesiarum huiusmodi vacationi celeriter consulatur, Ecclesiæ tunc sic vacanti per nos, & successores nostros seu sedem huiusmodi de persona, vt præfertur qualificata, necnon Ecclesijs per obitum apud sedem prædictam vacantibus, semper nulla dicti Regis præcedente nominatione liberè prouideri possit: decernẽtes electiones contra præmissa attentatas, ac prouisiones per nos, & successores nostros seu sedem huiusmodi factas, nullas, & inualidas existere. Consanguineis tamen præfati Regis ac personis sublimibus ex causa rationabili, & legittima, in nominatione, & Apostolicis litteris exprimenda, necnon religiosis mendicantibus reformatis eminentis scientiæ, & excellentis doctrinæ, qui iuxta sui ordinis regularia instituta ad gradus huiusmodi assumi non possunt, sub prohibitione præmissa minimè comprehẽsis, sed de eorum personis dictis Ecclesijs pro tempore vacantibus ad dicti Regis nominationem per nos, & successores nostros seu sedem huiusmodi, liberè prouideri possit, monasterijs vero, & prioratibus conuentualibus, & verè electiuis, videlicet in quorum electionibus forma capituli. Quia propter; seruari, & confirmationes electionum huiusmodi solemniter peti consueuerũt, in Regno, Delphinatu, & Comitatu huiusmodi nũc & pro tempore etiam per similem cessionem vacantibus, illorum Conuẽtus ad electionem seu postulationem Abbatis seu Prioris procedere non possint, sed idem Rex occurrẽte huiusmodi vacatione, religiosum eiusdem ordinis, in ætate viginti trium annorum ad minus constitutum infra simile tempus sex mensium à die vacationis monasteriorum, & prioratuum huiusmodi computandorum, nobis & successoribus nostris aut sedi huiusmodi nominare, & de persona per Regem huiusmodi monasterio vacanti nominata per nos, & successores nostros seu sedem huiusmodi prouideri: Prioratus vero personæ ad illum per eundem Regem nominatæ conferri debeat: Si vero idem Rex presbyterum sæcularem aut religiosum alterius ordinis, aut minorem viginti trium annorum, vel alias inhabilem nobis aut successoribus nostris infra dictum semestre, seu sedi huiusmodi nominaret, talis nominatus recusari, & nullatenus sibi prouideri debeat, sed Rex ipse infra trimestre à die recusationis supradicto modo intimandæ computandos, alium modo supradicto qualificatum, monasterio seu prioratui tunc vacanti nominare, & de persona ad monasterium nominata illi prouideri; ad prioratum vero nominato, prioratus ipse per nos, & successores nostros, seu sedem prædictam conferri debeat, alioquin dictis nouem mensibus effluxis, nulla, seu de persona minus idonea, & modo præmisso non qualificata facta nominatione, ac etiam vacantibus apud sedẽ

præ-

prędictam, ſemper etiam nulla dicti Regis expectata nominatione, per nos & ſucceſſores noſtros ſeu ſedem prædictam monaſterijs prouideri: priorat us vero perſonis, vt præfertur qualificatis duntaxat conferri liberè poſſint: Electiones autem, & illarum confirmationes, necnon prouiſiones per nos, & ſucceſſores noſtros, & ſedem prædictam contra præmiſſa pro tempore factas, nullas irritas, & inanes eſſe decernimus. Per præmiſſa tamen non intendimus in aliquo præiudicare capitulis Eccleſiarum, & cõuentibus monaſteriorum, & Prioratuum huiuſmodi, priuilegia à ſede Apoſtolica proprium eligendi prælatum obtinentibus, quo minus, ad electionem Epiſcoporum ac Abbatum, & Priorum iuxta priuilegia eis conceſſa liberè procedere poſſint, iuxta formam in eorum priuilegijs contentam: & ſi in eorum priuilegijs forma aliqua expreſſa non fuerit, tunc formam Conc. generalis. Quia propter. ſeruare teneantur. dummodo de priuilegijs ſibi conceſſis huiuſmodi, per litteras Apoſtolicas ſeu alias authenticas ſcripturas docuerint, omni alia ſpecie probationis eis in hoc adempta. Volumus quoque, & ordinamus, quod in Regno Delphinatu & Comitatu prædictis de cætero non dentur aliquæ gratiæ expectatiuæ, ac ſpeciales, vel generales reſeruationes, ad vacatura beneficia per nos & ſedem prædictam non fiãt: & ſi de facto per importunitatem aut alias à nobis, & ſucceſſoribus noſtris, & ſede prædicta emanauerint, illas irritas, & inanes eſſe decernimus. In Cathedralibus tamen Metropolitanis, & Collegiatis Eccleſijs, in quarum ſtatutis caueretur expreſſe, quod nullus ibidem dignitatem perſonatum adminiſtrationem, vel officium obtinere poſſit, niſi in illis actu Canonicus exiſtat, canonicos (ad effectum dũtaxat inibi obtinendi dignitatem, perſonatum, adminiſtrationem, vel officium huiuſmodi, & non conſequendum primam præbendam vacaturam) creare poſſe intendimus. Statuimus inſuper quod ordinarius collator in vnaquaque Cathedrali ac etiam Metropolitana Eccleſia, Canonicatum, & præbendam Theologalem inibi conſiſtentes, conferre teneatur vni magiſtro ſeu licẽtiato aut Baccalareo formato in Theologia, qui per decenniũ in vniuerſitate ſtudij generalis priuilegiata ſtuduerit, ac onus reſidentię, lecturæ, & prædicationis, actu ſubire voluerit, quique bis aut ſemel ad minus per ſingulas hebdomadas, impedimento ceſſante legittimo, legere debeat, & quoties ipſum in huiuſmodi lectura deficere contigerit, ad arbitrium capituli per ſubtractionem diſtributionum totius hebdomadæ puniri poſſit: & ſi reſidentiam deſeruerit, de illis alteri prouideri debeat; & vt liberius ſtudio vacare poſſit, etiamſi abſens fuerit à Diuinis, habeatur pro præſente, ita vt nihil perdat, Præfatique ordinarij collatores ſeu patroni Eccleſiaſtici quicunque fuerint, vltra dictam præbendam Theologicam, quam (vt præfertur) qualificato conferre teneantur, tertiam partem

tem omnium dignitatum, personatuum, administrationum, & officiorum, cæterorumque beneficiorum Ecclesiasticorum ad eorum collationem, prouisionem, nominationem, præsentationem, seu quamuis aliam dispositionem, quomodolibet spectantiũ: viris litteratis, graduatis, & per vniuersitates nominatis, hoc modo, videlicet primo mense post præsentiũ acceptationem, & earundem publicationem, præfati ordinarij collatores, dignitates, personatus, administrationes, & officia ad eorum collationem, prouisionem, nominationem, præsentationem, seu quamuis aliam dispositionẽ, (vt præfertur) spectantia, graduatis huiusmodi, qui litteras suorum graduum cum tempore studij debitè insinuauerint, conferre teneantur.
Beneficia vero, quæ in duobus sequentibus mensibus vacare contigerint, illa iuxta iuris communis dispositionem personis idoneis liberè conferre seu personas idoneas ad illa præsentare, Beneficia aũt q̃ in quarto mẽse vacare cõtigerint, viris graduatis per vniuersitatẽ noĩatis q gradus, & noĩationis litteras cũ tpe studij debitè insinuauerint, cõferre seu præsentare teneantur. Beneficia vero quę quinto mense, & sexto vacare contigerint, simili modo personis idoneis liberè conferre, seu personas ad illa præsentare possint. Beneficia autem quæ septimo mense vacare contigerint, graduatis, qui simili modo litteras gradus cum tempore studij debitè insinuauerint conferre teneantur. Beneficia vero quæ octauo, & nono mensibus vacare contigerint pari modo personis idoneis conferre, seu personas idoneas ad illa præsentare teneantur. Beneficia autem quæ mense decimo vacare contigerint, graduatis nominatis, qui gradus, & nominationis litteras cum tempore studij debitè insinuauerint, per eosdem ordinarios conferri, seu ipsi ad illa præsentari debeant. Beneficia autem quæ vndecimo, & duodecimo mensibus vacare contigerint, per eosdem ordinarios personis idoneis iuxta iuris communis dispositionem conferri, seu ipsi ad illa præsentari debeant. Si quis vero cuiuscunque status etiam Cardinalatus Patriarchalis Archiepiscopalis, aut Pontificalis, vel alterius cuiuslibet dignitatis, contra prædictum ordinem, & qualificationes superius ordinatas, de dignitatibus personatibus, administrationibus, vel officijs, seu quibusuis alijs beneficijs Ecclesiasticis huiusmodi, aliter quam modo præmisso disposuerit, dispositiones ipsæ sint ipso iure nullæ, collationesq;, & prouisiones ac dispositiones illorum ad immediatum superiorem deuoluãtur, qui eisdem personis modo præmisso qualificatis prouidere teneatur, & si contrauenerit, ad alium superiorem deuoluatur prouisio, & præsentatio huiusmodi gradatim, donec ad sedem Apostolicam fiat deuolutio.
Præterea volumus, quod collatores ordinarij, & patroni Ecclesiastici pręfati, qui dignitates, personatus, administrationes, & officia ac beneficia in mensibus graduatis, & nominatis assignatis vacantia, illis graduatis simplicibus

plicibus aut nominatis illa conferre, aut ad illas eos duntaxat præsentare teneantur qui per tempus competens, in vniuersitate famosa studuerint, tempus autem competens decennium in magistris seu licentiatis ac bacchalarijs in Theologia, septennium vero in doctoribus seu licentiatis in iure Canonico, ciuili, aut medicinis. quinquennium autem in magistris seu licentiatis in artibus cum rigore examinis à logicalibus inclusiuè aut in altiori facultate. sexenium autem in bacchalarijs simplicibus in Theologia. Quinquenium vero in bacchalarijs iuris Canonici aut ciuilis, si quibus bacchalarijs iuris Canonici, aut ciuilis, si ex vtroque parente nobiles fuerint, triennium esse decernimus, præfatique graduati, & nominati collatoribus ordinarijs siue patronis Ecclesiasticis, semel ante vacationē beneficij, de litteris gradus, seu nominationis, & de præfato tempore studij per litteras patentes vniuersitatis in qua studuerint, manu scribæ, & sigillo vniuersitatis signatas fidem facere teneantur. Cum vero probatio nobilitatis fieri deberet ad effectum, vt nobiles ipsi gaudere possint beneficio minoris temporis studij, tunc nobilitas ipsa per quatuor testes deponētes in iudicio coram iudice ordinario loci in quo est natus ille, de cuius nobilitate ex vtroque parente constare debet, etiam in partis absentia probari possit, teneanturque præfati graduati, tam simplices, quam nominati patronis Ecclesiasticis aut collatoribus ordinarijs, quibus gradus aut nominationis litteras huiusmodi insinuare deberent, litteras suorū gradus, & nominationis, certificationis, temporis studij, & attestationis nobilitatis duplicatas dare, ac singulis annis tempore quadragesimæ per se, vel procuratorem suum collatoribus, nominatoribus seu patronis Ecclesiasticis aut eorum vicarijs, eorum nomina, & cognomina insinuare, & eo anno quo præfatam insinuationem facere omiserint, beneficium in vim gradus aut nominationis huiusmodi petere non possint. & si collatoribus ordinarijs aut patronis Ecclesiasticis in mensibus deputatis graduatis simplicibus, aut graduatis nominatis, non esset graduatus aut nominatus, qui diligentias præfatas fecerit, collatio seu præsentatio per collatorem seu patronum Ecclesiasticum etiam eisdem mensib. facta alteri quam graduato, vel nominato non propter hoc irrita censeatur si tamen graduatus simplex beneficium post insinuationem gradus aut nominationis in mensibus eis assignatis vacās petierit, & inter suā insinuationē, & præfatā requisitionē non superuenerit, Quadragesima, in qua nomē, & cognomē insinuare debuerit, ad beneficiū sic vacans, eū capacē, ipsumq; illud cōsequi posse, & debere decernimus. Statuimus quoq; & ordinamus, qd collatores Ordinarij, & patroni Ecclesiastici præfati, inter graduatos qui litteras gradus cum tempore studij, & attestatione nobilitatis, debite insinuauerint, quo ad beneficia in mensibus eis deputatis vacantia gratificare

sare

care possint, illum ex eis quem voluerint, quo vero ad beneficia in mensibus graduatis, nominatis deputatis, antiquiori nominato conferre, seu antiquiorem nominatum qui litteras nominationis, temporis studij, & attestationis nobilitatis debitè insinuauerit, præsentare seu nominare teneãtur. Concurrentibus autem nominatis eiusdem anni, doctores, licentiatis; licẽtiatos, Bacchalarijs, dẽptis Bacchalarijs formatis in Theologia, quos fauore studij Theologici licentiatis in iure canonico, ciuili, aut medicina præferẽdos esse decernimus: bacchalarios iuris canonici aut ciuilis magistris in artibus præferri volumus. Concurrentib. aũt pluribus doctorib. in diuersis facultatibus, doctorẽ Theologum, doctori in iure, doctorem in iure canonico, Doctori in iure ciuili, doctorem in iure ciuili, doctori in medicina præferendos esse decernimus, & idem in licentiatis, & bacchalarijs seruari debere volumus: & si in eisdẽ facultate, & gradu concurrerent, ad datam nominationis seu gradus recurrẽdum esse volumus, & si in omnibus his concurrerent, tunc collator ordinarius inter eosdem concurrentes gratificare possit. Volumus autem quod nominati litteras nominationis ab vniuersitatibus in quibus studuerint obtinentes, in nominationum litteris, beneficia per eos possessa, & eorum verum valorem, exprimere teneantur, alioquin litteræ nominationis huiusmodi eo ipso nullæ sint, & esse censeantur. Si quis vero ex dictis qualificatis, graduatis simplicibus aut nominatis tempore vacationis beneficij in mensibus eis deputatis vacantis, duas obtineat præbendas in cathedralibus etiam Metropolitanis aut collegiatis, seu dignitatem vel præbendam vel aliud beneficium seu alia beneficia, quorum in simul vel cuius fructus reditus, & prouentus tempore residentiæ, & horis diuinis interessendo ad summam ducentorũ florenorum auri de camera ascenderent, beneficium in vim gradus seu nominationis huiusmodi tunc petere seu consequi nõ possit. Et insuper quod tam graduati simplices quam nominati, beneficia in mensibus eis assignatis vacantia petere, & consequi possint, secundum propriæ personæ condecentiam, & conformitatem, videlicet sæculares sæcularia, & religiosi regularia beneficia Ecclesiastica, ita quod sæcularis nominatus, beneficia regularia in mensibus deputatis vacantia prætextu cuiusuis dispensationis Apostolicæ, & è contra, religiosus beneficia sæcularia petere aut consequi minimè possint. Quodque beneficia simpliciter vel ex causa permutationis in mensibus graduatis simplicibus, & nominatis assignatis vacantia eis non sint affecta, nec debita, sed ex causa permutationis cum permutantibus duntaxat, simpliciter vero vacantia beneficia huiusmodi personis idoneis per ipsos ordinarios liberè conferri possint. Satuimus quoque quod Parochiales Ecclesiæ in ciuitatib. aut villis muratis existentes, non nisi personis modo præmisso qualificatis, aut saltem qui per tres annos in

Theo-

Theologia vel altero iurium studuerint, seu magistris in artibus qui in aliqua vniuersitate priuilegiata studētes, magisterij gradum adepti fuerint conferantur. Monemus autem præfati regni vniuersitates sub pœna priuātionis omnium, & singulorum priuilegiorum, à nobis & sede Apostolica obtentorum, ne collatoribus siue patronis Ecclesiasticis habeant aliquos nominare, nisi eos, qui secundum præfata tempora studuerint, & secundum dictarum vniuersitatum statuta ad gradus, & non per saltum promoti fuerint. Quod si secus fecerint, vltra nullitatis pœnam, quam in præfatarum nominationum litteris declaramus, vniuersitates ipsas nominādi priuilegio ad tempus secundum culpæ qualitatē suspendemus. Si quis autem graduatorum aut nominatorum in mensibus deputatis collatorib. Ordinarijs aut personis Ecclesiasticis, beneficium vacans in vim gradus aut moninationis petierit, & collatorem ordinarium in vim præfati gradus aut nominationis in processu posuerit, & aliter molestauerit, illū vltra expensarum, damnorum, & interesse cōdemnationem, à fructibus sui gradus, & nominationis priuandum esse decernimus, eodemque vinculo collatores ordinarios, & patronos Ecclesiasticos, quibus graduati, & nominati debite vt supra qualificati suos gradus, & nominationis litteras insinuauerint, astringimus, vt beneficia ad eorum collationem vel præsentationem spectantia, in mensibus graduatorum simplicium, & nominatorum vacantia, stantibus præfatis graduatis aut nominatis debitè qualificatis illa prosequētibus, alijs quam graduatis aut nominatis nō cōferant, sub pœna subspensionis potestatis conferendi beneficia in octo mensibus illo anno ad collationem eorum ac præsentationem liberam spectantibus. Statuimus quoque, & ordinamus quod quilibet Rom. Pont. semel duntaxat tempore sui Pontificatus litteras in forma mandati iuxta formam inferius annotatam, & non vltra dare possit hoc modo videlicet, vnum Collatorem habentem collationem decem beneficiorum in vno, habentem autem collationem quinquaginta beneficiorum, & vltra, in duobus beneficijs duntaxat grauare possit, ita tamen quod in eadem Ecclesia cathedrali vel collegiata collatorem vnum pro tempore in duabus præbendis non grauet. Et vt obuietur litibus quæ occasione litterarum mandatorū huiusmodi oriri possent, mādata huiusmodi sub forma quæ est inferius annotata, dari volumus, quam ad perpetuam rei memoriam in cancellaria Apostolica publicari, & in illius quinterno registrari mandamus: Declarantes prosequentes huiusmodi mandata, quo ad beneficia sub illis cōprehensa, ordinarijs collatoribus, & graduatis simplicibus, & nominatis præferendos, nosque & successores nostros iure præuentionis, dignitates, personatus, administrationes, & officia cæteraque beneficia Ecclesiastica sæcularia, & quorumuis ordinum regularia quæcunque, & quomodo

 cunque

cunque qualificata, tam in mensibus graduatis, simplicibus, & nominatis quam ordinarijs collatoribus præfatis assignatis vacantia, ac etiã sub dictis mandatis comprehensa liberè conferre. Statuimus insuper quod in prouisionibus quas personis quibusuis de beneficijs vacantibus, seu certo promotis ad Ecclesias Cathedrales, & metropolitanas ac Monasteria, vt obtenta per eos beneficia retinere possint, fieri contigerit, illorum verus annuus per florenos aut Duc. auri de camera aut libras Turonen. seu alterius monetæ valor secundum communem æstimationem exprimi debeat, alioquin gratiæ ipsæ sint ipso iure nullæ. Statuimus quoque & ordinamus quod in Regno, Delphinatu, & comitatu prædictis, omnes, & singulæ causæ exceptis maiorib. in iure expreßè denominatis, apud illos iudices in partibus, qui de iure aut consuetudine præscripta, vel priuilegio illarũ cognitionẽ habẽt, terminari, & finiri debeant. Et ne sub vmbra appellationum, quæ nimium, & nonnunquam friuolæ interponi consueuerũt, atque etiam in eadem instantia ad prorogationem litium sæpe multiplicari, iniustis vexationibus materia præbeatur. Volumus, quod si quis offensus coram suo iudice iustitiæ complementum habere non poßit ad immediatum superiorem etiam ad nos, & successores nostros, vel sedem prædictam omisso medio, nec à grauamine in quacunque instantia ante definitiuam sentẽtiam quomodolibet appelletur, nisi forsitan tale grauamen extiterit, quod in definitiua reparari nequiret, & eo casu non nisi ad immediatum superiorem liceat appellari, si quis vero immediate subiectus sedi Apostolicæ ad eandem sedem duxerit appellandum, causa committatur in partibus per rescriptum vsque ad finem litis, videlicet vsque ad tertiam sententiam conformem inclusiuè si ab illis appellari contigerit, nisi propter defectum denegatæ iustitiæ, aut iustum metum, & tunc committi debeat in partibus conuicinis, & cum causarum expreßione, quæ etiam de illis etiam legittimè alias quam per iuramentum, coram iudicibus à sede Apostolica deputandis, constare debeat. Processus autem contra præmissa attentatos, nullos, & irritos eße volumus, ac rescripta contra præmissa impetrantes, in expensis, damnis, & intereße condemnari debere decernimus, atque declaramus. Sanctæ vero Rom. Eccl. Cardinales, qui pro vniuersali Ecclesia continuè laborant, necnon dictæ sedis officiales, officia sua actu exercentes, sub præsenti decreto non intendimus comprehendi. Statuimus etiam & ordinamus, quod iudices, causas quæ in partibus teminari debent, coram eis pro tempore pendentes sub pœna excommunicationis, & priuationis beneficiorum per eos obtentorum eo ipso incurrenda infra biennium terminare debeant, pars vero diffugiens, & expeditionem ipsius causæ malitiosè impediens grauißimè per eosdem Indices mulctetur, etiam vsque ad priuationem iuris in huiusmodi proces

su præ-

Iu prætenſi ſi eis viſum fuerit,ſuper quo eorum conſcientias oneramus; ab interlocutorijs autem ſecundo,à definitiuis vero tertio dunta xat prouocare licere decernimus.Volumuſque ſecundam ſententiam interlocutoriam conformem,& tertiam definitiuam etiam conformem, omni mora ceſſante,exequutioni debita demandari debere,quacunque appellatione interpoſita non obſtante. Statuimus quoque quod quicunque dummodo non ſit violentus,ſed habens coloratum titulum pacificè & ſine lite prælaturam dignitatem,perſonatum,adminiſtrationem,vel officium ſeu quodcunque beneficium Eccleſiaſticum triẽnio proximo hactenus poſſidet vel pro tempore poſſidebit,in petitorio vel poſſeſſorio à quoquam etiam ratione iuris nouiter reperti moleſtari nequeat,præterquam prætextu hoſtilitatis aut alterius legittimi impedimenti,de quo proteſtari,& illud iuxta Conc.Vienn.intimari debeat;lis autem hoc caſu quoad futuras controuerſias intelligatur ſi ad executionem citationis,iuriſq; ſui in iudicio exhibitionem,aut terminorum omnium obſeruationẽ proceſſum fuerit. Monemus etiam Ordinarios vt diligenter inquirant,ne quis ſine titulo beneficium poſſideat,& ſi quem beneficium ſine titulo poſſidere repererint, declarent illi ius non competere,cuiuſuis temporis detentione non obſtante: de ipſoque beneficio poſſit illi (dummodo non ſit intruſus, vel uiolentus, aut alias indignus) uel alteri idoneo prouideri.

Quod ſequitur in concordata eſt de concubinarijs puniendis,& interdicto non ferendo in loca, oppida, caſtra, ob culpam priuatæ alicuius perſonæ.

Nulli ergo.&c.Dat.Romæ.an.incarn.Dom.1516.15.kal.Septem. Pont.an.4.

Quænam autem vltra conceſſiones Iuris communis, & Regularum Canc.concedantur præmiſſis concordatis,facile ex ipſo textu apparere poſſunt,& videri poſſunt apud Rebuff.in ſuo luculentiſſimo tractatu ſuper concordatis Galliæ,& Georg.Branden.ſuper cõcordatis Germaniæ.

Vltra præmiſſa autem Epiſcopum circa reſeruata diſponere poſſe vigore,cap.ſtatutum,de præben.in 6.videlicet beneficia vacãtia in Curia ſi de ipſis ſedes Apoſt.intra menſem à die vacationis non prouiderit;hæc enim per Ordinarium liberè conferri poſſe, contẽdit Aeneas de Falcon.cit.de reſeruat.quæſt.4.aſſerens illi iuri nullibi expreſſe fuiſſe derogatum,hoc idem vult Zerol.loc.cit.contrarium tamen ſeruat Curię vſus,vt teſtatur Gomez.de grat.expect.nu. 21.& aperte primę opinioni contrariatur.Reg.10.Canc. multiſq; contrarium probat Gonz.cit.§.5.Proem.à num.148.

Vigore tamen, cap. si apostolica, ibid. in 6. Ecclesias Parochiales reseruatas quæ non fuerunt collatæ viuente Pontificè, liberè conferre potest, & ille textus non fuit reuocatus, estque in obseruantia. Gonz. vbi sup. Rebuff. de reseru. num. 2.

Sede item Apostolica vacante beneficia quouis modo vacantia etiam reseruata Episcopus liberè confert. reseruationes enim Reg. Cancell. cum fiant ad beneplacitum Papæ, expirāt morte ipsius, nec impediunt tunc ordinarium collatorem, cap. si gratiosa, de rescript. in 6. Mandos. in Reg. 1. Canc. quæst. 1. & 10. Gonz. cit. gloss. 12. numero. 2.

Potest Episcopus, & ad beneficium vacans quouis modo reseruatum deputare Oeconomum seu Vicarium, qui illius fructus administret ne distrahantur, donec de illo fuerit legittimè prouisum. arg. tex. c. cum vos. de off. ord. Rebuff. de requisit. nu. 20.

13 Beneficia quoque Iurispatronatus liberè confert Episcopus iurepatronatus non obstāte, si patronus intra tempora à Iure statuta nō præsentauerit personam idoneam. Tempora autē statuta sunt; nimirū vt si fuerit iuspatronatus laicale, intra quatuor menses præsentare teneatur patronus, si vero fuerit Ecclesiasticū, siue ratione rei Ecclesiasticæ competens, sex menses patronus habet ad præsentandū, cap. cum propter. cap. eam te. de iurepatronat. capit. vnic. eodem. titul. in 6.

Et longius tempus datur clerico seu patrono Ecclesiastico, quia clericus postquam præsentauerit amplius variare non potest, laico autem licitum est variare, cap. pastoralis, loc. cit. iun. glos. verb. robur. Potest etiam tempora hæc prorogare Episcopus ex causa. Zecchus, loc. cit. cap. 12. num. 13. Vel si lis de iure patronatus longo tēpore sit duratura, posset interim conferre Eps beneficiū ne Ecclesia dispendium patiatur, saluo iure patronatus ei qui litem obtinuerit, ita vt ab illo repræsentetur institutus, cap. si vero. loc. cit. Similiter, & beneficia à Prælatis Regularibus cōferri solita, si illi intra sex menses conferre neglexerint, conferre potest. Clem. vn. de suppl. negli. prælat. Et illa quæ Capitulum habens ius conferendi non confert statuto tempore, deuoluitur enim collatio ad Episcopum, & ad capitulum Episcopo negligente, & demum ad superiorem, c. nulla, de concess. præben.

Pōt itē Episcopus gratificare cui voluerit, si patronus variat vel plures præsentat. c. cum dilectus, ib. Si tamen plures sint patroni, & plures præsentent, & alter patronorū pinguius ius habeat, seu vnus ex præsentatis à pluribus patronis nominetur, tunc nominatus à pluribus,

ribus, vel potiore ab vno esset, alijs præferēdus, c. qm̄, ib. Posset gratificari & ipsi patrono si fuerit ad illud beneficium idoneus, licet ipse patronus seipsum præsentare non possit, c. per nostras, lo. cit. Host. in sum. ib. num. 12.

Non tenetur etiam Episcopus recipere præsentatum indignum, imo patronus præsentans indignum, deberet priuari pro ea vice iure præsentandi, cap. sicut nobis, de suppl. negl. prælat. Zerol. lo. cit. Conc. Trid. sess. 25. cap. 9. de ref. si tamen præsentetur dignus, nō potest cogi patronus, vt præsentet magis dignum. Genuen. in Man. cap. 38. num. 6.

Institutio quoque ad beneficia quæcunque etiam electiua, vel Iurispatronatus, ad solum spectat Episcopum, nec potest præsentatus siue electus adire quenquam aliū pro obtinēda institutione nisi loci Episcopum. Conc. cit. sess. 14. cap. 13. de ref. Couar. pract. quæst. cap. 36. num. 5. nisi Episcopus sine causa recusaret instituere, tunc enim appellari posset, & adiri superior, Gonz. cit. glos. 18. nume. 111. Et si institutio iure, vel consuetudine ad alium spectaret, quam ad Episcopū, adhuc tamen instituendus deberet prius examinari super idoneitate per Episcopū, maximè ad beneficia curata, ad eum. n. spectat examinare, & non ad aliquē alium inferiorem. Conc. cit. sess. 25. c. 9.

Non solum autem per seipsum beneficia conferre potest Episcopus, sed etiam eandem facultatē conferendi concedere potest Vicario suo siue alicui alteri, dūmodo cōcedat indifferenter collationē
14 beneficiorum certi loci, vel certi valoris, vel etiam omnia, limitatè enim ad primum vacans concedere non potest, nisi iam vacaret de facto. cap. constitutus, de concess. præben. sicut neque patronus potest dare facultatem præsentandi ad beneficium vacaturum, cap. fi. ib. Rebuff. de forma Vicar. num. 58. sine expressa autem concessione Vicarius beneficia conferre non potest, cap. fin. iun. glo. ver. commissa, de off. Vic. in 6. Rebuff. lo. cit. num. 49.

Neque Archiepiscopus sede Episcopali vacante, vel Episcopo suspenso posset cōferre illius Diæcesis vacantis beneficia, cum neque in administrationem sese aliquo modo ingerere possit, cap. penult. de suppl. negl. prælat. in 6.

Neque capitulum sede similiter vacante seu suspenso Episcopo, cap. 2. in glo. ver. in collationibus. ne sede vacan. imo talia beneficia reseruata sunt Papæ per 2. Reg. Canc. vt vidimus supra. Nisi forte beneficium ad collationem Episcopi, & Capituli in simul spectaret, hoc enim casu liberè, cōferri posset à Capitulo, c. vn. tit. cit. in 6. Neque reseruatio Reg. cit. illos afficeret, cum in illa expressè excipiantur

piantur beneficia, quę cum alijs cõfert Episcopus, vt in textu, eiusdẽ Reg. 2. Posset ẽt Capitulũ sede vacante beneficium collationis solius Episcopi commendare ad tempus donec Episcopus succedat Ioan. Andr. in cap. vn. ne sede vacan. in 6. Rebuff. de deuolutio. num. 77.

Potest & præsentatos à patronis vacante, similiter sede instituere, cap. 1. de institut. in 6. cir. sicut & resignationes recipere potest ex causa iusta factas. Franch. in cap. 1. de rerum permut. num. 7. in 6. Quar. ver. Capitulum, limita. 5. Potest, & ex causa priuare beneficio; potest, & confirmare electum, cap. cum olim. iun. glo. ver. Capitulo, de maior. & obed.

Quomodo sint beneficia conferenda.

SVMMARIVM.

17 *Beneficia curata quomodo sint conferenda.*
18 *Beneficia curata iurispatronatus quomodo conferenda.*
19 *Doctior minus docto quando est præferendus.*
20 *Scientia, quæ requiratur in curato.*
21 *Aetas quæ requiratur ad consequen. beneficium.*
22 *In resignatione beneficiorum, quæ attendenda.*
23 *Beneficia sæcularia regularibus conferri non possunt.*
24 *Beneficia possunt aliquando dari in commendam.*
25 *Pensionem an possit imponere Episcopus super beneficio.*
26 *Beneficia incompatibilia, quæ dicantur.*
27 *Fidei professio quomodo exigenda.*
28 *Pro collatione beneficij nihil potest accipere Episcopus.*

Beneficia quædam sunt curata, quæ nimirum habent populum cui sacramenta administrare tenentur: quædam simplicia, quæ populo quidem carent, aliquod tamen onus habent adnexum, videlicet iurisdictionis supra clerum, celebrationis Missarum, canendi in choro, & similium: alia demum simplicia, quæ nullum onus habent adnexum. Staph. cit. de qualit. benef. secundum diuersitatem itaque huiusmodi qualitatum beneficiorum, diuersi quoque modi in eorum collatione sunt tenendi.

Vnde primo in collatione Parochialium, seruandum est omnino decretum Conc. Trid. sess. 24. cap. 18. de ref. vt videlicet occurren-

te

te vacatione Parochialis, deputetur in ea vicarius, qui eam admini-
17 ſtret donec prouideatur de Rectore, & intra decem dies Epiſcopus eligat aliquot perſonas, vel concurſu propoſito inuitet, qui ſe velint ſubdere examini examinatorum deputatorum in ſynodo Diæceſana, demum vero vnum ex approbatis ab examinatoribus quem ipſe iudicauerit prouideat de vacante Eccleſia. Et quidem neminē prouidere debet de Parochiali ſine præuio huiuſmodi examine, vel concurſu, alioquin prouiſio eſſet omnino nulla ex conſtitutione Pij Papæ V. huiuſmodi.

In conferēdis beneficijs Eccleſiaſticis, & pſertim Parochial. Eccleſijs, perſonis dignis, & habilibus, quæ in loco reſidere, & per ſeipſos curam exercere valeant, quantam diligentiā adhiberi oporteat, Alexandri III. in Lateran. & Gregor. X. in Lugdunen. generalibus Concil. ac Innoc. ſimi liter III. & aliorum Rom. Pont. prædeceſſorum noſtrorum editæ conſtitutiones teſtantur, quod vt diligentius ac rectius perficiatur, ſtatuit etiam Synodus Tridentina, vt occurrente vacatione Parochialis Eccleſiæ etiā generaliter, vel ſpecialiter, etiam vigore indulti in fauorem S. R. E. Cardinalium, aut alias quomodolibet reſeruatæ, vel affectæ, debeat Epiſcopus habita notitia vacationis Eccleſiæ, ſi opus fuerit, idoneum in ea Vicarium cum congrua eiùs arbitrio fructuum portionis aſſignatione, conſtituere, qui onera ipſius Eccleſiæ ſuſtineat, donec ei de Rectore prouideatur. Et deinde Epiſcopus & qui iuſpatronatus habet intra decem dies aut aliud tempus ab Epiſcopo præſcribendum aliquos clericos ad regendum Eccleſiam idoneos examinatoribus iuxta formam eiuſdem ſynodi deputatis, nominet, & non niſi eiſdem examinatoribus per concurſum aliorū examinatorum etiam tanquam magis idoneo ab Epiſcopo iudicato, & electo de Eccleſia prouideatur, alias prouiſiones ſeu inſtitutiones omnes præter formam prædictam factæ ſubreptitiæ cenſeantur. Sed quoniam res humanæ ſemper in deterius prolabuntur, niſi ſit, qui eas retineat ac debitæ executioni demandet, & verendum ſit ne propter conſtitutionum huiuſmodi transgreſſionem maximi abuſus oriantur. Nos ad quorum notitiam non ſine graui noſtra moleſtia peruenit, nonnullos ex venerabilibus fratribus noſtris Archiepiſcopis, & Epiſcopis, occurrente vacatione parochialium Eccleſiarum, eas nullo aut minus ritè ſeruato examine, præſertim illo quod per concurſum fieri debet ex Conc. Trid. vel etiam examine ritè ſeruato, perſonis minus dignis, carnalitatis, aut aliæ humanę paſſionis affectum non rationis iudicium ſequentes contuliſſe, & de eis prouidiſſe, volentes quantum cum Deo poſſumus, huiuſmodi ac etiam futuris periculis occurrere, eorundem prædeceſſorum noſtrorum conſtitutiones

tutiones

tiones præfatas etiam innouando, authoritate Apostolica tenore præsentium omnes & singulas collationes, prouisiones, institutiones Parochialiũ Ecclesiarum ab eisdem Episcopis, & Archiepiscopis ac quibusuis alijs collatoribus, tam ordinarijs quam delegatis, etiam Sanctæ Rom. Eccles. Cardinalibus ac sedis Apostolicæ Legatis vel Nuncijs, præter, & contra formam ab eodem Conc. Trid. præsertim in examine per concursum faciendo, præscriptam, factas aut in futurum faciendas, nullas irritas ac nullius roboris, vel momenti fore, & esse, nullumque prouisis ius aut titulum etiam coloratum possidendi præbere, & parochiales Ecclesias huiusmodi, quæ vacabant, ex nunc vacare statuimus, decernimus, & declaramus, easque omnes pro tempore sic vacantes nostræ, & sedis Apostolicæ seu eorum quibus ius conferendi eas, præterquam Episcopis & Archiepiscopis, qui curam dicti examinis iuxta decretum eiusdem Conc. habere debent, competet, dispositioni reseruamus. Insuper ne parochiales Ecclesiæ diu in suspenso maneant in maximum animarum periculum, quarumcunque parochialium Ecclesiarum quarum dum pro tempore vacant, ad Episcopos, Archiepiscopos, Primates, & Patriarchas, & quosuis alios ordinarios collatores in mensibus ordinarijs collatoribus etiam per nostras regulas assignatis prouisio, & collatio spectat & pertinet, de quibus ijdem Episcopi, & ordinarii prædicti, intra sex mensium spatium à die vacationis earundem, perfecto examine iuxta formam Conc. Trid. præfati non prouiderint, ac illarum etiam quarum collationes nobis, & dictæ sedi generaliter vel specialiter ex quauis causa reseruatæ seu affectę existũt, aut aliis ex indulto sedis Apostolicæ competunt, ad quas occurrente illarum vacatione, Episcopi & Archiepiscopi præfati, personas per examen concursu mutuo habito iuxta dicti Concil. Trid. formam approbatas, & magis idoneas non elegerint, aut electas nobis, vel successoribus nostris aut ijs ad quos collatio spectabit pro collatione obtinenda intra quatuor mensium spatium à die illius vacationis non significauerint, necnon parochialium Ecclesiarum similium quæ iurispatronatus Ecclesiastici, vel laicorum seu clericorum, & laicorum simul fuerint, sic præsentatus intra tempus eisdem patronis à iure præfixum præuio examine iuxta formam dicti Conc. approbatus petatur institui, institutioque ipsa per duos menses à die præsentationis dilata fuerit, collationem, prouisionem, institutionem, ac omnimodam dispositionem nobis & ipsi sedi ac personis indulta huiusmodi conferendi, prouidendi, seu instituendi obtinentibus, respectiuè reseruamus, data tamen in parochialibus iurispatronatus, optione, ipsis patronis, vt si institutio ad ordinarios spectabit, ipsis ordinariis illam facere negligentibus, & vltra dictos duos menses differentibus, possint pro huiusdi institutione obtinenda habere recursum ad Metropolitanum, vel viciniorem

niorem

niorem ordinarium, aut ad sedem Apostolicam. Prohibentes etiam eisdē ordinarijs ne tempus decem dierum eisdem ordinarijs, & patronis ab eodem Conc. Trid. ad nominandum idoneos clericos coram deputatis examinatoribus præfixum, vltra alios decem dies prorogare audeāt, vel præsumant, Districtius inhibentes ne quis præter Rom. Pontificem aut alios indulta huiusmodi obtinentes, vt præfertur, quacumque sit super hoc auctoritate munitus de huiusmodi beneficijs sic reseruatis, vt præfertur disponere, vel circa illa etiam per viam permutationis, vel alias innouare quoquomodo præsumat. Vt autem non solum dignis, sed magis idoneis repertis iuxta eiusdem Cōcilij decretum Parochiales Ecclesiæ conferantur, volumus, & eadem auctoritate decernimus, quod si Episcopus minus habilem posthabitis magis idoneis elegerit, possint ij qui reiecti fuerint à mala electione huiusmodi ad Metropolitanum, vel si ipse eligens Metropolitanus aut exemptus fuerit, ad viciniorem ordinarium vti nostrum, & sedis huiusmodi delegatum aut alias ad ipsam sedem Apostolicam appellare, ac præelectum ad nouum examen coram ipso appellationis iudice, & eius examinatoribus prouocare, & constito de prioris eligentis irrationabili iudicio, eoque reuocato, parochialis magis idoneo per eundem iudicem appellationis auctoritate nostra (quatenus collatio ad episcopum à quo appellatum fuit spectaret) conferatur, alias eidem magis idoneo per iudicem appellationis approbato conferenda, remittatur ad eum, ad quem collatio, prouisio, vel institutio spectabit. Hęc tamen appellatio interposita interim non impediat aut suspēdat, quominus electio per ordinarium primo loco facta interim debitæ demandetur executioni, & prouisus ab eadem Ecclesia causa appellationis huiusmodi pendente non amoueatur. Et si quis à sententia per iudicem appellationis lata duxerit appellandum, is tunc ad sedem ipsam Apostolicam appellabit, si secus in præmissis omnibus & singulis actum aut attentatum fuerit, irritum decernimus, & inane. Volumus autem quod præsentium transumptis manu alicuius Notarij: &c. Datum Romæ, Anno Incarnatio. Domin. 1566. 15. Kalend. April.

Et ne quidem Doctores vel licentiati in aliqua professione instituti debent ad parochiales sine præuio concursu vel examine prædicto, vt declarauit Sac. Cong. Conc. cuius decretum refert Gonz. cit. glos. 4. num. 91. in hæc verba.

Doctor siue licentiatus in Theologia siue in iure canonico, & in publica vniuersitate graduatus, non excusatur ab examine quando petit prouideri de aliqua Ecclesia Parochiali.

Beneficijs quoque curatis Sedi Apost.& cuicunque alteri reseruatis vacantibus, similem concursum seu examen facere potest Episcopus,& eligere digniorem instituẽdum à sede Apost. seu alio cui fuerit reseruatum vt patet ex textu Conc.& constitutionis præmissę,& declaratum fuit à dicta Sacr.Cong.vt refert Paris. de resignatio.benef.libr.8.quæstio.9.numero.103.& Gonz.cit.gloss.6.num. 112.in hæc verba.

In beneficijs curatis reseruatis sedi Apostolicæ vacantibus per obitũ puta in mensibus reseruatis, ordinarij proponent edicta concursus , & à Sede Apostolica prouisio fiat approbato ab examinatoribus in Synodo Diœcesana deputatis, si fidem approbationis habet ab ordinario vt in dicta constitutione Pij.V.

De curatis tamen vacantibus in curia siue per resignationem in manibus Papæ, solet alioqui Dataria prouidere sine concursu, præmisso solo examine super sufficientia vt testatur Gonz. loco. citat. numero. 116.

Curata quoque Iurispatronatus Ecclesiastici dum vacauerint in mensibus Apostolicis, per concursum,& examen prouideri debent. Gonz.loc.cit.qui refert eandem Sac.Cong.respondisse in simili dubio, verbis sequentibus.

Si beneficium curatum Iurispatronatus Ecclesiæ in mensibus Apostolicæ sedi reseruatis vacauerit, Episcopus ipse ordinarius nulla habita ratione patronorum, debet edicta concursus proponere, & idoneum eligere, ac Romam mittere cum fide ipsiusmet Ordinarij à Summo Pont. instituẽdum, sicut fit in alijs curatis quæ non sunt Iurispatronatus.

18 Vacante autem beneficio in mensibus non reseruatis, patronus Ecclesiasticus debet nominare plures examinandos, vel etiam alios Episcopus inuitare potest ad concursum,& demum ex approbatis in examine vnum eliget ipse patronus de beneficio vacante instituẽdum, quod etiam declaratum fuisse à Sac.Cong.citat.testatur. Genuen.in prax.cap.66.

In curato vero Iurispatronatus laicorum concursus huiusmodi non requiritur sed tantum debet examinari præsentatus super sufficientia.Gonz.loc.cit.num.134.vbi refert votum dictæ Sac. Congreg.his verbis.

Examen per concursum fieri non debet in vacatione Parochialis quæ

sit

sit Iurispatronatus laicorum, sed sufficit quod deputatus à patronis examinetur ab examinatoribus in Diœcesana Synodo deputatis, & idoneus iudicetur.

Nisi plures fuerint præsentati, tunc enim in concursum committi possunt. Eadem Sac. Cong. apud Gonz. loc. cit. nu. 138.

Eueniente vacatione Parochialis de iurepatronatus laicorum, quando plures sunt præsentati, requiritur examen per concursum inter ipsos præsentatos tantum vt ex his qui peracto examine idonei ab examinatoribus denunciati sunt, Episcopus eum eligat quem cæteris magis idoneũ iudicauerit, atque illum & non alium instituat.

In Parochialibus item Regularibus conferri solitis concursus non requiritur sed solum examen eadem Sacr. Congreg. super, capitulo. 18. citat.

Hoc decretum non habet locum in beneficijs Regularibus, quæ Regularibus, conferri consueuerunt.

Neque fit concursus quando cura animarum spectat ad collegiũ vel annexa est alicui præbẽdæ, tunc enim cura huiusmodi non facit beneficium curatum illud cui adnectitur sed sequitur naturam ipsius, cap. statutum de elect. in 6. nec inducit aliquam incompatibilitatem, nisi eam habeat ex sui natura principale, cap. super eod. iun. glos. verb. non obuiet. de pręben. in 6. cit. & fuisse declaratum à Sacrat. Cong. cit. ad petitionẽ hebdomadariorum Collegiatæ S. Ioan. Maioris Neap. refert Genuen. loc. cit. nu. 2.

Neque requiritur concursus si Parochialis vacat causa permutationis vel resignationis in fauorem. Paris. loc. cito. nume. 95. nisi quod tunc etiam requiritur examen de sufficientia promouendi. Gonz. loco. citat.

Omitti etiam potest concursus si Parochialis vacans habuerit tenues reditus vel nemo adsit qui se examini subijcere velit, & vbi verisimiliter timerentur rixæ ex tali concursu. Conc. loco. citat. versus finem.

19 Debet autem præferri doctior minus docto in examine cœteris paribus, quod communiter sentire tam Theologos quam Canonistas testatur. Genuen. cit. in Manuali. c. 38.

Dignus tamen digniori præferri potest, cuius mores sunt magis

noti & probati ex voto Sac. Congreg. relato apud cit. Gonz. glo. 4. num. 112. his verbis.

Praeferendus est minus doctus modo idoneus, quando eius mores sunt noti, & approbati, doctiori, cuius vita ignoratur.

Et idoneus de eadem ciuitate, vel de gremio Ecclesiae, vel si fuerit de genere fundatoris magis idoneo externo praeferri debet. Lābert. de iure patr. lib. 2. part. 3. art. 6. Zecchus. citat. cap. 12. nu. 36.

20 Quae autem idoneitas, & scientia necessario requiratur, posset dici quod curatus scire debet Canones poenitentiales, & ea quae in administratione Sacramentorum requiruntur. Conc. loc. cit. Alij autem beneficiati scire debent ea quae muneri singulorum exequendo incumbunt. Innoc. in cap. cum in cunctis. de elect. Vt ad Archidiaconatū promouēdus debet esse Doctor vel licentiatus in Theologia seu iure canonico. Conc. loc. cit. c. 12. De archidiaconatu tamen qui non habet actu annexam iurisdictionem aliquam legitur huiusmodi. Sac. Cong. rescriptum.

An Archidiaconus qui verè cura animarum, & omni prorsus iurisdictione caret, comprehendatur decreto. Conc. sess. 24. c. 12. quoad qualitatem doctoratus, licentiae, in eo requisitam.
Congregatio censuit. non comprehendi.

Vicarius etiam sede vacante eligendus, debet esse similiter Doctor seu licentiatus. Conc. ead. sess. c. 16. Praebendam Theologalem Pęnitentialem, Scholasteriam obtinēs, requiritur quoque vt sit Doctor siue licentiatus. Conc. ea. sess. cap. 8. & sess. 5. cap. 1. de ref. Quinimo idem Conc. sess. 24. cap. 12. cit. monet vt vbi id commode fieri potest dignitates omnes, & vel saltem dimidia pars Canonicatuū in Cathedralibus, & collegiatis insignibus, non nisi Doctoribus seu licentiatis in Theologia seu iure canonico conferantur.

In alijs autem beneficijs simplicibus sufficit doctrina mediocris vel saltem quod beneficiatus sciat legere, construere, canere, horas canonicas recitare. Clem. vn. de concess. praeben. iun. gl. ver. reputamus, Nau. de horis canon. cap. 7. num. 3. Rebuff. de for. Vic. nu. 87.

Clerici etiam pauperes qui impensas non habent ad studia, sed proprijs manibus victum quaerūt, tolerari possent dummodo sciāt circa sacramenta ea quae simplices laici sciunt, ex auctoritate Inno. cit. in c. 1. de san. Trinit.

Requi-

Requiritur præterea in promouendo ad beneficiũ Eccleſiaſticũ vt ſit clericus ad minus primæ tonſuræ, laicus enim non eſt capax beneficij Eccleſiaſtici,cap.ex litteris,de tranſact.Et quod ſit legitti mus,illegittimus enim eſt incapax beneficiorum,niſi quod Epiſcopus cum ipſo diſpenſare poſſit ad minores ordines,& ſimplex beneficium,cap.1.de filijs præſb.in 6.non tamen ipſi poſſet conferre beneficium in Eccleſia in qua ſuus genitor miniſtrauit.Conc.cita.ſeſ. 25.cap.15.de ref.

Irregulares quoque ex quocunque irregularitatis capite,ſunt incapaces beneficiorum Eccleſiaſticorum,de quibus conſule quæ ſupra de impedimẽtis ad ordines diximus,ferè enim æqualiter in omnibus irregularitas impedit ab aſſecutione beneficij quæ impedit ab ordinibus.

Requiritur item in promouendo ætas ſufficiens, & quidem in
21 promouendo ad beneficium curatum requiritur ætas annorum,vigintiquinque vel ſaltem ea, qua poſſit infra annum promoueri ad præſbiteratum,cap.licet,de elect.in 6.Conc.cit.cap.12.ſeſſ.24.

Ad dignitatem autem ſeu canonicatum in Cathedrali requiritur ætas quam requirit ordo illi dignitati vel canonicatui adiunctus,vel ſaltem ea qua ad ordinem Canonicatui adnexum intra annum promoueri poſſit prouiſus.Conc.loc.cit.Et attendẽdus eſt ordo quem requirit ipſa dignitas vel Canonicatus ex ſui natura,non autem quem requireret aliquod aliud beneficium ipſi Canonicatui forte adiunctum,hoc enim non alterat naturam Canonicatus cui adiungitur,ſed ſequitur naturam ipſius,vt etiam in ſimili dubio reſpondit Sacra.Cong.Conc.his verbis.

N.obtinuit Canonicatum requirentem ordinẽ ſubdiaconatus,ſed quia illi canonicatui vnita eſt parochialis,cum eſſet in ætate legittima,ad canonicatum,ſed non ad Parochialem,ordinarius difficilem ſe reddebat ad ipſum admittendum vnde conſuluit congregationem.

Cong.cenſuit attendendam eſſe naturam canonicatus non parochialis, & ſufficere quod prouiſus ſit in ea ætate quem exigit Canonicatus ſi parochialis eſt vnita perpetuo,& acceſſoriè canonicatui,ſecus ſi æquè principaliter vnita eſſet,quia tum non aſſumit naturam canonicatus.

Quoad dignitates autem,& canonicatus in alijs Eccleſijs inferioribus,requiſita ætatis remanent in diſpoſitione Iuris communis quod etiam fuiſſe declaratum à prædicta Sac.Cong.refert Gonz.citat.gl.5.num.5.his verbis.

Concilium nihil innouauit ſuper ætate promouendorum ad canonicatus Eccleſiarum collegiatarum.

Vnde

Vnde remanent in dispositione Iuris veteris ita vt in illis ætas annorum quatuordecim sufficiat.cap.super inordinata.iun.glos.ver. pueri.de præben.Rebuff.de dispens.ætatis,num.2.

Si tamen ex consuetudine vel statuto aliquis ordo huiusmodi beneficijs in collegiatis fuerit adnexus,eius ætatis deberet esse necessario promouēdus,quē ille ordo requirit,vel cũ qua saltē infra annum ad illum ordinem promoueri possit, aliter prouisio esset irrita. Concil. citat. session. 22. capitulo. quarto,de ref. Neque Episcopus de non suscipiendo ordine huiusmodi dispensare posset,nisi ad annum.Conc.cit.sess.7.cap.12.de ref.vel ex causis in iure expressis,vt ratione studij,dummodo infra annum saltem subdiaconatus ordinem suscipiat sic dispensandus,ne videlicet retrocedere possit. c.cum ex eo.de elect.in 6.

Circa beneficiorum item collationem aduertendum est, vt conferantur beneficia vacãtia,vacatura enim seu viuente possessore beneficia conferri non possunt,cap.non furem.7.quæst.1. & cap.1.de concess.præb.beneficij enim viuentis impetratio est in iure reprobata. nisi obtinens beneficium,esset priuatus ipso iure vel etiam ab homine.vt si fuerit adeptus aliud beneficium incompatibile.extrauag.execrabilis.Ioan.22.de præben.vel si matrimonium contraxit seu sponsalia de præsenti,cap.1.& 3.de cler.coniug. vel si fuerit ingressus religionem,& annum probationis impleuerit.c.beneficium de Regular.in 6.vel si quis ipso iure priuetur propter crimen, tum tamen debet prius præcedere sententia declaratoria etiamsi fuerit crimen notorium.Ioan. And.in cap.1.num.10.de homic. in 6.Gomez.in Reg.de ann.q.52.Couar.in c.alma mater.par.1.§.2.

Eadē ratione beneficium nondum vacans promitti non debet, c. nulla,cap.ex tenore,de concess.pręb.Lapus.Alleg.84.num.7.neque expectatiuæ ad primum vacans,quas nouissimè prohibuit dari Cõcil.Trid.cit.sess.24.c.19.de ref.

Non debent etiam conferri beneficia resignata nisi iuxta modum præscriptum constitutione Pij. V. in qua & resignationes admitti prohibentur nisi in casibus ibi expressis eius cõstitutionis tenor est.

22 *Quanta Ecclesiæ Dei incommoda,& infra.Posthac Episcopi, & alij facultatem habentes eorum duntaxat resignationes recipere, & admittere possint,qui aut senio confecti,aut valetudinarij,aut corpore impediti, vel vitiati,aut crimini obnoxij,censurisque Ecclesiasticis irretiti, aut nequeunt,aut nõ debent Ecclesiæ vel beneficio inseruire,qui vnũ aliud vel plura beneficia obtinuerint,vel quos ad aliud contigerit promoueri.Religionem*

gionem quoque ingressuri, vel Matrimonium contracturi, si statim postea id re ipsa exequantur. denique cum quis ex alijs casib. acciderit, qui cõstitutione fel. rec. Inn. PP. III. de dimittendis Cathedralibus Ecclesijs edita continentur. Qui etiam ob capitales inimicitias nequeunt, vel non audẽt in loco beneficij residere securi, sed nec horum vllus sacro ordini mancipatus, nisi religionem ingressurus, valeat vllo modo beneficium, vel officium Ecclesiasticum resignare, nisi aliunde ei sit quo in vita possit commodè sustentari. Adhæc beneficiorum, & officiorum permutationes admittere, quæ canonicis sanctionibus, & Apostolicis constitutionibus permittũtur. Caueant autem Episcopi, & alij prædicti, itemque omnes electores præsentatores, & patroni tam Ecclesiastici, quam laici, quicunque sint, ne verbo quidem aut nutu, vel signo, futuri in huiusmodi beneficijs, & officijs successores ab ipsis resignantibus, vel alijs eorum significatione, vel hortatu designentur, aut de his assumendis promissio inter eos, vel etiam intentio qualiscunque intercedat. Cæterum præcipimus atque interdicimus ne ipsi Episcopi aut alij collatores de beneficijs, & officijs resignandis prædictis aut suis aut admittentium consanguineis affinibus, vel familiaribus etiam per fallacem circuitum multiplicatarum in extraneos collationum audeant prouidere: quod si secus ac etiam quicquid præter, vel contra formam prædictorum fuerit à quocunque temerè attentatum, id totum ex nunc vires, & effectum decernimus non habere. Qui vero contra fecerint, vt in eo quo deliquerint puniantur à beneficiorum, & officiorum collatione, necnon electione, præsentatione, confirmatione, & institutione prout cuiq; competierit, tamdiu suspensi remaneant, donec remissionem à Rom. Pont. meruerint obtinere: & qui talia beneficia seu officia receperint, eos prædictis pœnis volumus subiacere. Et nihilominus in eos, qui sic suspensi conferre, eligere præsentare, cõfirmare, vel instituere ausi fuerint, excommunicationem quoad personas, quo vero ad capitula, & conuentus à diuinis suspensionis, sententias ipso facto promulgamus, à quibus nullus alius quam ipse Rom. Pont. siue absolutionis siue relaxationis gratiam (excepto mortis articulo) valeat impertire, &c.
Non obstantibus, &c. Dat. Romæ, An. 1568. Kal. April.

Quoad beneficia tamẽ iurispatronatus resignata, cõferenda famĩliaribus seu affinibus, extat rescriptum sac. Cong. Cõc. relatum apud Quar. ver. beneficiorum resignationes, his verbis.

Nos Hieron. tit. S. Pancrat. San. Rom. Eccles. Præsbiter Cardin. Mattheius fidem facimus, & attestamur in libris sacræ Congreg. Concilij qui apud nos asseruantur adnotatum esse, quod fæl. record. Greg. XIII. declarauit

rauit, beneficia iurispatronatus non comprehendi in §. cæterum, contento in constitutione Sanctæ mem. Pij V. relaxante prohibitionem de non admittendis resignationibus, quo, §. prohibetur Episcopis, beneficia in eorum manibus resignata, eorum, aut resignantium affinibus, consanguineis, vel familiaribus conferre.

Hieron. Card. Matth.

Latissimè etiam declaratur dicta constitutio Pij V. per Parisium, de resign. benef. p. 1. lib. 5. quæst. 6. & causæ ob quas resignatio est admittenda satis accuratè explicantur apud Quar. lo. cit. in addit. nos adhuc constitutionem Gregor. XIII. de publicandis resignationibus hic referamus, & sequitur.

Humano vix iudicio. & infra. Statuimus vt posthac omnes, & quæcunque resignationes etiam causa permutationis, ac commendarum, & etiam litteris Apostolicis non confectis, & possessione non habita, necnō litis & iurium quorumcunque cessiones ac retrocessiones, quæ deinceps de quibuscumque beneficijs Ecclesiasticis in nostris seu Rom. Pont. pro tempore existentis manibus, ac etiam coram notario publico, & testibus fient & à nobis, vel illo, seu nostro, vel illius mandato admittentur, & super eis prouisiones, & quæcunque aliæ dispositiones siue temporales siue perpetuæ aut ad hoc mandata Apostolica sub quacunque forma, & quibuscunque etiam S. R. E. Cardinalibus ac pijs locis quocunque priuilegio suffultis facta, publicari debeant cum litteris Apostolicis desuper confectis intra sex menses, si beneficium citra montes fuerit, vltra vero intra nouē à data concessionis gratiæ, non autem à die præstiti super ea consensus numerandos, etiamsi postea concessio gratiæ huiusmodi ex quauis causa diuersisque subsequentibus datis, ac quotiescunque, & quouis modo reformata, & valida reddita fuerit, pluresque, & quotquot in alium, vel alios cessiones, ac etiam in ipsummet primum resignantem, vel cedentem retro cessiones termino prædicto nondum elapso retrocesserint, ita vt vnicus duntaxat terminus omnibus successiuis cessionibus ac retrocessionibus decurrat, vt qui postremus gratiam habuerit, publicationem huiusmodi facere cæteraque omnia hic præscripta intra eundem terminum præstare teneatur.

Ipsa autem publicatio in Cathedrali, & in beneficij Ecclesia, vel Ecclesijs si in pluribus illud sit, fiat, ibique dum frequens populus ad missarum solemnia conuenerit, palam omnibus, litteræ Apostolicæ prædictæ, earumvè transumptum authenticum exhibeatur, claraque, & intelligibili voce resignatio seu cessio huiusmodi ac beneficij qualitas, & inuocatio, nomi-

nominaque, & cognomina resignantis seu cedentis, ac illius in cuius fauorem gratia huiusmodi facta est, pronuncietur ita, vt hæc omnia possint ad notitiam omnium ibi existentium verisimiliter peruenire, scriptoque de his omnibus exemplo collato, valuis dictarum Ecclesiarum affixum relinquatur.

Si vero Ecclesia beneficij ruralis sit, aut populo conuentuque careat, eo casu in parochiali, intra cuius parochiæ limites beneficium ipsum consistit, & in Cathedrali Ecclesia, vel si locus bello seu pesti alijsvè manifestis periculis subiaceat, tunc in proxima Parochiali, ac etiam in Cathedrali Ecclesia, vel si aditus ad illas aut vtramuis minimè sit securus, in alia Cathedrali, vel Parochiali viciniori periculorum immuni, publicatio huiusmodi peragatur.

Is quoque in quem disponi, vel mandari de beneficio etiam litigioso, vel à cedente non possesso, sub quacunque forma contigerit, possessionem beneficij intra dictum tempus vigore litterarum Apostolicarum desuper confectarum, nec alias apprehendere debeat, & si propter litem aut aliud legittimum impedimentum nequiuerit, saltem litteras Apostolicas cum earum publicatione si tunc facta erit, Iudici seu executori illarũ, vel alijs ad quos pertinet, per se vel procuratorem suum legittimum intra idẽ tempus præsentare, & apud illum vel illos pro ipsarum litterarũ exequutione instare, & possessionem huiusmodi instanter petere teneatur.

Cæterum modus, & forma hic tradita semper, & vbique debeat obseruari, nec alia vel æquipollens vllo modo admitti iñ omnibus huiusmodi resignationibus cessionibus, & retrocessionibus de quibuscũque Ecclesijs, Monasterijs, prioratibus tam virorum quam mulierum, dignitatibus, officijs, & beneficijs Ecclesiasticis sæcularibus, & quorumuis ordinũ etiã militarium regularibus, etiam electiuis, & Manualibus, ac etiam de iure patronatus laicorum illustrium, & alias quomodocunque, existentibus siue pacificis, siue in petitorio siue in possessorio litigiosis etiam de quibus in consistorio nostro disponi consueuit, seu debet, quæ posthac ex quacunque causa fient, & per nos ac prædictos successores, extra tamen dictum consistorium admittentur, etiam cum reseruationibus nominis, tituli, administrationis, possessionis fructuum etiam omnium ac rerum, & iurium quorumcunque.

Ad prædictorum tamen obseruationem eum in quem iuris fit cessio, beneficij, quod tempore cessionis huiusmodi, & ante illam vigore litterarum Apost. vt supra si ad id tenebatur publicatarum realiter possidebat, noluimus obligari.

Quod si quicquam prædictorum omnium omissum fuerit dictis terminis vt cuique præscripti sunt elapsis, omnes dispositiones, & gratiæ resi-

gnatorum, & cessorum beneficiorum aut iurium huiusmodi cum omnibus inde sequutis siue de pacificis siue de litigiosis, sint irritæ, & inanes, nullaque alia gratia super huiusmodi beneficio siue iure cesso his quibus concessa fuerit suffragetur; sed ipsi tales, inhabiles, & incapaces sint ad huiusmodi beneficia sic resignata, & cessa quandocunque obtinenda, illaque siue iura ad ipsa statim prima resignatione seu cessione, & etiã si illæ alias nullæ, & inualidæ essent, vacauisse, & vacare censeantur eo ipso, nec resignantibus seu cedentibus, si postea in sua possessione remanent; constitutiones de annali, & triennali possessore, nec præsumptæ aut tacitæ retrocessiones etiam propter diuturnam continuatæ possessionis huiusmodi tolerantiam; nec omnino aliud ius, vel beneficium vllo tempore suffragetur sed ipsa beneficia siue iura sic à principio vacantia, à sede Apostolica prædicta duntaxat impetrari valeant ac concedi.

Illorum vero impetrationes vel etiam motu proprio concessiones quibuscunque derogationibus suffultæ, nunquam sub clausulis generalibus aut vacationum modis conditionalibus vel implicitis comprehendantur, sed specialiter, & expressè ob non seruatam præsentis constitutionis formam; ac cum declaratione nominum, & cognominum resignantis seu cedentis, & gratiam habentis dispositiuè, & non conditionaliter fieri omnino debeant, & quicunque sic impetrans, aut gratiam etiam motu simili habens, præfinitum cuique casui tempus prædictum à data cõcessionis gratiæ sibi factæ huiusmodi, ea omnia quæ cadens à iure prædicto debeat, præstare teneatur, & si pluribus gratiam huiusmodi fieri contigerit, præ omnibus obtineat qui primus publicationem suæ impetrationis fecerit, & possessionem adeptus fuerit aut petierit, omniaque requisita prædicta adimpleuerit quamuis in data sit postremus, & possessio ab alio in publicãdo negligentiore prius apprehensa fuerit vel petita.

Reseruationibus omnib. nominis administrationis fructuum etiã oium ac pensionum, & aliarum rerum quarumcunque, necnon facultatibus indultis, & alijs concessionibus, tam ipsis resignantibus seu cedentibus qui tamen possessionem ab initio reipsa admiserint, quam alijs ex huiusmodi resignationibus seu cessionibus à sede Apostolica factis nihilominus validis plenumque effectum sortituris.

Sed ne in beneficijs super possessione vel proprietate litigiosis, litis prosecutio turbari valeat vel differri, in causis huiusmodi contra cedentem, ad vlteriora etiam ad sententiam definitiuam, & rem iudicatam ac illius executionem quousque ille qui gratiam ex resignatione, seu cessione, aut ex omissa forma publicationis huiusmodi obtinuit, ad causam per se vel procuratorem legittimum accesserit, litemque huiusmodi susceperit, eodẽ modo, & ordine procedi possit, quo potuisset legittime si cessio huiusmodi

facta.

facta non fuisset, ac quicquid interim sic procedendo decretum, & expeditum fuerit siue cum cedente siue contra eum, etiam postquã ipse vel quiuis alius incumbentia sibi secundum prædicta præstiterit, non solum circa fructus sed etiam circa possessionem, & ipsius ius quod cessum est valeat omnino, & vim obtineat, Illumque ipsum cui gratia facta est non minus afficiat, quã si ipso legittimè citato contra eum decretum & expeditum fuisset, nec ipse aduersus hæc prætextu non acceptatæ gratiæ, vel etiã illius ignoratæ aut citationis vel intimationis executionis contra ipsum minime demandatæ, aliauè ratione valeat excusari. Possit tamen ipse etiã si in lite, & causa huiusmodi subrogatus non sit, quandocunque ad illius prosecutionem, & terminationem venire, & à Iudice coram quo causam ipsam etiam ex delegatione pẽdere contigerit, in illis ipsis statu, & terminis, in quibus tunc eam esse repererit etiam absque rescripto speciali admitti.

De beneficijs autem quæ deinceps in manibus Ordinariorum collatorũ, etiam Cardinalium etiam indulta, & facultates ad hoc ab Apostolica sede habentium, ac legatorum etiam de latere, & delegatorum etiam specialium eiusdem sedis extra Rom. Curiam resignari, etiam ex causa permutationis contigerit, ipsi intra mensem negotium vniuersum admissionis vel reiectionis resignationis huiusmodi, & (si per eos facienda erit) prouisionis resignati beneficij iuxta Apostolicas, & alias Canonicas sanctiones omnino absoluant. Et qui sic prouisus fuerit intra tres menses à die sibi factæ prouisionis, illam publicet, & possessionem beneficij capiat modo & forma supradictis, alioquin illis elapsis, nulla sit eius prouisio, & beneficium vacare censeatur eo ipso.

Ordinarijque & alij prædicti qui hæc vti eis præscribuntur non perfecerint, eo casu potestate disponendi de ipsis beneficijs sint ea vice priuati, eorumque dispositio eo ipso ad sedem Apost. deuoluta existat, aut alijs idoneis ab ipsa sede duntaxat modo, & forma prædictis concedantur. Decernentes sic per quoscunque iudicari debere, necnon irritum, & inane quicquid secus super his per quoscunque scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus prædicti Pij V. & alijs omnibus aliorum prædecessorum nostrorum constitutionibus de publicandis resignationibus huiusmodi hactenus editis, & reformatis quas omnes omnino abrogamus. &c. Necnon resignantium siue cedentium voluntatibus, conditionibus, protestationibus, & clausulis, &c. Necnon indultis priuilegijs, &c. cæterisque contrarijs quibuscunque, &c.

Dat. Romæ, ann. Incarnat. Dominic. 1583. Non. Ianuar.

23 In beneficiorum collatione aduertendum præterea, vt sæcularia

sæcularibus, regularia regularibus conferantur. c. officij, c. cum ad nostram de elect. cap. cum de beneficio, de præben. in 6. Conc. Trid. sess. 14. c. 10. de ref. Regulariter autem omnia beneficia censentur sæcularia, nisi in eorũ fundatione cautum fuerit, vt sint Regularia, vel nisi præsumantur regularia ex quadraginta annorum decursu quo in eis per Regulares continuè fuerit deseruitum. Nau. consil. 3. de præben. Gonz. cit. glo. 7. in princip. Zerol. ver. beneficium, par. secunda, num. 11.

Posset tamen beneficium Regulare sæculari concedi dummodo emittat professionem, cap. cum causam, cap. officij, de electio. Abb. num. 5. Ant. de Butr. num. 13. ib. & ad hoc propositum declarationẽ sac. Cong. Conc. refert. Gonz. glo. 8. num. 78. huiusmodi.

An præter Papam possint ordinarij collatores Regularia beneficia, in titulum Regularibus professis prouideri consueta, conferre etiam sæcularibus, qui illius ordinis habitum omnino suscipere, & professionem emittere teneantur.

Sac. Cong. die 12. Decemb. An. 1585. Cẽsuit iuxta hoc caput posse etiã ordinarios collatores portiones Monachales, & Canonicales Regularibus prouideri consuetas, conferre nedum eius ordinis professis, sed etiam sæcularibus, qui habitum suscipere, & professionem emittere omnino teneantur, Abbatias tamen; & beneficia administrationem habentia, non nisi professis iuxta Canones per ordinarios conferri posse.

Tempus autem emittendæ professionis huiusmodi sæcularibus promotus ad beneficium Regulare, haberet sex mensium. Concil. Trid. sess. 25. cap. 21. de Regul. vel secundum arbitrium superioris pro diuersitate qualitatis personarum, glo. in ver. competentes. in cap. officij. cit.

Similiter, & Regularis posset præfici in Ecclesia sæculari causa necessitatis de consensu sui superioris, Clem. 1. iun. glo. ver. sæcularis, de elect. Staph. cit. tit. benefic. in obtinẽ. quæ requirun. num. 6. quo tamen ad beneficia curata per regulares assumẽda refert Gõz. cita. glo. 7. numero. 53. declarationem, Gregor. Papa XIII. in hæc verba.

Sanctiss. D. N. Greg. XIII. noluit licere Canonicis Regularibus Congregationis Lateranen. etiam de licentia sui Generalis absque permissu summi Pont. assumere curam animarum etiam ad tempus, multoque minus beneficium curatum ad tempus.

Con-

Conferenda item sunt beneficia sine pacto, sine conditione recópensæ, vel precij, cap. 2. de elect. in 6. & diximus alias, tit. de Simo. Conditio tamen, vt prouisus aliud beneficium resignet, vt resideat, vel conferimus si vacat, apponi posset, glo. lo. cit. in 6. ver. incerta, Rebuff. de requis. in collat. num. 2.

Sponte accipientibus non inuitis etiam conferri debent, Episcopus enim cogere non potest, vt quis inuitus recipiat officium, vel beneficium, licet hoc Papa possit, cap. penul. de his quæ vi. Rebuff. lo. cit. Zecchus, de benef. cap. 12. num. 21.

Conferri item debent perpetuo, & non ad tempus. Rebuff. lo. cit. 24 num. 13. Vicarius tamen vel oeconomus ad tempus dari solent, ca. cum vos, de off. ord. vel si beneficium datur in commendam, hoc enim modo ad tempus dari potest. imo beneficium curatum non nisi ad sex menses commendare potest Episcopus, cap. nemo. de electio. in 6. & talis commendatarius non dicetur verus prælatus, sed depositarius, nec facit fructus suos, sed illos colligere, & in necessitates Ecclesiæ dispensare potest. gl. lo. cit. ver. commenda.

Beneficia autem simplicia etiam ad vitam commendare potest Episcopus, cap. cum constiterit, de accus. Franch. in cap. nemo, cita. Rebuff. lo. cit. num. 16. quod & Papa sæpè concedit. Et huiusmodi cómendatarius ad vitam, dicetur verus prælatus, & habet eandem auctoritatem, & potestatem iurisdictionis, & administrationis fructuum dispensationis, quam haberet beneficiatus in titulum. Naua. de red. Eccl. num. 80. Potestque vti baculo, & mitra si hoc competat beneficio commendato, prout in facto cómendatarios vtentes insignibus huiusmodi se vidisse testatur Zerol. cit. verb. beneficia, ad 1. §. 11.

Datur etiam beneficium ad tempus cum datur coadiutor ægroto, seni, vel illiterato, cap. penul. & fin. de cler. ægrot. Coadiutoria enim hęc non potest dari cum futura successione, sed cessante causa, vel mortuo coadiuto, ipsa quoque cessat. Papa tamé etiam cum futura successione ipsam concedere potest. Conc. Trid. sess. 21. c. 6. & sess. 25. cap. 7. de ref.

Manualia quoque beneficia ad tempus dari solent Rebuff. loc. cit. num. 15.

Sine diminutione etiam beneficia sunt conferenda, cap. vnic. vt Eccl. benef. sine dimin. confer. nec Episcopus potest sibi retinere partem fructuum beneficij, cap. prohibemus, de censibus, & si hoc faceret ex pacto, vel conuentione incurreret Simoniam, vt vidimus supra de Sim. Posset tamen si vrgeret necessitas Ecclesiæ, vel propter susten-

sustendandum dignitatem suam Episcopalem de consensu sui capituli dum vacat beneficium, & antequam conferatur, retinere sibi ad tempus partem aliquam fructuum, glo.fin. cap.vn.cita. Innoc. Abb.ib. tutius tamen esset in talibus petere concessionem à sede Apostolica, arg.tex.cap.tua nobis, de verb.signif.

Pensionem quoque beneficio conferendo imponere potest, dum modo faciat ex iusta causa, vt propter bonum pacis, propter extinguendam litem quando beneficium est litigiosum, vel vt subueniatur seni pro eius sustentatione quando dimittit beneficium onerosum, vel ad subueniendum scholari pauperi, vel in permutatione beneficiorum ratione inæqualitatis vnius beneficij permutandi.

25 Non autem, vt faciat fraudem Canonibus, vt cum non possit nepoti conferre plura beneficia incompatibilia, reseruet ipsi pensiones, cap.audiuimus, de collus.detegen. Felin.in cap.quia verisimile, nume.1.de præsumpt.& in cap. ad audientiam, 2.num.2. de rescript. Abb.in cap.conquerente, de cler.non resid.num.5. estque communis omnium sententia, vt fatetur. Rebuff.de reseruation.num.29. licet ipse velit amisisse Episcopos hoc priuilegium non vsu, quod tñ sufficienter refutat, Gonz.glo.5.§.5.à num.27.ad 36.firmando multis argumentis opinionem communem, quæ indubitatè tenẽda est, illo solo contrarium sentientibus concesso, pensionem videlicet fore nullam si ipsam Episcopus sine causa iusta, quam & exprimere in concessione tenetur, imponat. Caccialup.de pension. quæst.4.num. 4.Zecchus, cit.cap.11.

In Parochialibus tamen quarum fructus annui valorem centum ducatorum non excedunt pensio imponi non potest. Conc.cit.sess. 24.cap.13. de ref. neque in canonicatibus Cathedralium quorum similiter valor fructuum annuus non est maior centum ducatis. Paris.de resign.Tom.1.lib.6.quæst.2.

Neque in alijs beneficijs pensio debet imponi nisi iusta, & ita, vt ea exacta tantum remaneat beneficiato quo commodè onera beneficij sustinere possit, arg.tex.c.de monachis, c.cum causam, de præb. neq; plus assignetur pensionario, quã tertia pars fructuũ, duas autẽ percipiat beneficiatus. Caccialup.cit. quæst.septima, Zecchus vbi sup.num.6. Papa tamen cõcedit etiam dimidiam fructuum partem, nec ipse tenetur exprimere causam, propter quam imponit pensionem, vt diximus de Episcopo, cum ex suo beneplacito quouis modo de beneficijs, & eorum fructibus disponere possit. Rebuff.& Gonz. locis cit. Regulariter autem pensio expirat morte pensionarij, nec transferri potest in aliã personam, nisi per Papã. Rebuff.lo.cit.de reserua-

ſeruationibus, num. 20. neque poteſt concedi, vt penſionarius ſuam quotam auctoritate propria percipiat, ſed tantum per manus beneficiati titularis, alioquin viderentur eſſe duo titulares. Hieron. Gigaſ. de penſion. quæſt. 8. & 9. Rebuff. vbi ſup. num. 19.

Beneficia item conferenda ſunt illis qui non habent, Hoſtienſ. in ſum. de conceſſ. præbend. num. 4. §. item inſtituendus, habenti enim beneficium aliud non debet conferri niſi primo renunciet, cap. de multa, tit. cit. vt autem clarius intelligatur quonammodo beneficia plura retineri non poſſint, conſideranda eſt diuerſa incompatibilitatis ratio. Et primo quidem beneficia incompatibilia dicuntur, quorum vno adepto vacat ipſo facto aliud ſimile prius poſſeſſum, qualia ſunt omnia beneficia curata, & illa quæ habent aliquam iuriſdictionem annexam, vt viſitandi, corrigendi, excommunicandi, prout determinantur, in extrauagan. execrabilis Ioann. 22. Eiuſdem generis erit, beneficium Cathedrale, cum Parochiali, vt vno habito, aliud de facto vacet, ex noua diſpoſitione Conc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 17. de ref. Similiter & beneficia vniformia, vt duo Canonicatus, duo perſonatus in eadem Eccleſia, Staph. cit. de 2. forma, nume. 5. ſi nimirum inſtituta ſunt ad eundem finem, habeantque idem prorſus onus & officium, eodem tẽpore explendum, aliter ad inducendam huiuſmodi incompatibilitatem non ſufficeret, quod ſint in vna Eccleſia, vel ſi etiã ſimili nomine nuncupentur. Nau. conſil. 16. de præbend. Quar. ver. beneficiorum reſign. in addit. Et intelligitur tum demum vacare primum, poſtquam ſecundum fuerit pacificè poſſeſſum, & fuerit habita libera fructuum ipſius perceptio: ante habitam autem poſſeſſionem fraude ceſſante, vel ſi fructus alteri ex cauſa aliqua debeantur ad tempus, non cenſetur vacare primum, cap. ſi tibi, de præben. in 6. Franc. Gemin. ib. Diaz. in prac. cap. 42. Huiuſmodi itaque beneficia incompatibilia nulla ratione inſimul duo retineri poſſunt, niſi vnum obtineatur in titulum, alterum in commendam, & quidem in commendam ad tempus, nam obtentũ in cõmendam ad vitã cenſeretur eodẽ modo incõpatibile quo & obtentum in titulum, Nau. in Man. c. 25. nu. 126. Neque Epiſcopus in huiuſmodi beneficijs retinendis diſpenſare poteſt, cum aperte prohibeatur, cap. de multa, cit. & quia eſt prohibitio Conciliaris, cõtra Concilium autem Epiſcopo diſpenſare non licet, cap. cum dilectus, iun. glo. ver. in ætate, de elect. niſi inſtãte graui neceſſitate, quæ legem non habet, & vtilitate Eccleſiæ maximè vbi Papa de facili conſuli non poteſt. Archid. in cap. licet Canon. de electio. in 6. Staphil. cit. titu. beneficij in obtentione, quæ requir. numero 6. Rebuff.

de

de dispensatio. ad plura, à numero trigesimo.

Secundo autem modo beneficia incompatibilia dicuntur, quorum vno accepto nõ vacat quidem primum simile prius possessum ipso iure, sed datur optio detinenti, vt vnum eorum eligere possit detinẽdum, altero vero potest per superiorem priuari, qualia sunt beneficia residentiam requirentia. Conc.loc.cit. & residentiam requirit omne beneficium etiam minimum, nisi ius, statutum, fundatio, vel consuetudo disponat expresse non requiri residentiam, Staphi.cit.de qualit.benef.nu.7. Et circa huiusmodi beneficiorũ retẽtionem dispensare potest Episcopus, iuxta gl.communiter receptã, in cap.dudum, 2.de electio.ver.intitulatam.quam & à Conc.lo.cit. approbatam esse vult, Nau.lo.cit.num.127.& summa ratio pro hoc facit, quia nullibi prohibetur. Imo & consuetudinem iustam in talibus excusare docet idem Nauarr. ib.quia nimirum eodem modo quo & dispensatio, consuetudo derogare possit iuri communi, cap. vlt.de consuet.

Tertio demum modo incompatibilia beneficia dici possunt, quę simul possessa non vacant, neque aliquo eorum priuari potest beneficiatus, peccat tamen plura detinens si vnum ipsorum sufficiat ad ipsius sustentationem. regulariter enim omnis beneficiorum pluralitas est prohibita, cap.conquerente, iun.glo. fin. de cler.non residentibus: & talia sunt omnia beneficia simplicia non requirentia ex statuto vel consuetudine residentiam, seu vnum curatum vel requirens residentiam, cum altero residentiam non requirente. Huiusmodi itaque beneficia absque dispensatione licitè detinentur, vt testatur Nau.loc.cit.& seruatur consuetudine generali vt in talibus non petatur dispensatio. Rebuff.loc.cit.num. 29. sed relinquitur conscientiæ cuiuslibet. Zecch.cit.de benef.cap.5. vt secum ipse iudicet an vnum sufficiat ad sui sustentationem quo excusari possit quoad Deum. Aliter autem difficile est determinare quando beneficium sit sufficiens ad sustentationem alicuius, & nullibi à iure legitur definitum, cum vnum beneficium respectu tẽporum, & personarum aliquando possit dici magnum, aliquando paruum. Paris. de resig.benef.tom.1.lib.3.quæst.16.num.132.

In iudicanda etiam huiusmodi sufficientia non sunt connumerãda bona patrimonialia beneficiati, cum illa, & eorum fructus possit reseruare beneficiatus, & ex fructibus solius beneficij viuere secundum communem Doctorum sententiam. Fel.cap.postulasti, nu. 6.de rescript. Couar.in c.1.nu.2.de testam. Nau.in Apol. lib. de redit.Eccl.q.1.monit.30.

Bene-

Beneficia item conferre potest Episcopus etiam dum moratur in Diœcesi aliena,& eorum resignationes admittere,cum hoc sit iurisdictionis voluntariæ,cap.nouit.iun.glo.verb.terminos,de off.Leg. Rebuff.de forma Vic.num.227.Zer.verb.beneficia.ad.9.

Circa institutionem ad beneficium,potest recipere ab instituendo iuramentum de residendo si sit curatus,de reddenda sibi & successoribus loci ordinarijs debita obedientia;de non alienandis bonis Ecclesiæ suæ.c.nullus.iun.gl.de iureiurando.

Fidei quoque professio recipienda est ab instituendo,& si ipsam non emiserit saltem intra duos menses à die adeptæ possessionis,nõ facit fructus suos,& possessio ipsi non suffragatur.Conc. Trid.cit. sess.24.c.12.de ref.

Formam autem dictæ professionis faciendæ,ordinauit Pius. IV. in hunc modum.

Ego N. firma fide credo & profiteor omnia,& singula quæ continentur in symbolo fidei quo sancta Rom. Ecclesia vtitur,videlicet. Credo in vnum Deum Patrem omnipotentem factorem cæli,& terræ, visibilium omnium,& inuisibilium,& in vnum Dominum Iesum Christum filium Dei vnigenitum,& ex Patre natum ante omnia sæcula.Deum de Deo,lumen de lumine,Deum verum de Deo vero,Genitum non factum,consubstantialem Patri per quem omnia facta sunt.Qui propter nos homines,& propter nostram salutem descendit de cælis,& incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine,& homo factus est.Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato,passus,& sepultus est,& resurrexit tertia die secũdum scripturas,& ascendit in cælum sedet ad dexteram Patris,& iterũ venturus est cum gloria iudicare viuos,& mortuos,cuius Regni non erit finis.Et in Spiritum Sanctum Dominum, & viuificantem qui ex Patre filioque procedit,qui cum Patre,& filio simul adoratur,& conglorificatur;qui loquutus est per Prophetas. Et vnam Sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam,Confiteor vnum Baptisma in remissionem peccatorum,& expecto resurrectionem mortuorum,& vitam venturi sæculi. Amen.

Apostolicas,& Ecclesiasticas traditiones, reliquasque eiusdem Ecclesiæ obseruationes, & constitutiones firmissimè admitto, & amplector.

Item sacram scripturam iuxta eum sensum quem tenuit,& tenet sancta mater Ecclesia,cuius est iudicare de vero sensu, & interpretatione sacrarum scripturarum,admitto,nec eam vnquam nisi iuxta vnanimem consensum Patrum accipiam,& interpretabor.

Aa 2 Profi-

Profiteor quoque septem esse verè, & propriè Sacramenta noua legis à Iesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet Baptismum, Cõfirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Vnctionem, Ordinem, & Matrimonium; illaque gratiam conferre, & ex his Baptismum, Confirmationẽ, & ordinem sine sacrilegio reiterari non posse.

Receptos quoque & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio, & admitto.

Omnia & singula quæ de peccato originali, & de Iustificatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio.

Profiteor pariter in missa offerri Deo verum proprium, & propitiatorium sacrificium pro viuis, & defunctis, atque in Sanctissimo Eucharistię Sacramento esse verè, realiter, & substantialiter corpus, & sanguinem vna cum anima, & Diuinitate Domini nostri Iesu Christi, fierique cõuersionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, quam conuersionem Catholica Ecclesia transubstantiationem appellat.

Fateor etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christũ verumque Sacramentum sumi.

Constanter teneo purgatorium esse, animasque ibi detentas, fidelium suffragijs iuuari.

Similiter, & Sanctos vna cum Christo regnantes venerandos atque inuocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas.

Firmiter assero imagines Christi ac Deiparæ semper Virginis, necnon aliorum sanctorum habendas, & retinendas esse, atque eis debitum honórem ac venerationem impartiendam.

Indulgentiarum etiam potestatem à Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque vsum Christiano populo maximè salutarem esse affirmo.

Sanctam Catholicam, & Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum matrem, & magistram agnosco. Romanoque Pontifici Beati Petri Apostolorum Principis successori ac Iesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo ac iuro.

Cætera itẽ omnia à sacris canonibus, & Oecumenicis concilijs ac præcipuè à sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata, indubitanter recipio atque profiteor, simulque contraria omnia atque hæreses quascunque ab Ecclesia damnatas, & reiectas, & anathematizatas, ego pariter damno reijcio, & anatematizo.

 Hanc

Hanc veram Catholicam fidem extra quam nemo saluus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor, & veraciter teneo, eandem integram, & inuiolatam vsque ad extremum vitæ spiritum constantissime Deo adiuuante retinere, & confiteri, atque à meis subditis seu illis quorum cura ad me in munere meo spectabit teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit curaturum Ego idem N. spondeo voueo ac iuro: sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia.

Et quoniam aliqua supra de Græcis cum S. Romana Ecclesia reconciliatis retulimus, merito formam quoq; professionis fidei per ipsos emittendæ iussu Gregor. XIII. editam referemus, & est vt sequitur.

Ego N. firma fide credo, & profiteor omnia, & singula quæ continentur in symbolo fidei, quo sancta Ecclesia Romana vtitur, videlicet.

Credo in vnum Deum Patrem omnipotentem, factorem cæli, & terræ, visibilium Omnium, & inuisibilium. Et in vnum Dominum Iesum Christum Filium Dei Vnigenitum, & ex Patre natum ante omnia sæcula, Deũ de Deo, lumẽ de lumine, Deũ verum de Deo vero; Genitũ non factum, cõsubstantialẽ Patri, per quẽ omnia facta sunt; qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, & sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum scripturas. Et ascendit in cælum; sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare viuos, & mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum Dominum, & viuificantem, qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre, & Filio simul adoratur, & conglorificatur: qui loquutus est per Prophetas. Et vnam sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor vnum Baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi sæculi. Amen.

Credo etiam, suscipio, atque profiteor ea omnia, quæ sacra Oecumenica Synodus Florentina super vnione Occidentalis, & Orientalis Ecclesiæ deffiniuit, & declarauit, videlicet, quod Spiritus sanctus à Patre, & Filio æternaliter est, & essentiam suam, suumque esse subsistens habet ex Patre simul & Filio, & ex vtroque æternaliter, tamquam ab vno principio, & vnica Spiratione procedit. Cũ id quod sancti Doctores, & Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum sanctum, ad hanc intelligentiam tendat, vt per hoc significetur, Filium quoque esse secundũ Græcos quidem causam, secundum latinos vero principium subsistentiæ Spi-

ritus sancti sicut & Patrem. Cumque omnia quæ patris sunt, ipse Pater unigenito Filio suo gignendo dederit, præter esse Patrem, hoc ipsum quod spiritus sanctus procedit ex Filio, ipse Filius à patre æternaliter habet, à quo æternaliter etiam genitus est: Illamque verborum illorum, Filioque, explicationem, veritatis declarandæ gratia, & imminente tunc necessitate, licitè ac rationabiliter symbolo fuisse appositam.

Item in Azimo siue fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici, sacerdotesque in altero ipsum Domini corpus conficere debere, vnumquemque scilicet iuxta suæ Ecclesiæ siue Occidentalis, siue orientalis consuetudinem.

Item si vere pœnitentes in Dei charitate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint, & omissis, eorum animas pœnis purgatoriis post mortem purgari, & vt à pœnis huiusmodi releuentur, prodesse eis fidelium viuorum suffragia, missarum scilicet sacrificia, orationes, & Eleemosynas, & alia pietatis officia, quæ à fidelib. pro alijs fidelibus fieri cōsueuerunt secundum Ecclesiæ instituta: illorūque animas qui post Baptisma susceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam quæ post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem exutæ corporibus, prout superius dictum est, sunt purgatæ, in cælum mox recipi, & intueri clarè ipsum Deum trinum, & vnum sicuti est, meritorum tamen diuersitate alium alio perfectius. Illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas.

Item sanctam Apostolicam sedem, & Romanum Pontificem in vniuersum orbem tenere primatum, & ipsum Pōt. Rōm. successorē esse B. Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorū patrem ac doctorem existere, & ipsi in beato Petro, pascendi, regendi, & gubernandi vniuersalem Ecclesiam à Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in actis Oecumenicorum Conciliorum, & in sacris canonibus continetur.

Insuper profiteor ac recipio alia omnia quæ ex decretis sacræ Oecumenicæ generalis synodi Tridentinæ, sacrosancta Romana, & Apostolica Ecclesia, etiam vltra contenta in supradicto fidei symbolo profitenda ac recipienda proposuit atque præscripsit, vt sequitur.

Apostolicas, & Ecclesiasticas traditiones reliquasque eiusdem Ecclesiæ obseruationes, & cōstitutiones firmissimè admitto, & amplector. & c.

Deinde subiungantur omnia de verbo ad verbum quæ sequuntur ab istis verbis in præmissa professione fidei Pij. I.V. vsque ad finem quæ nos iterare noluimus.

Bullæ

Bullæ item siue litteræ prouisionis debent dari prouiso, nā alias ipsi non crederetur, nec Ecclesia teneretur ipsum recipere sine prouisionis litteris Extrauag. iniunctæ. de elect. comm. Abb. in ca. qualiter. eo. tit. Felin. in cap. eam te. num. 3. de rescript. Posset tamen probari prouisio per testes si litteræ deperdantur. Fel. cit. in cap. sicut, num. 2. de re iud. Rebuff. de miss. in poss. num. 41. Zerol. verb. Bullę. ad 3. vbi tamen ageretur de præiudicio tertij, plura requirerentur ad probandam prouisionem. Nau. consil. 4. de præsumpt. & consil. 5. de success. ab intest. Prouisio autem Papæ nunquam probatur nisi per litteras ex stylo curiæ vt testatur idem Zerol. & Zecchus, loco. citat. cap. 5.

28 Pro Bullis autem seu litteris huiusmodi vel pro ipsa institutione non potest recipere quicquam Episcopus, neque ipsius Cācellarius vel Notarius, præter iustam mercedem si non habeat certum constitutum salarium pro exercendo suo officio. Nau. consil. 2. 7. & 15. de Simon. super quo habetur declaratio Sacr. Cong. Conc. quam & Quar. refert verb. simonia. In additionib.

Cong. Conc. censuit non posse Cancellarios pro expeditione litterarum collationis vel institutionis quorumcunque beneficiorum vel pro deputatione Vicariorum in illis, accipere, nisi mercedem suo labori conuenientem, quæ tamen scriptura, sigillo, & ceris computatis, vnum aureum non excedat, dummodo ipsis Cancellarijs salarium vllum pro officio exercendo constitutum non sit, & ex pecunia quam acceperint nihil prorsus emolumenti collatores aliquo modo directè, vel indirectè percipiant.

Mitti quoque debet prouisus in possessionem, & nō ipsemet propria auctoritate ingredi, mittitur autem per Archidiaconum, cap. adhæc. de off. Archid. seu per Decanum, cap. post electionem, de cōcess. præben. Vel communiter solet institutor mādare omnibus ad quos intromissio de iure vel consuetudine spectat, & omnibus suis subditis vt intromittant. Imo dare potest facultatem instituto vt ēt propria auctoritate apprehendat possessionem dum vacat beneficium, & à nemine detinetur. Rebuff. loco. cit. de miss. in poss.

Capitur autem possessio per ingressum Ecclesiæ, per aspersionē aquæ benedictæ, osculum altaris maioris, & per tactum fontis baptismalis, si apprehendenda sit possessio Parochialis Ecclesiæ. In apprehensione autem possessionis canonicatus, assignatur stallum in choro, & locus in Capitulo, adhibito sonitu campanarum vt populus notificetur, consignatur & domus præsbiteralis cuius traditione in-

ne intelliguntur tradita bona temporalia illius beneficij vel Ecclesiæ,& aliæ ceremoniæ adhibentur pro locorum consuetudine. Rebuff.loc.cit.Zerol.cit.verb.possessio.ad 5.

De Bonis mensæ Episcopalis eorumque vsu.

SVMMARIVM.

29 *Bona Ecclesiæ sua alienare non potest Episcopus.*
30 *Res Ecclesiæ mobiles alienari non debent.*
31 *Alienatio rerum Ecclesiæ iusta quas solemnitates requirat.*
32 *Præscribi possunt res Ecclesiæ.*
33 *Alienatio rerum Eccl. quando sit licita.*
34 *Vsumfructum bonorum mensæ suę licitè potest concedere episcopus ad suam vitam.*
35 *Bona mensæ Episcopalis quæ sint.*
36 *Quarta Episcopalis ex quibus deduci possit.*
37 *Oblationes cui debeantur.*
38 *Donare quantum possit Episcopus consanguineis.*
39 *Testari non possunt clerici de bonis Ecclesiæ.*
40 *Consuetudo testandi de bonis ecclesiæ toleratur.*

AD portum quem iam è propinquo conspicimus fessam ratem appellere festinantes, varias bonorum distinctiones hoc loco afferri solitas, omittamus, illa sola contenti qua vtitur. Nauarr. de redit. Eccl. quæst. 1. num. 4. Videlicet bona Ecclesiastica mobilia, vel immobilia posse considerari, vel vt sunt fundata pro dote, & patrimonio Ecclesiæ seu beneficij, vel vt sunt fructus seu reditus annui ipsi Ecclesiæ seu beneficio debiti.

Primo modo si sumantur, bonorum huiusmodi Episcopus in sua Ecclesia est administrator & procurator, nō Dominus, c. si priuatū. 12. q. 1. Vnde curā ipsorum diligentem habere debet, & vel vitę periculo illa defendere, c. conuenior. iun. gl. ver. pro altarib. 23. q. 8.

Tenetur facere repertoriū seu inuentarium omnium bonorū, & iurium Ecclesiæ suę, & construere archiuiū vbi huiusmodi iura Ecclesię & alibra in omniū inferiorū beneficiorum deponatur. Couar. in c. 1. de testam. nu. 9. Fuscus, de visit. c. 15. nu. 33. & de archiuio pęnes Ecclesiā Cathedralē construēdo emanasse constitutionē, Six. V. incip. prouida. an. 1587. publ. die 8. Iun. testatur. Quar. v. archiuus.

Nec

Nec potest Episcopus bona huiusmodi sibi vsurpare, vel alie-
29 nare, cap. monemus, cap. quisquis, 12. quæst. 2. cap. nulli, de rebus Ecclesiæ non alienan. Seuerius autem alienationem bonorum Ecclesiæ inhibuit Paul. II. extrauag. Ambitiosa, tit. cit. commun. cuius verba sequuntur.

Ambitiosa, & infra. Omnium rerum, & bonorum Ecclesiasticorum alienationem, omneque pactum per quod ipsorum dominium transfertur, concessionem, hypothecam, locationem, & conductionem, vltra triennium necnon infeudationem, vel contractum emphyteuticum, præterquam in casibus à iure permissis, ac de rebus, & bonis in emphyteusim ab antiquo concedi solitis; & tunc Ecclesiarum euidenti vtilitate, ac de fructibus, & bonis, quæ seruando seruari non possunt, pro instantis temporis exigentia: hac perpetuo valitura cōstitutione præsenti fieri prohibemus, prædecessorū nostrorū constitutionibus, probitionibus, & decretis alijs super hoc editis, quæ tenore præsentiū innouamus in suo nihilominus robore permāsuris. Si quis aūt contra huius nostræ prohibitionis seriē, de bonis, & rebus eisdem quicquam alienare præsumpserit, alienatio, hypotheca, concessio, locatio, conductio, & infeudatio, huiusmodi, nullius omnino sint roboris, vel momenti. Et tam qui alienat, quam is qui alienatas res, & bona prædicta receperit, sententiam excommunicationis incurrat, alienanti vero bona Ecclesiarum, monasteriorum, locorumque piorum quorumlibet, inconsulto Rom. Pontifice; aut contra præsentis constitutionis tenorem si Pontificali, vel Abbatiali præfulgeat dignitate, ingressus Ecclesiæ sit penitus interdictus. Et si per sex menses immediatè sequentes sub interdicto huiusmodi, animo (quod absit) perseuerauerit indurato, lapsis mensibus eisdem, à regimine, & administratione sua Ecclesiæ, vel monasterij cui præsidet in spiritualibus, & temporalibus sit eo ipso suspensus. Inferiores vero prælati, commendatarij, & aliarum Ecclesiarum Rectores beneficia, vel administrationem quomodolibet obtinētes, prioratibus, præposituris, præpositatibus, dignitatibus, personatibus administrationibus, officijs, canonicatibus, præbendis alijsque Ecclesiasticis cum cura, & sine cura, secularibus, & regularibus beneficijs, quorum res, & bona alienarunt duntaxat, ipso facto priuati existant, illaque absque declaratione aliqua vacare censeantur, possintque per locorum ordinarios, vel alios, ad quos eorum collatio pertinet, personis idoneis (illis exceptis, quæ propterea priuatæ fuerint) liberè de iure conferri, nisi aliàs dispositioni Apostolicæ sedis sint specialiter aut generaliter reseruata. Nihilominus alienatæ res & bona huiusmodi ad Ecclesias, monasteria, & loca pia, ad quæ ante alienationem huiusmodi pertinebant liberè reuertantur. Nulli ergo

30. &c. Dat. Romæ, Ann. Incarnat. Domini. 1468. Kalen. Mart.

Tanto magis autem Episcopus obligatur non alienare bona Ecclesiæ suæ, quia iurat in sua promotione hoc modo.

Possessiones vero ad mensam meam pertinentes non vendam neque donabo, neque impignorabo, neque de nouo infeudabo, vel aliquo modo alienabo, etiam cum consensu Capituli Ecclesiæ meæ inconsulto Rom. Pontifice, & si ad aliquam alienationem deuenero, pęnas in quadam super hoc edita constitutione contentas eo ipso incurrere volo, &c.

Non solum autem directum dominium alienari prohibetur, sed & vtile; vnde in noua feuda concedere, vltra trienniũ locare, hypothecare seu pignorare bona Ecclesiæ non licet, ex extrauag. præmissę. Rebuff. in cõpen. alien. rerum Eccle. num. 6. Rodoan. de reb. Ecclesiæ alienan. quæst. 1. cap. 14.

Item & iura, actiones, vel nomina debitorum alienari nõ debẽt, Abb. in cap. nulli. cit. Rebuff. loc. cit. num. 54. neq; seruitus aliqua bonis Ecclesiæ imponi potest Rodoan. cap. 16. Rebuff. num. 4. & 6. locis cit.

30 Neque res mobiles, quæ seruando seruari possunt alienandę, sunt, vt vasa aurea argentea, gemmæ preciosæ. Item & armenta, greges pecudum. Quar. lo. cit. num. 24. Arbores etiam solo adhærẽtes, syluæ cæduæ non possunt taliter excindi, quo bona Ecclesiæ ex incisione deteriorentur. Abb. lo. cit. Nauar. consil. 6. num. secundo, eodem titu.

Et quidem prohibita est alienatio etiamsi facienda sit in aliam Ecclesiam, vel in personam Ecclesiasticam, cap. 1. lo. cit. Nec licitè fieri potest etiam per viam transactionis, vel compromissi, Abb. in cap. vt super, loc. cit. Rodoan. vbi sup. cap. 1. si nimirum transactio fiat de re Ecclesiæ incorporata. Quar. cit. num. 20.

Neque per modum permutationis, cap. nulli, cit. de rebus Eccles. non alienan.

Neque consuetudo contraria alienandi, iuuaret alienationem, consuetudo enim huiusmodi cẽseretur irrationabilis, gl. in ver. pręiudicat, in cap. cum causa de re iudic. Quar. cit. num. 30.

31 Posset tamen licitè fieri alienatio si adsint causæ iustæ, & obseruẽtur circa eam solemnitates requisitæ.

Causæ iustæ sunt vtilitatis, necessitatis, incommodi, pietatis. Abbas, in cap. nulli, cit. Rebuff. lo. cit. num. 9. Couar. lib. 2. Var. resol. cap. 16. à num. 8.

Solem-

Solemnitates requisitæ sunt, vt si alienãda sit res Ecclesiæ Cathedralis, accedat ad hoc consensus Episcopi, & Capituli, cap. quanto, de his quæ fiunt à Præl. minoris autem Ecclesiæ si res alienatur, Collegij, Capituli, seu si solum vnum Rectorem habet, illius consensus, requiritur, illo enim inuito res ipsius Ecclesiæ alienari non potest cap. placuit, 12. quæst. 2. ne quidem vacante ipsa Ecclesia, cap. vlt. 10. quæst. 2. Solemnitas necessario requisita quoque est, vt habeatur consensus à sede Apostolica super alienatione facienda, vt patet ex verbis ipsius extrauag. & huiusmodi consensus debet præcedere ipsum contractum alienationis, Abb. vbi sup. num. 7. Quar. loc. cit. nume. 8. Consensum autem patroni vbi Ecclesia est patronata non requiri de necessitate, tenet Abb. in cap. vn. vt Eccl. benef. sine dimin. confer. Rodoan. cit. quæst. 31.

In dubio autem præsumũtur fuisse seruatæ solemnitates propter temporis diuturnitatem. Felin. in cap. sicut, num. 29. de sent. & re iu-
31 dic. Caualcan. decis. 29. par. 2. Nauar. cons. 3. num. 7. de censib. Nec mirum cum temporis diuturnitate etiam præscribi possit res Ecclesiæ, nempe annorum quadraginta, Nau. cit. cons. 1. & 2. de præscrip. Rebuff. lo. cit. num. 36. Doct. communiter, in cap. 2. de rebus Eccles. non alien. in 6.

Neque obstat constitutio Pauli, IV. incip. iniunctum, ann. 1555. Id. Iulij, qua omnes alienationes bonorum quarumuis Ecclesiarum sine requisitis solemnitatibus, & in damnum ipsarum Ecclesiarum factas reuocauit, nullaque temporis præscriptione illas validari posse decreuit, illam enim constitutionem Pius IV. reuocauit, & reduxit ad terminos iuris communis constitutione sua incip. Prouida. An. 1560. 3. Id. Septemb. est in Bull. fol. 501.

Nisi tamen ex instrumento alienationis appareret iniustus titulus, qui causaret malam fidem tum enim non induceretur præscriptio, cap. fin. de præscript. Nau. cons. 3. & 5. lo. cit.

Tanto magis præscripta censeretur res Ecclesiæ, vbi intercesserit à tempore alienationis tempus immemorabile, vel centum annorũ, talis enim præscriptio etiam contra res Ecclesiæ Romanæ procedit, capit. ad audientiam, de præscript. & operatur suum effectum etiam in casu quo lex prohiberet præscriptionem, huiusmodi enim prohibitione non excluderetur immemorabilis nisi expresse nominaretur. Felin. in rub. de præscript. nu. 18. Mascard. de probat. conclus. 12. & 15. num. 55.

Absq; causis, & solemnitatibus prædictis licita quoq; est alienatio in tribus casibus quos prædicta Paulina concedit.

Primus est, circa res, quæ seruando seruari non possunt, huiusmodi enim res licitè alienantur, Host. in sum. hoc tit. nu. 3. de reb. Eccles. non alienan. Seruari autem non posse dicuntur, quæ verisimiliter ad triennium sine notabili deterioratione non durarent, vt sunt vestes, arborum fructus, iumenta, & pecora singularia. Abb. in cap. nulli, cit. Beroius, ib. Rebuff. lo. cit. num. 24. Pecunia quoque regulariter computatur pro re quæ seruando seruari non potest, quia retenta nihil operatur. l. 1. §. quæsitum, ff. ad Trebell. Iason, ib. nume. 18. Abbas. lo. cit. Pecunia tamen destinata ad emptionem immobilium, seu ad emendum censum annuum, inter immobilia connumeranda est nec potest alienari. Rodoan. cit. quæst. 50. cap. 1. Boer. decis. 209. & fuisse decisum in Rota Romana in vna Veneta 13. Nouemb. 1602. coram Pamphilio, refert Genuen. in praxi cap. 75. nu. 4.

Secundus casus liberæ alienationis in Paulina concessus est, vt res in feudum, vel Emphyteusim dari solitæ, si feudum huiusmodi, vel Emphyteusis expiret, possint iterum in simile feudum concedi, ad hoc enim facit, cap. [illegible] de feudis. Vt autem res dicatur in feudum concedi solita, sufficiunt duo actus concessionis factæ, vel vnus solemnis cum decursu annorum quadraginta, Rodoan. cit. quæst. 63. Genuen. lo. cit. num. 5.

Vbi tamen cessaret causa primæ concessionis, non posset de nouo concedi. Abb. in cap. vt super. lo. cit. & si offeratur maior census, pro antiquo canone non deberet concedi. Rota diuers. volum. 1. decis. 360. neque cum conditione grauiori Ecclesiæ, quam prius fuit. Caualcan. cit. decis. 29. num. 13. par. 2. neque pro fœminis si pro masculis tantum fuerit concedi solitum. Genuen. lo. cit. num. 6. vbi sex enumerat casus in quibus feudum reuersum ad Ecclesiam, de nouo non potest concedi, & plures allegat Doctores.

Tertius casus est Paulinæ prædictæ, vt res Ecclesiæ locari possint ad triennium. Successor tamen non tenetur stare huiusmodi locationi. Abb. in cap. ne prælati vices suas, nisi in casu cum res non esset integra, vt si iam essent sati agri, tunc enim obligaretur stare contractui quousque fructus colligerentur, Caualc. lo. cit. decis. 44. nume. 32. & fuisse decisum in Rota Rom. in vna Auximana, locationis. 24. Ian. 1598. refert. Genuen. cit. cap. 18.

Multo minus teneretur successor stare locationi si esset facta anticipata solutione, hæc enim prohibita est Conc. Trid. sess. 25. cap. 11. de ref. nisi fiat adhibitis solemnitatibus, & de consensu sedis Apostolicæ. Rodoan. cit. quæst. 57. Genuen. lo. cit.

Vltra prædictos etiam casus licita est alienatio rerum Ecclesiæ

virtute, cap. tertulas, 12. quæst. 2. li. vigiritum alienā dæsiē res mobilis siue immobilis exigui valoris, & concurrat necessitas, & vtilitas Ecclesiæ. & huic capitulo, terrulas. neque Paulinam neque Concil. Trid. derogasse, declarauit sac. Cong. Conc. vt testatur Quar. loc. cit. num. 41.

Quæ autem dicatur res modica, & exigui valoris relinquitur arbitrio boni viri, qui Ecclesiæ alienantis facultatibus, valore rei alienandæ, pro loci consuetudine consideratis, an modica res alienetur iudicabit, argum. text. cap. cæterum, de donat. Rodoan. citat. quæst. 10. Genuen. cit. cap. 75. num. 3. qui dicunt esse opinionem communem.

Esset item licita alienatio casu quo Papa de facili adiri non posset, & esset periculum in mora: vt pro alimoniaque pauperum vrgente necessitate, pro redemptione captiuorum, cap. gloria Episcopi, 12. quæst. 2. cit. Abb. in c. fin. de Eccles. ædifi. nu. 8. Rebuff. loc. cit. nu. 35.

Posset etiam alienari licitè res quæ nondum peruenit ad Ecclesiæ possessionem, vt posset remitti legatū, vel hæreditas assignata testamento Ecclesiæ, maxime si timeantur odia, vel scandala. Rodoan. cit. quæst. 2. cap. 7. Rebuff. lo. cit. num. 36. in acquirendis enim prælatus Ecclesiæ suæ præiudicare potest. Abb. in cap. tua, num. 9. de his quæ fiunt à præl. sine cons. cap. Lapus. alleg. 25. Arm. ver. alienatio, num. 17. & communiorem esse hanc sententiam testatur. Felin. in cap. in præsentia, num. 57. de probat. Si tamen legatum communiter seruiret Episcopo, & Capitulo, Episcopus renūciare illi non posset in præiudicium Capituli, Rebuff. loc. cit. num. 30. Quaranta lo. cit. numero 43.

Relicta quoque Ecclesiæ incapaci, vt mendicantibus, licitè alienari possunt, Dec. in cap. in præsentia, num. 69. de probat. quinimo Regulares possunt alienare bona ipsorum ex pluribus priuilegijs ipsis concessis quæ videri possunt apud cōfect. in sua recoll. priuil. mendicam. & specialiter Greg. XIII. const. incip. Apostolicæ sedis, anno 1576. die 18. Decem. indulsit Patri. Soc. Iesu, vt bona locorū eiusdē Soc. alienare possint arbitrio ipsorū præpositi generalis, nulla super hoc alia petita licentia à sede Apostolica, vel à loci ordinario, legitur hęc const. in Coll. priu. Eman. Rod. Tom. 2. fol. 459.

Rem ab Ecclesia male possessam posset quoq; Prælatus restituere, non. n. tenetur defendere res Ecclesiæ contra conscientiam, quod debetur, 14. q. 1. in glo. Fel. in c. fi. de pscr. nu. 10. Gon. in man. c. 76.

34 Bonorum mensæ suæ vsumfructū ad suum beneplacitū, vel sua durante vita posset et licitè concedere Prælatus, Abb. in c. cōtinebatur.

de his quę fiunt à prael.cit.Ang.v.alienatio,nu.21. Arm.ib.nu.24.

Licitè item Episcopus in vnione, vel dismembratione Ecclesiarũ applicare pōt bona vnius Ecclesię alteri Ecclesię, in casibus à iure concessis, & à Conc. Trid.sess.21.cap.4.& 5.& sess.23.c.18. & sess. 24.cap.13.& 14.de ref.

Permutatio bonorum Ecclesię cũ alia Ecclesia, vel cum Principe cōcessa quoq; est à iure, c.1.de rerum permut. tamen etiam in hac debere adhiberi solemnitates requisitas, notat Innoc.ib. & multis probat.Quar.cit.num.25.

Ad extremum alienans quocunq; modo bona Ecclesiae nō incurrit pęnas Paulinae, vbi hęc non fuerit vsu recepta, valet.n.contra illã consuetudo.quemadmodum in multis locis in nullo fuit recepta in aliquibus aũt solum quoad irritationem cōtractus, Syl.v.alienatio. q.13.Nau.in man.c.27.nu.149.Dr autem lex non recepta vsu, quando populus per lapsum decennij legem publicatã contraueniendo nō seruat, & princeps id sciens dissimulat, vel si princeps non sciat, quadraginta annorum pręscriptio inter currit.Fel.in c.1.de treuga. à num.6.Couar.lib.2.var.res.c.16.num.6.

In secunda autem consideratione sumpta bona Ecclesiae in quantum nimirum sunt fructus annui, acquiruntur beneficiato, & per ipsum in vsus proprios dispensari possunt, beneficiarius enim est vsufructuarius in vita bonorum Ecclesiae suae.gl.in c.si quis, ver.obitus de pec.cler.& alia gl.in c.vlt.ver.reseruari.de off.ord.in 6.

Percipit autem Episcopus fructus huiusmodi ex bonis mēsae suae.
35 Et bona mensae Episcopalis sunt, quae principaliter ad illius sustentationem sunt deputata, & nullum alium rectorem habent praeterquam ipsum Episcopum, gl.in cle.1.de excef.prael.ver. ad mensam. Innoc.in c.vt super.de bonis Eccl.nō alien.ibique Abb. à nu. 9. Rodoan.cit.quaes.62.vbi multis docet quando bona debeant dici esse de mensa.

Debentur etiam aliqui fructus Episcopo ex bonis oĩum Ecclesiarũ Diaecesis suae, ille enim est praelatus vniuersalis, & praeordinator in cunctis in Diaecesi sua.c.perlectis.25.dist.illi incumbit defendere bona omnium Ecclesiarũ Diaecesis.c.cum dilectus, de succes. ab intest.& ille potest agere, & conueniri pro Ecclesijs sibi subiectis.c. ex transmissa.inn.gl.ver.Ecclesia.de praescript.Inno.in c.olim.1.de restit.spol. Vnde & potest sibi retinere partem fructuum vacãtis Ecclesiae, c.vn.vt Eccles.benef.vt alias dictum fuit. Illi debetur procuratio, quarta pars decimarum, charitatiuum subsidium, ca.conquerente.de off.ord.

Eodem

Eodem iure debetur ipsi quarta mortuariorum, quæ est quota pars eorum quæ legantur Ecclesijs, capitulo. requisisti, de testame. capitulo. conquerente. citat. Non potest tamen deduci quarta huiusmodi ex legatis ad pias causas, capitul. vltimo. de testamen. vt si
36 relinquatur legatum pro alendis pauperibus, pro monachandis vel maritandis puellis, pro restauranda vel ornanda Ecclesia. capitul. 2. de sepult. iun. gloss. verbo. decreuerit. Innoc. Abbas. numer. 8. ibidem, & in terminis decisionem Rotæ Roman. in vna syracusana. refert Quarant. citat. verb. quarta Episcopalis. quo ne lector habeat necesse recurrere, ipsius commoditati illam hic referemus, vt sequitur.

Fvit dubitatum per Illustriss. & Reuerendiss. Dom. Seraphynum Oliuarium Razalium Rotæ Auditorem in causa Syracusan. quarta, An opera pia in quibus consumenda sunt bona hareditaria, sint priuilegiata à iure ita vt non debeatur quarta Episcopo Syracusan. & die Mercurij. quinta Martij. 1586. fuit facta resolutio infrascripta, videlicet:

Circa propositum dubium plures considerata fuerunt difficultates. Prima fuit an Reuerendißimo Domino . Episcopo syracusan. debeatur quarta ex relictis pro maritandis seu monachãdis puellis pauperibus, & pro pane præstando qualibet hebdomada pauperibus; Et circa hunc articulum Domini dixerunt, regulam esse quod de relictis pauperibus in genere nulla debetur quarta. gloß. in cap. 2. in ver. decreuit, & ibi Innoc. numero. 1. Abbas. numero. 8. de sepult. Bald. in l. id quod pauperibus, num. 30. versic. addo tertiam rationem. Cod. de Episcop. & cler. Rom. consil. 233. numero. 2. versiculo. tertio fallit. Petr. de Vbald. de Canonica Episcopali, capitulo. 5. numero. 10. & 11. & capit. 7. numero. 15. & 50. & ratio est quia quando relinquitur pauperibus in genere, relinquitur personis non autem pijs locis, de relictis autem personis, nõ detrahitur quarta Episcopalis, iuxta tex. in cap. ex parte. 3. de verb. signific. Innoc. Abbas. Petr. de Vbald. vbi supra. Fallit autẽ hæc regulas in relicto facto pauperibus certi loci, quia tũc legatum videtur factum intuitu illius loci, & sic factum pio loco, vt post Ioann. Andr. limitat. Abb. in dict. c. 2. nu. 3. & Pet. de Vbal. vbi supra.

Secunda difficultas est, An de relictis pro restauratione Ecclesiæ matricis, ædificatione, & reparatione Ecclesiarum, monasteriorum, Hospitalium, & aliorum locorum piorum debeatur quarta. Et Domini censuerũt non deberi, iuxta tex. in cap. vltim. ibi. seu fabrica, de testam. & in dicto, capitul. ex parte. ibi. vel ad fabricam. Rom. dict. consil. 233. in princ. Capye.

pijs decis. 23. numero. 4.

Sed circa hunc articulum insurgit alia difficultas, an hoc casu debeatur quarta, quando de præsenti non indigent restauratione, nam affirmatiuam tenuerunt Host. Ioan. And. Archid. in dict. cap. vlt. de testam. vbi Couar. existimat esse magis communem opinionem; contrarium vero tenuerunt, Goffred. Card. Barb. & ipse Couar. post eos in cap. nobis, 2. quia quia legatum Ecclesiæ nõ indigenti, seruandum est in futuram Ecclesiæ refectionem, & restaurationem, ideo in hoc conflictu attendenda est forma loquendi: si enim testator vult statim, vel in singulos annos solui aliquid pro restauratione Ecclesiæ, quæ reparatione non indigeat, tunc seruari poterit communis sententia, si vero legat pro restauratione Ecclesiæ quoties ea indigebit, tunc contraria sententia erit sequenda, & sub hoc articulo cadunt etiam relicta pro subuentione Ecclesiæ respectu luminarium, ornamentorum, & aliorum ad cultum Diuinum pertinentium, ex his namque non debetur quarta, dict. capitu. fin. si vero vsus est indeterminatus, & non destinatus perpetuo cultui Diuino, tunc debetur quarta. dict. c. ex parte, & c. requisiti, de testam.

Tertia difficultas est, An de relictis pro alijs operibus pijs in genere detrahatur quarta; & hæc pendet à futuro euentu, si enim executores distribuerint legatum in fabricam, luminaria, & ornamenta Ecclesiæ, vel in concernentia Diuinum cultum, tunc quarta non deducitur, dict. c. fin. & cap. ex parte, & Couar. in dict. cap. fin. num. 7. quia distributio quam facit executor, censetur facta ab ipso testatore. l. vnum ex familia, § 1. vbi Dinus. Bart. & Doct. de leg. 2. secus si executores distribuerent legatum in vsum non priuilegiatum locorum piorum.

Quarta difficultas versatur circa legatum factum pro maritandis duabus puellis singulis annis, & pro vna puella consanguinea: & conclusum fuit neque etiam hoc casu deberi quartam, quia aut sunt pauperes, & non debetur quarta vt supra dictum est, cum legatum sit factum personis, & non locis, aut nõ sunt pauperes, & vltra præfatam rationem militat alia ratio, quod tale legatum non dicitur pium, & ideo ex eo quarta non debetur, Tiraq. de priuil. piæ causæ in princ. Quare conclusum secundum legatorum differentias, & distinctiones supra deductas, esse in hac causa pronunciandum. Seraphinus Oliuarius Auditor.

Neque debet deduci quarta ex legatis factis Regularibus, extrauag. 1. de sepult. comm.

Quota autem pars quartæ nomine veniat, locorum consuetudo attendenda est. glos. in cap. requisisti. cit. verb. quartam. Consuetudine eadem siue præscriptione legitima induci quoque potest.

vt

vt quarta Episcopo non debeatur, cap. de quarta, de praescript. con suetudinem tamen vt nihil accipiat Ecclesia Parochialis quartae no- 5
mine, dicit esse irrationabilem Hostien. in summ. de sepult. nu. 8.

Similiter de bonis derelictis morientis clerici intestati partem po test habere Episcopus vbi talis est consuetudo, argumen. tex. capit. vltim. circa fi. de off. ord. in 6. capit. sancto, iun. glos. verb. morientium, de success. ab intest. Et siquidem constaret bona derelicta clerici fuis se quaesita ex redditibus Ecclesiae, eidem Ecclesiae omnia cedere de- bent parte sua data Episcopo. Si vero appareret demortuum etiam ex industria sua, vel ex patrimonio aliqua habuisse, diuiden- da essent derelicta in quatuor partes, quarum vna Episcopo, altera Ecclesiae, terria pauperibus, quarta cedat consanguineis; vel loci con suetudo, si quae fuerit circa talia, seruanda est. Host. in S. de succes. ab intestato num. 2.

Immo & de bonis laicorum decedentium sine testamento, posset deducere quartam Episcopus distribuendam ad opera pia, vbi ta- lis vigeret consuetudo; vt eam vigere in Regno Neap. testatur Ge- minen. in prax. cap. 96. & refert rescriptum à Sac. Conc. Episc. super huiusmodi dubio datum in haec verba.

Sacra Congregatio Illustriss. & Reuerendissim. D D. S. R. E. Cardi- nalium super negotiis, & consultationibus Episcoporum, & aliorũ Prae- latorum ac Visitationibus Apostolicis à S. D. N. specialiter deputatorũ, ad tollendas dubitationes, & controuersias quae pluribus in Dioecesibus Regni Neap. saepe acciderunt super consuetudine illa, qua solent Episcopi disponere de quarta bonorum mobilium decedentium ab intestato, facto prius verbo cum Sanctitate sua ita censuit, & declarauit, consuetudinem ante dictam vti laudabilem vbi viget, omnino retinendam fore, sic vero seruandam, vt ab ipsis locorum ordinariis non ad rigorem quartae debeat aestimari, sed vocatis haeredibus, certũ quid taxari arbitrio boni viri, per- sonarum conditione, ad haereditatis valorẽ, pauperisq; sit atque totum absque vlla diminutione pro suffragio animae defuncti de ipsorum haeredum consi- lio erogandum; quod si haeredes vel alii contradixerint, iuris remediis etiã per censuras in subsidium ab ordinariis compellantur, & quod erit dispo- situm super bonis haereditariis, appellatione remota exequantur.

Deducenda autem est quarta, deductis prius oneribus expeditio- nis familiae, solutionis debitorum, impensarum pro pompa funera- li, cit. c. vlt. §. porro de offic. ord. in 6. Lapus Gemin. ibid.

De oblationibus quoque factis Ecclesiis participare potest Epi- 6
scopus.

ſcopus.cap.conceſſo.12.quæſt.2.ſi nimirum ſit conſuetudo, & qui
37 dem illa quæ offeruntur dum ipſe Epiſcopus celebrat, in quacunq; Eccleſia, illi ſoli debentur. Hoſt.in ſumm.de Paroch. numer.2.Marian.Soc.de oblat.libro 18. quæſtio. fin. Regulariter autem Parochus habet intentionem fundatam de iure ſuper oblationibus quæ fiunt intra fines ipſius Parochiæ, vel quæ fiunt in benedictione nuptiarum, in purificationibus poſt partum, circa benedictiones in Paſchate, in adminiſtratione ſacramentorum, celebratione miſſarum, licet per alium hæc exerceantur non per ipſum parochum, per ſe enim facere videtur dum facit per alium. Reg. qui facit, de reg.iuris.in 6.& oblationes vel legata facta alicui capellæ in eccleſia exiſtenti, non capellano, ſed eccleſiæ, & Rectori debentur, niſi capella habeat bona diſtincta ab ipſa eccleſia, & appareat relictum eſſe intuitu ipſius capellæ non eccleſiæ. Felin. in capitulo dilectus, numero.2.& 3.de off.ordin.Socin.vbi ſupra.Genuen.cit. capitul. 72. vbi ſub numer.14.refert etiam fuiſſe deciſum in Rota Rom.an. 1585. 2.Decem.in vna Beneuentana, quod oblationes tempore Iubilæi factæ, ſpectabant ad Archipreſbiterum curæ animarum, & Sacramentorum in ea eccleſia adminiſtrationem habentem, & nõ ad Archiepiſcopum.

Reditus itaque & obuentiones prędictæ acquiruntur epiſcopo, & ipſe eſt eorum vſufructuarius in vita, illoſque poteſt in ſuos ſuorumque vſus neceſſarios inſumere, capitulo.ex his.12. quæſtion.1. Idque etiamſi eſſet diues ex patrimonio vel ex alijs honeſtè quæſitis bonis, illa enim cum ſuis fructibus, retinere poteſt pro ſuis conſanguineis, nec tenetur ex illis viuere, ſed ex bonis eccleſiæ; nemo enim proprijs ſtipendijs militare tenetur, capitulo.cum ſecundum de præben. Innoc.in cap.epiſcopus.ibidem.Dec.in capitulo. poſtulaſti, numer.8.de reſcript.Nauar.de redit.eccleſ.quæſt.1. num. 78. & quæſt.3.num.7.

Frugaliter tamen viuere debet & vti ſuppellectili modeſta.Concil.Trid.ſeſſ.25.cap. 1. de ref. viuere enim de altari non luxuriari conceſſum eſt clericis, 44.diſt.in princip.Seruata nimirum ratione qualitatis perſonæ, nobilitatis, gradus, & loci exigentiæ, aliquando enim aliquid ſufficit vni quod non ſufficeret alteri, ca.clericum. iu.gl.verb.neceſſitatem.21.q.1.Nau.cit.q.1.nu.92.

Poteſt & donare ex eiſdem eccleſiæ fructibus, moderatè tamen, amicis, vel familiaribus ſuis, intuitu obſequij vel beneficij ſibi ſeu eccleſiæ ſuæ præſtiti.c.adhęc.c.relatum, de teſtam.

38 Poteſt & intuitu vinculi ſanguinis donare cõſanguineis ſi egeãt,

ad

ad decentem eorum sustentationem, cap. non satis, cap. est probanda 86. distinct. considerata qualitate ipsorum quam acquirunt per promotionē ipsius prælati sui consanguinei, crescit enim ipsius promotione, illorum quoque dignitas, & in tali gradu, non sufficeret eis ad decentem sustentationem quod antea sufficere poterat. Nauar. loco. cit. nume. 66. Non tamen debet dari tantum, quo ditiores fiant. Conc. Trid. loc. cit.

Quod autem superest vltra decentem sustentationem, & necessitates suorum, tenetur erogare pauperibus. cap. quod autem, 23. quæstione 7. & pauperum nomine intelliguntur omnia opera pia. Nau. lo. cit. num. 9.

Testari autem de bonis ex reditibus Ecclesiasticis quæsitis de iure non potest, cap. cum in officijs, cap. ad hæc, de testamen. cap. Episcopi, 12. quæstione prima. Et quo ad hoc æquiparantur omnes beneficiati Ecclesiastici, tam maiores, quam minores, vt quando vnus prohibetur testari, neque alius possit, ita quod neque Papa testari consueuerit de reditibus sui Pontificatus. Nau. cit. quæstione prima, num. 27. & 73.

Relinquere tamen posset prælatus testamēto cui voluerit ex reddi tibus huiusmodi, tantum quantum ex suis proprijs seu patrimonialibus bonis contulit Ecclesiæ, vel in opera pia, capit. si quis. qualibet, 11. quæstione secunda, & cap. si Episcopus, ibid. quæstione quinta.

Posset testari, & de illis, quæ suo labore personalique opera lucratur, etiamsi ea quęsita sint per eos actus ad quos beneficium obligaret, vt si curatus lucretur aliquid extra prouentus certos sui beneficij ex recitatione missarum, exercitio capellaniæ, Vicariatus, ex administratione sacramentorum, vel concionando, vel ex legatis piorum, huiusmodi enim quęsita ęquiparantur patrimonialibus bonis, de quibus disponere libere possunt clerici æquè ac laici de suis, cap. Episcopi, 12. quæstio. 1. & cap. fixum, ib. quæst. 5. cap. quia nos, de testam. Innoc. ib.

Similiter, & de illis disponere posset, quę parcius viuendo superesse facit, de eo, quòd in honestam sui sustentationem impendere poterat. Nauar. lo. cit. num. 59. quantum autem requiratur ad sustentationem honestam, relinquitur arbitrio conscientię timoratę, vt idem. Nauar. loc. cit. quæstione secunda, num. 20. Regulariter autem in beneficio modici valoris, vt ducatorum triginta præsumitur nihil superesse vltra victū, & bona huiusmodi beneficiati censentur quęsita personali labore, ita vt de illis libere disponere etiam testa-

mento possit. vnde & Camera Apostolica in locis in quibus spolia morientium in mensibus reseruatis exigit,nō exigit quicquam spoliorum nomine ex bonis clericorum, qui dum viuerent non habuerunt beneficium Ecclesiasticum excedens in suis fructibus ducatos triginta annui valoris,vt ordinauit Pius V. in sua constitutione incip.Romani,an.1567.3. Kal. Septemb. verba illius constitutionis, quoad propositum nostrum sunt.

Decernimus,& declaramus,quod quacunque scamna, Cathedra,arca,& etiam lignea, vel lapidea, etiam marmorea mensa, & tabula ac quacunque dolia seu vasa vinaria, & alia similia suppellectilia domestica per quosuis presbyteros,seu clericos ab humanis pro tempore decedentes, tempore eorum obitus in Ecclesijs,seu eorum domibus Ecclesiarum earundem,vel alibi vbiuis locorum relicta, etiamsi ex fructibus,& prouentibus beneficiorum, qua dum viuerent obtinebant acquisita fuerint, sub spoliorum appellatione minimè veniant, nec pro spolijs ullo modo reputari possint, praterea, quod nullum spolium Camera prafata fieri, nec quicquam à quibusuis spoliorum Camera huiusmodi collectoribus, vel subcollectoribus exigi possit per obitum illius qui dum viueret, vnum vel plura beneficia Ecclesiastica obtinuerit, cuius vel quorum in simul fructus, reditus,& prouentus, triginta ducatorum auri de Camera secundum communem aestimationem, valorem annuum non excesserint, aut qui pensiones annuas super quibusuis fructibus Ecclesiasticis vsque ad dictum valorem annuatim perceperit, dummodo tamen is se ab omni illicita negotiatione,& à sacris Canonibus prohibita abstinuerit, &c.

Potest etiam testari de bonis ex redditibus Ecclesiasticis quęsitis,qui facultatem testandi obtinuerit à sede Apostolica, eam enim Papa concedere potest, & de facto sępè concedere solet. Nauarr. loc.cit. quęstione tertia, num.17. Staphil. de litt. in forma breuis, num.14.

Finaliter licitum est testari de reditibus huiusmodi Ecclesiasti-
40 cis,in locis in quibus talis vigeret consuetudo.Lapus,in cap.vltim. de offic.ord.in 6.Ioann.Monach.ib. Et huiusmodi consuetudinem vigere in pluribus locis Hispaniarū testatur,Couar.in c.cum in officijs, numero 8. de testam. Franc. sarmienta, de redit. Eccles.par. secunda, cap.6. Et licet, Nauar. solam consuetudinem testandi ad opera pia, admittat,loc.cit.quęstione tertia,numero 10. tamen, & aliam consuetudinem, testandi nimirum pro libitu etiam ad profana

sana, multis in locis seruari, & ab Ecclesia tolerari ad obuiandum scandalis, & litibus, quę exinde facilè oriri possent, fatetur in suo propug. Apolog. de redit. Eccles. num. 5.

Laus Deo Virginique Matri.

F I N I S.

INDEX RERVM
MAGIS NOTABILIVM.

A

Anni-

B

Bene-

C

Cleri-

D

De-

Inui-

Pa-

Synodo

FINIS.

Errores Corrigendi.

pag.12.verſ.12.intercurit.lege,intercurrit.
pag.23.verſ.11.priucipale.lege,principale.
pag.27.verſ.4.ordiantur.lege,ordinatur.
pag.28.verſ.11.citta.lege,citat.
pag.31.verſ.18.inceſtu.lege,inçeſtu.
pag.32.verſ.18.limitarto.lege,limitatio.
pag.60.verſ.28.occltum.lege,occultum.
pag.76.verſ.6.diuerſiate.lege,diuerſitate.
pag.85.verſ 5.ſaræ.lege,ſacræ.
pag.141.verſ.1.bactenus.lege,hactenus.
pa.143.poſt verſ.36.omiſſa.Et præcipuè videri debet,ſi caſus occurrens,arte vel naturali ratione euenire non potuerit,quod facile diiudicari poterit comparato caſu illo cũ veri miraculi natura,quod ſubito,& ĩ inſtanti fieri & ex omni parte perfectum eſſe debet, cap. ſunt plures. de pęnit.diſt.3.Turrecrem.ib.S.Thom.in 3.p.ſum.q.44. art.3.
pag.148.poſt verſ.23.omiſſa quæ ſequuntur. Et hoc idem declaratum fuiſſe à Clem. VIII.breui quodam directo ad Nuncium ſedis Apoſto.inferioris Germaniæ, de anno 1592.die 2.Septemb. refertur in Coll.priuil. Eman.Roder.pag.520.ſub nu.4.
pag.237.verſ.27.ſeruatis.lege,ſeruatis.
pag.250.verſ.14.Eccleſiæ.lege,Eccleſia.
pag.298.verſ.36. cſẽetur. lege,cenſetur.
pag.348.verſ.4.poſt verbum,ſeu certo.deſunt iſta,modo vacaturis, per nos & ſucceſſores noſtros,ac ſedem prædictam, etiam motu proprio, etiam
pag.258.verſ.39.mutusvè. lege,metusvè.
pag.379.verſ.29.nen.lęge,non.

DIRECTORIVM VISITATORVM, AC VISITANDORVM

CVM PRAXI, ET FORMVLA GENERALIS VISITATIONIS

Omnium, & quaruncumque Ecclesiarum Monasteriorum, Regularium, Monialium, piorum locorum, & personarum.

AVCTORE R. P. D. LVCA ANT: RESTA MESSAPIENSE EPISCOPO ANDRIEN.



SVPERIORVM PERMISSV.
Ac cum Priuilegio.

ROMÆ, Extypographia Guielmi Facciotti.
M. D. XCIII.

CLEMENS PAPA VIII.



D FVTVRAM REI MEMORIAM. Cum sicut accepimus. Venerabilis Frater Lucas Antonius Resta Episcopus Andriensis opus nuncupatum Directorium Visitatorum, & Visitandorum per decennium non sine magnis vigilijs composuerit, & ad publicam vtilitatem in lucem edere intendat. Nos eundem Lucam Antonium Episcopum specialibus fauoribus, & gratijs prosequi volentes, supplicationibusq. pro parte dicti Lucæ Antonij Episcopi nobis desuper humiliter porrectis inclinati omnibus, & singulis vtriusque sexus personis præsertim Bibliopolis, & librorum Impressoribus tam in Vrbe quam Reliquis Terris S. Rom. Eccl. mediatè, vel immediatè subiectis in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub quingentorum ducatorum auri Cameræ Apostolicæ applican. & Insuper amissionis librorum pœnis toties ipso facto, & absque vlla declaratione incurren. quoties contrafactum fuerit ne durante decennio proximo à die Impressionis operis huiusmodi computando sine expressa dicti Lucæ Antonii Episcopi voluntate, & licentia imprimere, seu ab ipso, vel alijs prætenquã de eius vt præfertur voluntate quæ ex litteris ipsius Lucæ Antonii Episcopi manu propria subscriptis cõstare debeant imprimere, vendere, seu venale habere aut proponere, vel illius exemplaria etiam manu scripta audeant, seu præsumant, etiam sub quacumque conditione, vel quouis prætextu præstita, vel mutuata ab alio quam ab ipso Luca Antonio Episcopo Apostolica auctoritate tenore præsentium districtius inhibemus. Mandantes vniuersis Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, eorũq. Vicarijs, seu Officialibus in Spiritualibus Generalibus, ac ipsius Almæ Vrbis, & Status Ecclesiastici huiusmodi Gubernatorib. vt quoties pro parte dicti Lucæ Antonii Episcopi fuerint requisiti vel eorum aliquis fuerit requisitus eidem Lucæ Antonio Episcopo in præmissis efficacis defensionis præsidio assisten. præmissa ad omnem illius requisitionem in nostris, & Sedis Apostolicæ Terris mediatè, vel immediatè subiectis contra Inobedientes, & rebelles per cen. Ecclesiasticas etiam illas sepius aggrauan. & per alia Iuris remedia dicta auctoritate exequantur inuocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio braechi secularis, irritumq. & inane si secus super his à quoque quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus non obstan. constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis Prouincialibusq. & sinodalibus specialibus, & Generalibus nec non etiam Iuramento confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & cõsuetudinibus Priuilegijs quoque indultis, & litteris Apostolicis sub quibuscumque teno. & formis etiam Motu Proprio vel aliàs in contrarium quomodolibet concessis. Quibus omnibus etiam si de illis eorum ten. ac si de verbo ad verbum insererentur per præsentibus pro suffi. expressi haben. hac vice dumtaxat specialiter, & expressè legitime derogamus, cæterisq. cõtrarijs quibuscumque. Volumus autem quod præsentium transumptis etiam impressis, ac manu alicuius Notarii publici, vel personæ in dig. Ecclesiastica constitute subscriptis aut Sigillo munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis originalibus adhiberet. si exhibitæ forent, vel ostensæ quodque vim validæ, & efficacis obtineant inhibitionis, & mandati. Datum Romæ apud S. Petrum sub Anulo Piscatoris die 3. Martij 1593. Pont. nostri. Anno secundo.

M. Vestrius Barbianus.


CARITAS

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO D. CLEMENTI VIII. PONT. OPT. MAX.

LVCAS ANTONIVS RESTA

EPISCOPVS ANDRIENSIS.

In iſta mira gubernandi vigilantia perpetuam perſeuerantiam, & felicitatem.



OLENT egregij Pictores, Pater Beatiſsime, ſi quando aliquid ab oculis remotius effingere volũt, illud colorum varietate exornant, quò illuſtrius appareat, neque ſpectantium oculos fallat tantum, ſed inſignem induſtriam, artiſque præſtantiam oſtendat. Hos ego imitatus, cum aſsiduo ſtudio, ac longo rerum vſu Viſitationis præcepta collegerim, & in vnum veluti corpus congeſta in lucem edere pro communi omnium vtilitate ſtatuerim, quod plerique omnes in ſuorum librorum nuncupationibus obſeruare ſolent vt Principis alicuius viri ſibi patrocinium comparent, id ipſum etiam mihi, quò meis hiſce lucubrationibus tantum ſplendoris, ac di-gnitatis

gnitatis

gnitatis accederet quantum nec exoptari, nec mente maius concipi possit, faciendum proposui. Quocirca te supremum Regum, ac Christiani orbis moderatorem in Patronum cui hæc dicarem, omnium quotquot sunt sinè controuersia maximum eligere volui. Idque eò libentius à me factum est, quantò in te maiorem ardorem in visitandis Ecclesiis adspicio. Quem enim mihi ne dicam Mæcenatem, sed Augustum contra maleuolorum tela, quorum studium in hoc potissimum consistit, vt omnibus detrahant, omnia carpant, ac nihil omninò comprobent, nisi tè vnum mihi diuinitus oblatum exoptassem cuius ope erigerer, gratia fouerer, ac summa denique auctoritate protegerer? Huc accedit incredibilis illa tua, ac penè diuina benignitas omnibus spectata, atque admirabilis virtus, quam altissima animi magnitudo, cælestis sapientia, ac in rebus agendis prudentia singularis: Qua summa virtutum coniunctione, vt alias, quæ innumeræ sunt, prætermittam, te omnes, qui turbulentissimis hisce, atque extremis penè temporibus opem feras, diuino consilio, quasi quoddam de cœlo repente delapsum numen, & iure quidem, arbitrantur; ac propterea vniuersus Christianus orbis ingenti gaudio perfunditur; quòd tantum Principem nactus, tranquillam se vitam ducere posse, aureaque illa sæcula priscis decantata temporibus iam aduenisse

se confidat. Quarum ego laudum magnitudine commotus, vt me quam maximè prædicationibus hisce delectari testatum relinquerem, & Sanctitatis tuæ studiosissimum me esse demostrarem, opusculum hoc in quo Visitationis peragendæ praxim paucis exposui, tibi dicandum curaui. Suscipe igitur hilari, ac leta fronte munusculum hoc, exiguum quidem, si ipsum per se spectemus, sed si largientis animus attendatur; magnum nec fortasse etiam inutile: Multa enim continet, quæ nec vulgò nota sunt, & Visitatoribus Episcopis præsertim Tyronibus, qui nunquàm aliàs visitationis sanctæ onus subiere, plurimum fructus allatura. Nam quicquid viginti nouem annorum spatio quibus diuersas Ecclesias rexi, vel legendo, vel agendo obseruare potui, id omne in vnum hoc opus contuli, idque non alia de causa, nisi, vt arduum, & immensum hoc Visitationis onus, quod Episcopis incumbit, aliqua in parte leuarem, ac facilius redderẽ. Quicquid autem vtilitatis ex his lucubrationibus, vel Visitatores, vel ij, qui visitandi erunt, percipient, id totum tibi acceptum referant, cui post sanctorum Pedum deósculationem, me, meaque omnia quàm possum humillimè commendo.

FABRI-

FABRITIVS
RESTA V. I. D.
MESAPIENSIS,

ILLVSTRIS. & REVERENDISS. D. Lucæ Antonij Restæ Episcopi Andriensis huius operis auctoris, ex Fratre Nepos.



CANDIDO LECTORI.



VI scientias, artesque primi adinuenere, multa hi quidem sunt digni laude, quippè qui oprimè de humani generis societate meriti fuerint, ac suis inuentis hominum vitam aut iuuerint, aut certè ornarint, cultioremque reddiderint; Sed non minorem laudem ij quoque mihi promeruisse videntur, qui ea, quæ ab alijs inuenta fuere, literarum monumentis commendarunt: vt scilicet hac ratione, & istorum nomina æternitate donarent, ac posterorum

vtilitati

vtilitati consulerent; ád quos procul dubio nihil eorum peruenisset, nisi scriptorum industria, solertiaque factum esset, vt quæ ab antiquis, vel inuenta subtiliter, vel preclarè acta fuere, literis, veluti æternis quibusdam monimentis expressa vsque ad hæc nostra tempora perpetua quadam serie deducerentur, nobisque innotescerent. Quis enim Græcorum inuenta nosset, à quibus scientiæ omnes, ac liberales disciplinæ emanarunt, nisi scriptores extitissent, qui ea ab iniuris temporis omnia consumentis, ac corrodentis vindicassent? Cui Romanorum, aut exterarum, ac barbararum gentium gesta cognita essent, nisi literis expressa legerentur? Non ne vnà cum iis eorum quoque memoria, ac gloria perijsset? Sed, vt hæc veluti parua omittam, & ad maiora transcendam, quis mundi originem, in qua tàm pueriliter Philosophi errarunt, quis bene, beatèque viuendi rationem, quis diuina præcepta, ac diuiui cultus rationem exactè tenere posset, nisi omnia in sacris literis descripta nobis innotuissent? proptereaque scriptoribus magnam esse habendam gratiam nemo negarit, quippè qui suis laboribus, & vigilijs, nostræ, ac omnium vtilitati consultum esse voluerunt, ac præclara aliorum inuenta, gestaque nobis insinuarunt. Quæ cum ita sint, cum nemo hucusque, quod sciam, Sanctæ Visitationis praxim. Ecclesiæ Dei ne dicam valde fructuosam, sed apprimè etiam necessariam, quam Sancti Patres innumeris laudibus celebrarunt, nobisque frequentissima admonitione commendarunt, & vniuersalium Conciliorum auctoritas, atqne decreta firmarunt, publicis li-


terarum monumentis tradiderit, quas gratias ne dicam referre, sed nec etiam agere, vel habere possumus Illustri admodum, ac Reuerendissimo Patri Domino Lucæ Antonio Restæ Andriensi dignissimo Episcopo, cui primum hoc in mentem venit, vt onus tàm arduum, tàm vtile, ac penè humanis humeris impar aggrederetur? Cœpit à principio vir insignis, & ad publicam natus vtilitatem, cogitare, si quod in ea re auxilium posteris ipse præstare posset, sed operis magnitudine deterrebatur. Postea id ipsum sæpius animo voluens, quò grauius videbatur onus, eò ad illud substinendum maiori cupiditate inflammabatur. Solent enim inuicti animi milites, quò plura in expugnandis Vrbibus pericula instant, eò vehementiori conatu illarum obsidionem aggredi, neque à bello, nisi victoriam obtinuerint, desistere. Qua de causa cum hanc animi sui propensionem postea grauissimis viris patefecisset, adeò ipsorum auctoritate, & exhortationibus fuit confirmatus, vt nullam moram ab opere inchoando interponendam duxerit. Inchoauit, aggressus est, perfecit omnia Visitationis peragendæ hinc inde collecta ad praxim accomodauit, ac multis tandem laboribus, sudoribusque perfunctus absoluit. Quod cum ab ijs, qui tùm Romæ, tùm alijs in locis rei huius notitiam habuerunt (fuerunt autem, plurimi) summopere laudari, & probari (& iure quidē suo) intelligeret; committendum non putauit, vt quod ad communem vsum collegerat, apud se perpetuò latitaret, sed omnibus numeris perfectum, atque absolutum opus typis mandandum decreuit. Qua in re quam prudenter

denter se gesserint, quis non animaduertat, cùm ex ipso opere tanta promanent commoda? Nam (vt alia prætermittã) Ego illius hisce præceptis (habebam enim ea ante oculos manu conscripta) multarum Ciuitatum, & nobilium Diœcesium iàm adolescens, visitationem perfeci, idq; vniuersum hisce scriptis, ac disciplinæ Patrui mei Amplissimi viri, ac prudentissimi Antistitis didici, eique omnia bona mea refero. Eia igitur, Candide Lector, lucubrationes istas, quas tibi Præsul Optimus largitur, alacriter perlege; nã quæ ipse diuturno studio, assiduaque exercitatione hinc inde sibi comparauit, nunc omnia in publicum exponit, tibique libenti animo gratis communicat, & vnius libelli lectione percipienda offert. Neque te importuna quorundam dicta permoueant, qui veluti Momi quidam, cum ipsi per inertiam viuant, ac nihil vmquàm vtilitatis hominibus afferant, alienis tamen laboribus detrahunt, & nodum (vt aiunt) in scyrpo quærunt. Quocirca illud te monitum velim, Auctorem nostrum in hoc opere compilando rerum potius, de quibus agebatur, quàm verborum rationem habuisse, nec in eligendis latinis vocibus elegantioribus multum operis posuisse, sed orationem, ac stylum ad omnium captum accommodasse: quin etiam crassioribus aliquando vocibus vsum fuisse, vel quòd ita res ipsa postulauerit, vel quòd, si elegantiæ Latini sermonis rationem habere voluisset, rem potius ipsam obscuriorem reddidisset, quàm ei lucis aliquid, ac decoris attulisset. Hoc volui nescius ne esses, ne postea criminare re. Vale, atque sic habeas, pium hunc Auctorem no-

** 2 strum,

ſtrum, ſi ſenſerit hoc ſuum laborem aliquid tibi (quod pro certo habet) vtilitatis attuliſſe, maiora ſe in poſterum curaturum, cum nihil antiquius ducat, quàm, vt omnem induſtriam, opes, auxilium, ingenium, vires, ſua denique omnia ad tuam conferat vtilitatem.

D. IOSEPHI TATOI ANDRIENSIS
DECASTICON.
Ad Lectorem.



VID quæris Lector cupidus voluendo libellos?
Forſan quid breuiter continet iſte liber?
Auctorem noſcas; Lucas Antonius ecce
Reſta tibi donat munera rara ſua.
Inuenies aurum ſolum, gemmasq. nitentes,
Et quidquid cunctis vtile adeſſe poteſt.
Eccleſiæ cultus quo debent Ordine, Sacri
Vt Canones fieri, ritè iubendo, volunt.
Ergo ne pigeat tantum ſumpſiſſe laborem,
Siq. leges crebro, maxima lucra feres.

PRÆSBI-

PRÆSBITER FRANCISCVS RITIVS

M E S A P I E N S I S.

Ad Lectorem.



Acris hisce studet dum chartis pascere lucas
Bonus, peritus, impiger,
Sacrarum custos ouiũ, pecudumq; Magister,
Et Patriæ decus inclytum,
Appula quem colit,& nunc peucetia Andria seruat,
Mentes piorum altaribus
Addictas, diuinos cultus, dogmata sancta
Distincta monstrat ordine
Miro; pastores sua quemque ad munera sacros,
Diuina sors quæ pręstitit,
Aduocat, & ita nunc tibi missa negotia curat,
Templum Dei sanctissimum
Collustrat, fruges flammarum, tum ordine longo
Inest quibusque maximus
Rex Deus humanos indutus corporis artus
Vtroque flexo poplite
Supplex intuitur sacras,veneratur,adorat,
Fontemque felicissimis
Qui alluit vndis conceptus ab origine prima
Labes, recludit arculam,
Sancto quæ seruat,conformat, roborat, atque
Cunctos oliuo; & vrceos,
Acerram ex auro vestes, & vascula condum
Seruare mandat, lampades
Perpetuo accendi vulcano, & thura sacellis
Cremari, & quàm plurima
Præcipit aulæis ornare, ostroq, superbo
Marmora, choroq; cantarier

Dulciter

Dulciter hymnos, rectè diuinam fieri rem
Ab omnibus; castos vti,
Atque pios decet vnctos, sanctosq; Ministros;
Sed hinc repellit sanguine
Fœdatas palmas, scorto, turpiq; rapina,
Hinc ebrios, hinc sordidos,
Ignaros, Sanctarum Christi denique legum,
Rudeis; prorsus pectora
Tùm purgat vitijs, & ritus damnat iniquos,
Dignasque pœnas improbis
Statuit; infandas artes, & sacra Deorum
Nefasta Bacchi dimouet
Orgia, clamores turpeis, cantusq; profanos:
Despecta Iura vindicat
Sacrorum, sæuus polluta denique sancta
Pictas tabellas Cælitum
Fœdas, signaq; fracta, & diruta templa Deorum
Nouat, paratque, & adijcit
Multaq; præterea, quę iam scripsere priores
Heroes illi, lumina
Ecclesiæ, proceres casti, summiq; Ministri
Sancto repleti spiritu.
Candide Lector, quisquis es, ergo fronte serena
Oblata dona suscipe,
Atque æquius lege, perlege semper; namq; legendo
Fies sacerdos optimus,
Et custos dignus gregis, qui præsis ouili
Cœlestium sanctissimi.

PRÆFA-

PRAEFATIO.



RACTATVM hunc nostrum de Visitatione duabus partibus principalibus absoluimus, in quarum prima de generali Ecclesiæ Cathedralis, ac aliarum Ecclesiarum, Monasteriorum, Hospitalium, ac piorum quorumcumque locorum in Ciuitate existentium visitatione tractamus, omnia sigillatim adnotantes, quæ quouis modo huiusmodi Cathedralis, ac reliquarum Ecclesiarum Visitationi accommodata sunt, aut quauis ratione ad illam pertinent. Interrogationes etiam quasdam singulis rebus visitandis aptas adiunximus, quibus Visitatio à quolibet mediocriter erudito nullo negotio peragi poterit: atque hæc omnia ita ad praxim redegimus, vt tam Visitatoribus, quàm ijs, qui visitandi sunt, mirum in modum inseruiant. Idem etiam præstitimus in Monasteriorum visitatione, in qua docuimus, non solùm qua ratione sint visitanda, sed etiam regenda, gubernandaq; Monasteria monialium, prætereaq; de particulari eorum visitatione adnotatur. Constitutiones etiam quasdã inseruimus, quas monialibus Sancti Benedicti, cum nouũ illarum Monasterium in Ciuitate Andriẽsi institutum sit, inuiolabiliter obseruandas præscripsimus, quę Visitatoribus non inutilia erunt; si quando, pro huiusmodi Monasteriorum bono regimine, aliquid in Visitatione decernendum, constituendumve erit. In secunda autem parte de Diœcesis Visitatione disseruimus, ac formam praximque quomodo Diœcesis sit visitanda, præscripsimus; habita interim locorum, temporum, ac rei ipsius ratione: qua quidem visitandi forma, & praxi visitator vti poterit, nisi eam malit sequi methodum, quam in priori parte tradidimus. Adiunximus etiam rationem, & formam visitandi

varia,

varia, & diuersa hominum genera, cum solutione, ac declaratione multarum dubitationum, quæ in illa occurrere possent. Si quid autem occurret, quod non ita plenè in prima parte tractatum fuerit, plenior illius cognitio ex secunda parte petenda erit, ac contra, si quid in secunda parte desiderari contigerit, id vberius, ac plenius discussum in prima parte reperietur: ita enim omnia digesta sunt, vt sibi inuicem inseruiant, ac ordine quodam sibi mutuò correspondeant; quod eo consilio factum est, vt intelligant omnes vnum esse debere Visitationis sanctę scopum; vt scilicet vitia tollat, virtutes corroboret, diuinum cultum augeat, ac quidquid abusus, vel superstitionis irrepserit in Ecclesiam Dei, radicitus extirpet, & euellat. Quę omnia, & plura etiam, librum ipsum legendo, reperire quiuis poterit. Nos enim contenti hęc pauca veluti capita quędam principalia attigisse, ne tempus frustra teramus, ad rem ipsam pertractandam iam accedamus, hinc exordium sumentes.



DIRECTORII
VISITATORVM, AC VISITANDORVM,

Cum Formula, ac Praxi Generalis Visitationis, Reuerendissimi Patris

D. LVCÆ ANTONII RESTÆ, Episcopi Andriensis,

PARS PRIMA.
In qua tractatur

De Visitatione Ecclesiæ Cathedralis, & aliarum Ecclesiarum, Monasteriorum, piorumq. locorum, ac personarum omnium in Ciuitate existentium.

Visitationis onus cui potissimum incumbat; quantumq. eius auctoritas extendatur, ac facultas; & quanto temporis interuallo sit innouanda. Cap. I.



SATIS constat, clarumq. ac perspicuum apud omnes est, Episcopos Apostolorum successores,[a] ac suarum Ecclesiarũ sponsos, esse à Spiritu Sancto positos ad regẽdam, ac gubernandã Sanctam Iesu Christi Ecclesiam, quam proprio sanguine, & acquisiuit, & sanctificauit; eamq. ipsi tueri, ac defendere debent, non solum ab hostibus visibilibus, qui corporeis oculis conspiciuntur, ac ab omni exteriori damno immunem prorsus reddere, ac conseruare; sed multo magis illis in eo elaborandum est, vt

a Cõc Trid. sess. 23. c. 4.

commiſſum ſibi gregem interna animi imminentia pericula cauere, ac inuiſibiles, atque ob id horribiliores hoſtes. i. dæmones propulſare, ac fugare doceant, qui omnibus ſuis artibus Christi oues perimere, ac doloſe ad æterna ſupplicia perducere conantur, ſanctamq. Ieſu Christi Eccleſiam, omni ſuo ſtudio, & conatu labefactare ſtudent. Ad quorum reprimendam audaciam, & infringendos conatus Epiſcopi Diuina prouidentia poſiti ſunt, qui tamquã vigilantes Paſtores gregem Domini cuſtodirent, ac truculentam ſæuiſſimorum luporum, id eſt dæmonum rabiem longius ab eo propulſarent, quo facilius Christi oues, quas proprio ſanguine redemit, ſub fideli illorum cuſtodia tutiorem vitam viuere poſſent. Quemadmodum igitur Paſtores ſæpius gregem ſuum inuiſunt, luſtrant, numerant, ne quid eorum incuria pereat; ita Epiſcopi nulla ratione facilius commiſſi ſibi gregis ſaluti, ac incolumitati conſulent, quàm ſi ſæpius eum inuiſant, ac luſtrent, ac quicquid mali furtim dæmonum arte irrepſerit, radicitus extirpandum curauerint.

Ex quibus omnibus perſpicuum, clarumq. relinquitur, Epiſcopis præcipue Viſitationis onus incumbere. Ita enim & [a] S. Patres communi conſenſu ſtatuerunt, & Conciliorum auctoritas confirmauit. itaq. hanc viſitationem per ſe ipſos perſonaliter obire tenentur, niſi legitimo aliquo impedimento detineantur, quo minus id præſtare poſſint; debentq. non ſolum omnes Eccleſias, & Monaſteria, ſed & alia loca ſacra, quæ in ſua Diœc. erunt, & ſibi ſubiecta viſitare: quæ quidem facultas Epiſcopis tamquam Sedis Apoſtolicæ delegatis à Sacro ſancto Trid. Conc. [b] tribuitur. Tenentur pariter Epiſcopi Hoſpitalia, Confraternitates, & collegia laicorum, non obſtante quauis exemptione, & immunitate, viſitare: idq. tamquam Sedis Apoſtolicæ delegati præſtare poſſunt. quæ facultas etiam extenditur ad Eccleſias, quæ nullius Diœc. ſunt, vt ſacri Concilij Trid. decreto [c] ſancitum eſt. quod tamen ita intelligendum erit, vt ſcilicet illarum Eccleſiarum viſitatio, quæ nullius ſunt Diœc. ad viciniorem ſpectet Epiſcopum; Monaſteria idẽtidem monialium, quę immediate Sedi Apoſtolicæ ſunt ſubiecta, ab Ordinarijs ſuis, tamquam Sedis Apoſtolicæ delegatis, viſitari, moderari, ac gubernari debent. quod aperte eiuſdem Concilij Triden. auctoritate [d] confirmatum eſt. Tenentur etiam Epiſcopi loca, & perſonas exemptas, ac ſingulari aliquo priuilegio quouis modo decoratas, extraordinaria eorum auctoritate, ac iuriſdictione, qua tamquam Sedis Apoſtolicæ delegati funguntur, viſitare. Ex quibus omnibus colligitur, Epiſcopos poſſe omnes delinquentes in caſibus, quorum cognitio ad ipſos ſpectat, non ſolum regere, ac moderari tamquam optimos parentes, ſed etiam tamquam Iudices debitas pœnas

nas

a Ca. relat. c. decreuimus. c. Epiſcopatus c. placuit. 10. q. 1. c. cũ venerabilis decens. exactio, & proc. Conc. Trid. ſeſs. 7. c. 8. de refor. & ſeſs. 24. c. 3

b Seſ. 7. c. 8. de refor. & ſeſs. 21. c. 8. de refor.

c Seſs. 24. c. 9. de refor.

d Seſs. 25. c. 9. de refor.

nas infligendo in contumaces,& rebelles, procedere ac reprimere, nō obstāte quauis appellatione [a] vel inhibitione; &,vt summatim dicam, quicquid visitationem morū,ac vitę correctionē,& formationem concernit, Episcopi in sua Diœcesi exercere, ac exequi possunt, & debent; iuxta S. C. T. decreta. [b] Sunt enim Episcopi, Summi Pontificis coadiutores,ad Pastoralis officij dignitatem, & curæ partem in illis partibus, quibus præsunt, vocati. Et, licet Episcopis ob summam auctoritatem quam habent in suis Diœcesibus hoc munus i. visitatio commissarum sibi ouium propria sit, sunt tamen nonnulli Archidiaconi, [c] Decani, & alij inferiores Prælati, qui particulā aliquam Diœc. tamquam Episcoporum coadiutores eadem auctoritate,qua Episcopi ipsi,visitare possunt. in qua tamen re Episcopi negligentius agere non debent, nec quicquam de Pastorali sua cura remittere, sed omnem suam curam, operam, studium, & diligentiam in eo ponere debent, vt Archidiaconi, Decani,& Prælati huiusmodi, ac inferiores Prælati hoc Visitationis onus personaliter præstent,nec à Sacrosancti Concilij Tridentini decretis, [d] ne latum quidem vnguem recedant. Quantum vero temporis spatium debeat Episcopus in huiusmodi visitationibus interponere, satis liquido constat ex sanctorum Patrum, & Concilij auctoritatibus, singulis annis id ab vno quoque Episcopo in sua Diœcesi esse præstandum. Tenentur enim Episcopi sæpius omnem suam Diœcesim perlustrare,ac inuisere,ac bonos Pastores, quorum nomine censentur, imitari, vt commissum sibi gregem in caulam Domini incolumem, sine vllo detrimento, quoad eius fieri poterit, perducere possint,memores,dæmones, tamquam latrunculos quosdam iter obsidentes,ouium Domini saluti insidiari,vt, si à recta via paulisper declinantes offenderint, mactare, ac perdere possint. In quo si pastorum diligentia defuerit, ouium suarum sanguinem ex eorum manibus Dominus se requisiturum minatus est. [e] Quod si Diœcesis adeo ampla sit, vt vnius anni spatio commode lustrari, ac circui per Ordinarium non possit; vel adeo angusta, vt vnius Episcopatus nomine, vna tantum ciuitas censeatur; quod in Apulia Peucetia multis in locis videre licet, vt noster Andriensis, & etiam Bitontinen. Molfecten. Vigilien. Ruben. Iuuenatien. Vitecten. Menerbinen. & multi alij; tunc Episcopus singulis duobus annis saltem debet Visitationis munus obire, nisi forte aliquid noui acciderit, quod nullam temporis dilationem patiatur, sed statim Episcopus emergenti aliquo magno incommodo occurrere debeat: tunc enim non solum bis, sed ter, quaterq. & pluries visitare poterit, prout ei magis expedire videbitur.

a Sac. Conc Trid sess. 22 c. 1.& sess. 24 c. 10. de reformat.

b Ses. 24. c. 10 de reformat.

c Cap. mādamus de offic. Archidiac.

d Sess. 24. c. 3. de reform.

e Ezechiel. c. 3. & c. 33.

Quomodo sit publicanda visitatio, vt subditi se ad eam recipiendam præparare possint; tum inibi de generali edicto ab Episcopo proponendo, & explicando. Cap. II.



VM in superioribus satis demonstratum fuerit, hoc Visitationis munus ad Episcopos pertinere, nunc operę pretium erit methodum tradere, qua, & Visitatores, & ij, qui visitari debent; facilius suo munere fungi possint. Et quoniã non conuenit tantã rẽ negligenter, nec repentine, & inopinate agere; monebunt Episcopi Ciuitatis, ac Diœc. suæ incolas, tam clericos, quàm sæculares, multis diebus ante, congruo assignato termino, ac generali præposito edicto, quod in sua Cathedrali Ecclesia, vbi populus frequens ad audienda sacra congregari solet, inter Missarum sollemnia publice legendum, ac deinde ad valuas eiusdem Cathedralis Ecclesiæ, ac locis publicis Ciuitatis affigendum curabunt, cum volent visitandi initium facere: vt subditi omnes, tam sacris ordinibus initiati, quàm clerici, & laici, commode se ad visitationem ipsam recipiendam tam in Ecclesijs, cappellis, beneficijs, monasterijs, hospitalibus, confraternitatibus, & locis pijs, quàm in personis suis proprijs, præparare possint, ac nouerint. Et, quoniam Opusculum hoc est veluti praxis quædam, & norma huiusce rei, non grauabor edicti ab Episcopo publicandi formam subijcere, qua vti poterit, mutando, vel addendo, minuendove, prout loci, temporis, ac rei opportunitas postulare videbitur.

Antequam igitur Episcopus visitare incipiat, poterit edictum, huius, qui sequitur, tenoris, ac formę proponere.

Lucas Antonius Resta, Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Andriensis.

INTER cætera Pastoris officia, quibus assidue ad custodiam commissi sibi gregis inuigilare debet, ac in eo tutando sedulam operam nauare; præcipuum esse Visitationis sanctæ munus, ijs omnibus facile innotescet, qui magnos, qui inde sequuntur, fructus secum considerauerint, ac reputauerint. sancta enim, & salubris est visitatio in Ecclesia

Ecclesia Dei, plurimumq. conducit, cum ad ipsius Dei cultum conseruandum, augendumque, tum ad morum correctionem,& emendationem vitæ subditorum: atque ita prorsus cum Pastoralis officij ratione visitationis onus annexum est, vt & per sacrorum Canonum iura,& Conciliorum decreta prætermitti ab Episcopis,neque possit, neque debeat, sine graui eorum culpa, ac insigni Christianæ Reipublicæ damno. Nos igitur, hoc nobis iniunctum munus, omni qua maxima possumus diligentia, Deo adiuuante, aggredi, atque perficere cupientes, perutile fore existimauimus,omnibus, & singulis curæ, ac iurisdictioni nostræ commissis, cæterisq. quorum id interest, hoc significare, ac ad omnium notitiam per has nostras deducere, nos scilicet nostra ordinaria auctoritate accurate visitaturos omnes, & singulas has Andrienses Ecclesias, & eius Diœc. & primo nostram Cathedralem Andriensem, nec non collegiatas in eadem ciuitate existentes; Item Capitula, tum personas Ecclesiasticas, ac eas, quibus animarum cura commissa est; quæ ve ipsi Andriensi, ac collegiatis, alijsve Ecclesijs, collegijs, aut pijs quibuscunque locis annexa quouis modo fuerint Monasteria, item quæ commendata sunt; Abbatias, Prioratus, siue Præposituras, vel quouis alio modo nuncupatas, in quibus non viget regularis obseruantia; cætera quoque beneficia curata, ac non curata, simplicia, sæcularia, regularia, quouis modo commendata, etiam si exempta sint; Ecclesias item qualcumque, quauis ratione exemptas, quæve in nullius Diœcesi sunt, quibus Cathedralis nostra propior fuerit, quàm alia Cathedralis Ecclesia; omnes denique Ecclesias non curatas, cappellas, oratoria, altaria, hospitalia, collegia, quascumque confraternitates laicorum, montes pietatis, piaq. loca omnia, quamuis exempta sint, etiam ad laicorum administrationem pertinentia; Moniales etiam, quæ nobis, vel etiam Sanctæ Sedi Apostolicæ immediate subiectæ sunt; Monialium item quarumcumque clausuram; Monasteria insuper, in quibus cura exercetur animarum; personarum vero sæcularium congregationes in ijs, quæ ad sacramētorum administrationem pertinent; omnes denique, & quascumque sæculares personas Ecclesiasticas, etiam exemptas, & regulares, extra Monasterium vitam agentes. Hæc omnia (inquam) & singula diligentissime visitabimus: &, ne quemquam imparatum reperiamus, neve quis ignorantiæ clypeo se munire, ac tutari possit, rationi consonum esse duximus, hoc nostro publico promulgato edicto, omnes, & singulos certiores facere, atque hanc animi nostri sententiam omnibus intimare. Nouèritis igitur nos die decimo sexto mensis Iunij visitandi initium facere velle,eo animo,eoque consilio,vt,quantum in nobis est, Diuina benignitate adiuti,omni diligentia,sollicitudineq, & pieta-

& pietatis, ac pastoralis officij studio ijs potissimum incumbamus, ac sedulam nostram operam nauemus, quæ ad cultus Diuini rationem, animarumq. salutem, & ad Ecclesiarum statum, Christianamq. morum institutionem, nec non ad cleri, ac fidelis populi vitæ, morum, atque officij disciplinam spectare iudicabimus. Quare monemus, & hortamur omnes & singulos, ad quos earum Ecclesiarum, Monasteriorum, & piorum locorum, quæ diximus, cura, vel gubernatio, vel administratio, vel Missarum, ac diuinorum officiorum, quæ in ijs præstanda sunt, celebratio, aliorumve munerum functio pertinet, vt, quo die singulas illas Ecclesias, locaq. visitabimus, proferant, ac ostendant nobis, vel ei, cui tale munus delegabimus, vel Cancellario nostro, cuius opera in hoc visitationis munere vtemur, suorum omnium beneficiorum, & sacrorum ordinum titulos, & Ecclesiarum, capitulorumve statuta, constitutiones, ac obligationum onera, quæ eis imposita sunt; Indicem præterea libellum, siue inuentarium bonorum omnium, mobilium, & immobilium, & scripturarum capituli, quæ in Archiuio conseruantur; atque eas res omnes exhibeant, ostendantq. quæ ad Ecclesiæ, aut pij illius loci cultum, apparatum, & ornatum pertinent. Si quis autem cuiusuis ordinis, aut dignitatis sit, aliqua in medium afferre voluerit, quæ ad Dei laudem, & Ecclesiarum commodum, & animarum salutem esse putauerit, eum hortamur in Domino, vt omnia ea nobis, vel sermone, vel scripto patefaciat, ac insinuet. Et, quoniam ab ijs, quæ alijs præstant, initium sumi decet; primum Cathedralem nostram Andrien. Ecclesiam visitabimus; ad alias deinde Ecclesias, & loca, quæ diximus, progrediemur, ea seruata ordinis ratione, quę ad eam rem bene gerendam, magis expedire nobis videbitur. Itaque monemus, pręcipimus, atque citamus capitulum Cathedralis nostrę Ecclesię Andrien. eiusq. Archidiaconum, Archipresbyterum, N. N. N. N. N. N. N. N. cęterosq. omnes Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos, ac clericos in minoribus constitutos, cappellanos, & beneficiatos quoscumque, qui in ijs Ecclesijs quouis modo ministrant, & ministrare, & seruire debent, vt dicto pręfixo die 16. pręfati mensis summo mane omnes ad visitationem conueniant; ac sui quisque beneficij, quod in ea Ecclesia obtinet, titulos, dispensationem, statuta, constitutiones, ordines, obligationum onera nobis (vt supra diximus) exhibeat; in eaque visitatione, quam statuto iam die aggrediemur, etiam si non eo ipso die absoluere poterimus, tamdiu adesse pergat, quoad, omnibus ijs, quę ad eam pertinent, quęq. nos necessaria, & opportuna censuerimus, perfectis, illam omnino absoluerimus. Et, vt hæ nostrę litteræ, notarij nostri manu scriptę, ac manu, & sigillo nostris signatę, quas edicti publici vim, ac robur habere decernimus, omnibus

bus ijs,quibus prędiximus, ac alijs, quorum id intereſt, & in poſterum quauis ratione intererit, notę, ac manifeſtę, plane eſſe poſſint, volumus eiuſdem noſtrę Cathedralis Andrienſis Eccleſię, & aliarum huius ciuitatis Eccleſiarum, quę collegiatę ſunt, ac Monaſteriorum valuis affigi,ac ibidem relinqui; eosq. omnes, quos diximus,eiuſdem litterarum vigore ſic affixarum, ita teneri, ac ſi ipſi illi perſonaliter moniti, & requiſiti,ac citati fuiſſent. Mandantes propterea Sacriſtis harum noſtrarum Eccleſiarum, ut, poſtquam in ijſdem Eccleſijs preſentes publicatę fuerint, in ualuis eas affigant, & refigant, cum relatione in calce earum: quibus plena fides adhibeatur. Datum in noſtro Epiſcopali Palatio Andrien. die N. Menſis N. Anno N. Pontificatus S. D.N. D. N. Anno N. Præſulatus uero noſtri, Anno N. feliciter. Amen. Alia etiā forma edicti uti Viſitator poterit,prout ipſi melius uidebitur.

Quid dandum, quidve poſtulandum ſit pro Viſitatoris victu. Cap. III.



EAM eſſe humani ingenij imbecillitatem, ut nihil boni per ſe cogitare, aut cupere, ne dum exequi queat, niſi omnipotentis Dei auxilio, ac Sancti Spiritus ope corroboretur, ſatis patet ex verbis D. Ioannis Euangeliſtę,apud quem ita Chriſtus Dominus loquitur: [a] Sine me nihil poteſtis facere. Cui non diſſimile eſt, quod Apoſtolus, Sancti Spiritus tuba, fidelium auribus intonat: [b] Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis,quaſi ex nobis,ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. A quo etiam non diſcrepat, quod idem Apoſtolus alibi dicit: [c] Deus eſt qui operatur in nobis velle, & perficere. Cum igitur homo neque ſe ipſum regere, neque quicquā, quod Deo gratum ſit, efficere poſſit Diuina deſtitutus gratia, & niſi Sancti Spiritus internis vocibus excitetur, ac eiuſdem ductu dirigatur, multo minus ſine huiuſmodi donis, ac gratijs alios regere,ac Diuinam eis gratiam comparare poterit. Quapropter Epiſcopus, & quicunque alius viſitator, omni cordis affectu, ac pijs precibus debet in primis omnipotentis Dei miſericordiæ fores adire,ac gregem ſibi commiſſum cum lacrymis,& orationibus Creatori ſuo humiliter commēdare;&, quo magis oues ſuas reformatione indigere, & ſe imbecilliorem ad tantum onus ſubeundum videbit, eo maiore charitatis ardore poſtulabit Ieſum Chriſtū, gratiarum [d] vberrimum

[a] In Euangel. cap. 13.
[b] 2. ad Cor. cap. 3.
[c] Ad Philipp. cap. 2.
[d] Ca. reuertimini. 16. q. 1.

rimum fontem, & totius pietatis patrem assidue exorando, vt Sancti Spiritus igne, qui ardet, nec consumit, populi sibi commissi corda inflammare dignetur, ouesq. sibi creditas à graui somno, à quo pigritantes obruuntur, ad sui ipsius cognitionem excitare velit; vt intimo cordis affectu, ad Dominum conuerti possint, & ab eo seruari mereantur, ac donis ęternæ patriæ munerari; deinde perfecta charitate instructus, quæ à se ipso incipit, [a] studebit Præsul, se ipsum omnibus, & sanctę conuersationis, & morum suauitatis exemplar, & specimen, iuxta sacro Sancti Concilij Tridentini [b] decreta, præbere. Hinc postea Visitationis munus aggressus statim in principio populis visitandis, & verbis persuadeat, & re ipsa comprobabit, se in eo nihil aliud, quàm ouium Domini salutem quærere; semperq. errantium emendationi, & peccantium conuersioni, operam suam nauiter impendet, eosque veluti optimus parens, omni humanitatis genere prosequetur, benigne excipiendo, ac salubribus exhortationibus semper cum eis agendo; vt à via sua praua conuertantur ad Dominum; cauebitq. interim, ne cuiquam ansam præbeat, auaritiæ eum, à studijs propriæ vtilitatis, ac commodi, insimulandi; declarando, nihil omnino Pręlato suam Cathedralem Ecclesiam visitanti pro alimentis deberi, sed tantum cũ extra Vrbis mœnia egredietur, ac ruralem visitationem peraget. quod nos ad vnguem obseruauimus in tribus Ecclesijs, quas reximus, ac visitauimus, Castren. scilicet, Nicotoren & Andrien. cui nunc pręsumus. Quapropter non grauabor adnotare breuiter, quid Pręlato suam Diœcesim visitanti, siue eius Vicario, pro alimentis competat, quid parandum, quidve exhibendum ei à subditis pro huiusmodi necessitate victus sit, ac ijs, quos secum ducet, durante Visitationis tempore. nam, vt ex Sancto Iesu Christi [c] Domini nostri Euãgelio elicitur, Dignus est operarius mercede sua. Cui quoque non dissimile est, quod Apostolus dicit: Si nos vobis spiritualia seminamus, magnum est, si & nos carnalia vestra metamus. quod etiam sacrorum [d] Canonum auctoritate satis confirmatum est. Animaduertat tamen Visitator, vt, quę sibi, ac ijs, qui cum eo sunt, ad victum sunt necessaria, ita exigat, vt nulli omnino sit molestus, nec aliquod inde scandalum oriatur, sed cum omnibus humanè, ac humiliter aget, seq. omnibus gratum esse satagat, Sanctum Apostolum in hoc imitatus, qui & in Epistolis suis, [e] & in Actibus [f] Apostolorum, id egisse legitur; tanta denique tam ipse, quàm familiares eius, vti debet modestia, ac eum decet hac in re adhibere modum; vt, quod ipsis ad victum tribuitur, in Ecclesiarum, ac earundem Rectorum damnum non transeat. huic enim incommodo sacrorum [g] Canonum auctoritas prouidit; sed vt cętera omnia ea ratione, potissimum hac animi moderatione vtendum esse Pręlatus visitans sibi persua-

[a] c. sane, cum seq. de pæni. dist. 3.
[b] c. 3. sess. 24.
[c] Matth. 10. Luc. 10. Prima ad Cor. c. 9.
[d] c. venerabili, & c. procu. de cens. & c. exigit. eod. tit. lib. 6. c. si Episcopus de off. ord. lib. 6. c. cũ ex off. de præscript. cũ alijs.
[e] Prima ad Cor. c. q. 2. ad Thessaloni censes c. 3. ad Philip. ca. 4.
[f] Cap. 20.
[g] Cauendũ, & relatũ 10. q. 111. c. cũ Apostolus cum instantia de cens. c. cõquerenti de off. ord.

persuadebit, ne videatur velle opus tam laudabile, ac sanctum, quod pie ad omnipotentis Dei gloriam, & honorem institutum est, ad lucri cupiditatem, ac propriam vtilitatem, contra sanctorum [a] Patrum placita detorquere. Immo studeat potius omnibus, & verbis, quoad eius fieri poterit, persuadere, ac re ipsa comprobare, se eo venisse, vt tamquam bonus pastor, ac parens, [b] eos omnes cōsoletur, ac ex miserijs, & calamitatibus, in quibus sunt, eruat. Cauebit autem in primis, ne quod munus, licet minimum, aut ipse aut familiares eius à populis visitandis, quouis quæsito colore, accipiant; præterea, quę ad victum sunt necessaria; idq. non tam, ne in pœnas, ac censuras à sacris Canonibus, & Sacra Tridētina [c] Synodo statutas incurrat, quàm, vt, ne dignitati suæ detrahere videatur. nihil enim magis iudicem decet, quàm se æquum, ac rectum omnibus præbere, ac in obeundo munere suo, miram quandā, ac excellentem animi magnitudinem, ac liberalitatem præseferre. satis enim persuasum est omnibus, ac clarum, Iudicem, munera oblata non recusantem, maximam, ac turpem dignitati suæ notam afferre. cumq. omnibus id cauendum sit, ijs tamen præcipue fugiendum est, quorum studium totum in dirigendis mortalibus ad Christianæ vitę normam, ac exemplum versatur. Nam (vt cętera omittam) quis nō videt muneribus prœliantem hominem, sępius, aut ingrati, aut iniusti notam subire; dum, qui munera dederunt, omnia sibi, & æqua, & iniqua deberi contendunt, ac oblatis muneribus Iudicem se corrupisse sibi persuadent? Recte igitur, ac sapienter dixit Salomon: [d] Victoriam, & honorem quærere eum, qui dat munera. Cui non dissimile est, quod Moises dixit: Munera excæcant oculos sapientis. Cui etiam illud Isaiæ adstipulatur: Beatus qui excutit manus suas ab omni munere. Et Dauid: [e] Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram, & munera super innocētem non accepit. Et alibi, loquens de ijs, qui in domo Dei habitaturi sunt, inquit: Innocens manibus, & mundo corde, &c. Quapropter, si Prælatus, siue Visitator, patiens, ac Christiana charitate, quæ per dilectionem operatur, erit incensus, &, quos secum ad hoc munus peragendum ducet, si similes [f] sibi in moribus, ac vita honesta esse studebit, ac satager; placeret illud, vt, quę pro victus sui subministratione à populis visitandis ei tribuenda sunt, in tot terræ frugibus [g] potius, siue rebus alijs (vt fert anni tempus) exhibenda curaret, quàm, vt pro ijs aliquam pecuniarū [h] summam acciperet. ita enim omnis accipiendorum munerum occasio tolleretur, idq magis extrauaganti illi Benedicti, quæ incipit, Vas electionis, [i] consonum erit. Atque hoc diligentius erit obseruandum, si Episcopus per se visitationem non perager, sed per Vicarium suum, siue per alium substitutum. quo casu nihil ei pro alimentis competere [k] sciat, nec quauis alia ratione, sed tan-

a c. infrangibili de off. ord.

b c. cum Apostolus de cēs.

c c. 3. sess. 24.

d in lib. Prouerb. 3.

e Psal. 23.

f c. cum Apostolus decens lib. 6.

g c Romana.

c. exigit decens. in 6.

h c. felici ibid.

i decens. exactio, & proc.

k c. cum venerabilis, & c. procurationes de cens. in 6.

tum ei victus exhibendus est, qui personaliter eius vice Diœcesim inuiset, cui ad victum necessaria Ecclesiæ, & populi, quos visitabit, subministrare debent: in reliquis Prælatus, qui committet ei, prouidebit,[a] pro vt inter se conuenerint. Atque hanc alimentorum, ac victus subministrationem debet Visitator ita accipere, vt gratiose à visitandis exhibitam, & ad declarandam filialem obedientiam, non autem loco mercedis, ac præmij, ac veluti finem suorum laborum. nam (vt testatur Apostolus)[b] non est prędicandum, vt comedamus, sed comedendum, vt prędicare possimus. Qua in re semper Prelatus visitās prę oculis habeat, quid Sacro Sancta Tridētina[c] Synodus statuerit. Satiusq. ac longe melius esset, ad vitanda scandala, & ad tollendas errorum causas, vt omnia gratis, & sine vlla mercede fierent, nisi tanta esset Episcopi paupertas, & inopia, vt hunc laborem visitandi absque aliquo subsidio sumere non posset. Verum enimuero, quoniam subditi, plerumq. se emendari, ac corrigi nolunt, idq. quantum in ipsis est, euitare conantur, aut quauis alia ratione in sancto hoc Visitationis munere Prælati sui famæ, ac existimationi detrahere nituntur, fingentes se immensis sumptibus grauatos esse, id quod nonnumquam eorum culpa accidere solet, qui huiusmodi sumptibus faciendis præsunt, qui hac in re, vel proprij commodi causa, vel quauis alia ratione modum excedunt, vt mihi accidit, in primis Episcopatus Castrensis annis, Diœcesim paruulam visitando; propterea censerem, Visitatorem, confecta cuiuscumque Ecclesiæ, siue oppidi visitatione; per se, vel per alium ad id potissimum eligendum, computa, ac rationes expensarum in huiusmodi visitatione pro subministrandis sibi alimentis factarum diligenter per currere debere, ac inspicere; eaq. sic inspecta, ac manu Chirographi sui subscripta per Notarium suum in actis illius Visitationis pro maiori, & sui ipsius, & visitatorum cautela referenda curare. Accedit etiam, quòd hac ratione omnis fraus, & detrahendi occasio penitus tolletur. Sed præ cęteris caueat in primis Visitans, ne quam pecuniæ summam, quouis quæsito colore, à subditis in peragenda Visitatione accipiat. Nam (vt sancti Patres[d] testati sunt) acceptio nummorum, præuaricatio est veritatis.

[a] c. inter cætera de off. ord. & c. si Episcopus eod. tit.

[b] 1. ad Cor. cap. 9.

[c] cap. 3. sess. 24.

Auctoris opinio, & optima, tanquam experti.

[d] c. qui recte. 11. q. 3.



Visitatio Cathedralis Ecclesiæ. Quomodo Prælatus Visitationis principium inire debeat, & quid tam ab ipso, quàm ab ijs, qui visitandi sunt, præstandum prima vice. Cap. IV.




CVM igitur terminus per edicti publicationem præfixus iam transierit, eadem met die summo mane in prima vice debent omnes in Ecclesiastica dignitate constituti, Canonici, Abbates, Presbyteri, & Clerici etiam exempti, non solum in Cathedrali Ecclesia, sed etiam in alijs, & Parochialibus, & Collegiatis existentes ad Cathedralem Ecclesiam cum crucibus, & super pellicijs conuenire. Atque interim Cærimoniarum magister, siue Præfectus, Baldachinum, siue vmbellam præparandam curabit, & etiam qui rem sacram peracturus est, quę solemniter in dicta Cathedrali Ecclesia cantabitur ab aliquo in præcipua dignitate post Episcopum constituto, si tamen Episcopus, vel Visitator Episcopi noluerit cantare: quod iam conuenit, & decet: & ita ego semper obseruaui, in initio saltem Missam legendo cum quatuor assistentibus, paramentis pretiosis rubei coloris indutis, Baldachinum deferentibus. Imminente iam Visitationis hora, omnes processionaliter cum Crucibus ad Domum Episcopi se conferent, vt eum ad Cathedralem Ecclesiam ducant. Quæ omnia obseruanda sunt, si Visitator sit Episcopus: alioquin prætermittantur.

Episcopus vero cappa Pontificali super rochetum indutus, (nisi sit regularis: tunc enim loco rocheti, super pellicium assumit) vbi scalas domus descenderit in atrio, siue cortili, sub baldachino, siue vmbella iam præparata, se confert, & pręcedente clero processionaliter, & musicis, siue cantoribus, si non sint musici, Hymnum Veni creator Spiritus decantantibus, ad Ecclesiam pergit; Cumq. ad portam maiorem peruentum fuerit, ea omnia peragit, quę in Romano Pontificali sub rubricis de ordine ad recipiendum processionaliter Prelatum, siue Legatum continentur. Cumque Ecclesiam ingressus fuerit, genuflexus super tapetum ibi stratum, ac preparatum cum pulunaribus,

bus, oblatam sibi Crucem ab eo, qui in ipsa Ecclesia maiorem obtinet dignitatem, superpellicio, & pluuiali pretioso induto, pie, ac deuote osculatur, ac omnia alia facit, quæ in eodem met Pontificali sub rubricis de ordine ad visitandas Parochias habentur. Quæ quoniam à quouis ibidem videri possunt, nos, breuitati, quoad eius fieri poterit, studentes, superfluum duximus, hic ad verbum transferre, ac subtexere, contenti adnotasse tantum, ac, vbi nam comode, ac plenius haberi possunt, innuisse. Quibus peractis, Prælatus, Pontificali habitu indutus, cum pluuiali violaceo, ac mitra simplici indutus, præparato faldisterio in medio Altaris, super illud sedeat, atque interim vno ex Cappellanis ipsius ad sinistram eiusdem Prælati sedentis stante, & baculum dextera manu tenente, sermonẽ ad populũ habeat super hac Visitationis materia, [a] docens, quę causa potissimum Præsulem ad Visitationem incipiendam impulerit, quàm boni, & sancti, ex ea fructus percipiantur, quàm necessaria sit in Ecclesia Dei, & ad ipsius honorem, & gloriam, & cultum augendum, & ad mortalium salutem, verba apta, & accommodata semper eligendo. Quo finito, Episcopus populum solemniter benedicet.

[a] Themata diuersa sermonũ huiusmodi videas infra ita part. 2. c. 9.

Electio Collegarum, vel Coassumptorum, & aliorum Officialium, in Visitatione. Cap. V.



ATQVE his omnibus hoc ordine peractis, dictus Episcopus, siue Visitator Primates Cleri in dignitate constitutos, Canonicos, & Presbyteros, quot, & quos sibi videbitur, & eos potissimum, qui, & vitæ honestate, & doctrina cęteris pręstabunt, ad hoc Visitationis munus Coadiutores sibi publice assumet, & Officiales, veluti Fiscum, Notarium, & reliquos, quibus vtendum erit, ibidem eliget; & hęc omnia in Visitationis illius actis referri imperabit; ijsque omnibus, quos sibi Coadiutores assumpsit, semper, vel plerumque, in tota illa Visitatione peragenda, vtetur, excepta tamen Visitatione personali, quę per solum Præsulem cum Notario, vel pro vt magis ei expedire videbitur, perfici potest; pro vt loci, temporis, ac rei opportunitas postulabit, Nam id totum Prelati Visitantis iudicio integrum relinquitur. Et ita decretum pronunciabit

nunciabit in electione collegarum, vt sit in optione Visitatoris modus procedendi, iuxta locorum, & facti incidentis qualitatem, quando solus cum Notario, & quando cum aliquibus, vel vno collegarũ.

Pro forma electionis inferuntur hic Collegæ, siue Coassumpti, & Officiales in Visitatione nostræ Cathedralis Ecclesiæ, electi per nos, hoc modo, videlicet.

Nomina, & cognomina collegarum in hac sancta Visitatione sunt, videlicet.

Cathedralis Ecclesiæ.

Illustris, & Renerend. Admodum D. Fabricius Resta V. I. D. Protonotarius Apostolicus, & Generalis Vicarius.
Reuerendus Petrus Paulus Cognitor, Archidiaconus.
Reuerendus Tarquinius Coccus, Sac. Theol. Doctor, Archipresbyter.
Reuerendus Donnus Antonius Guadagnus, Cantor.
N. N. N. N.
N. N.

Ecclesiæ collegiatæ Sancti Nicolai Trimodien.

N. N.

Ecclesiæ Santissimæ Annunciatæ.

N.

Procurator Fiscalis.

N.

Notarius, & Magister Actorum.

N.

Nuntij, & executores Episcopalis Cur.

N. N.

Quibus

Quibus omnibus fuit mandatum, quòd dato ſigno cum ſolita campana magna, Maria nuncupata, in Epiſcopali Palatio conueniant ad aſsiſtendum, & eorum Officium exercendum apud ipſum Illuſtrem, & Reuerendiſsimum D. Epiſcopum, & Viſitatorem in Viſitatione facienda.

Vocatio Presbyterorum. Cap. VI.



HABITO ſermone ad Populum, & expoſitis breuiter aduentus ſui cauſis, & fructibus, qui in Eccleſia Dei ex ſancta Viſitatione ſolent emanare, & electione prędictorum facta, Conſueuere Prælati, omnes in dignitate conſtitutos, nec non Canonicos, Presbyteros, & Clericos omnes, qui in ea Ciuitate, vel oppido habitant, vbi eos Viſitatione vacare contigerit, ad obedientiam præſtandã vocare. Quapropter Viſitator (ſi fuerit Epiſcopus) completo ſermone, de quo ſupra, & electione prædicta, ſedens, cum mitra pretioſa, per publicum Notarium, cuius opera in ſancta Viſitatione vtetur, Presbyteros ad obedientiam præſtandam ſigillatim vocandos curabit, dignitatum, & graduum ordine ſeruato. Qui vbi ſe vocari ſenſerint, primo reſpondebunt, Adſum, Domine; deinde vero, ad Prælatum Viſitantem accedentes, & profunde ſe inclinantes, Altare maius, & Sanctiſsimum Sacramentum prius, ac Viſitatorem ipſum venerabuntur, & poſtremo, oſculata ipſius manu, iteratis iiſdem reuerentijs, vt ſupra, ad locum ſuum redibunt. ſi qui vero fuerint abſentes, vt contumaces, & rebelles, eos, inſtante Curiæ Epiſcopalis Procuratore Fiſcali, pœnis in generali edicto contentis mulctabit.



Monitio-

Monitiones Generales, quæ præmitti, & publicari debent in Visitatione Generali. Cap. VII.



VMQVE singuli hoc ordine vocati obedientiam præstiterint, Monitiones super publicis, & enormibus delictis, & peccatis per eundem Notarium ex suggestu, alta, & intelligibili voce legendas curabit, Latine, vel patrio sermone, prout magis expedire videbitur: & hoc, vt Prȩlatus Visitator suam conscientiam exoneret, & omnes sciant peccata publica, & enormia Visitanti propalare. & sunt hæc, quȩ sequuntur, mutatis nominibus, & locis.

Lucas Antonius Resta, Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Andrien. &c. In sancta Visitatione Generali, Omnibus, & singulis cuiuscumque status, gradus, ordinis, & conditionis, in hac Ciuitate Andrien. & sua Diœcesi, siue quomodocumque ibi habitantibus, & commorantibus, nostras litteras, siue monitorium visuris, lecturis, & quomodolibet audituris, salutem in Domino nostro Iesu Christo, & pacem æternã. Noueritis, sanctos Patres [a] Sancti Spiritus gratia illuminatos, in Sacro sanctis Concilijs, legitime in Spiritu Sancto congregatis, & nouissime in Sacro sancta Synodo statuisse, ac ordinauisse, [b] vt omnes Episcopi, & Visitatores semel saltem in anno personaliter per se ipsos, vel, si aliquo legitimo impedimento detinerentur, per aliquos viros idoneos ab ipsis eligendos suam Diœcesim totam Generali Visitatione percurrerent, ac omnium sibi subditorum, siue Clerici, siue laici fuerint, vitam, ac mores diligenti indagine scrutarentur, altiori consideratione perquirentes, quo pacto Ecclesiæ, Hospitalia, Monasteria, Confraternitates, Montes pietatis, ac reliqua loca pia Deo dicata honorifice, prout decet, tractarentur, omniaq. ad Ecclesiæ sanctæ vtilitatem, ac animarum pretiosissimo Domini nostri Iesu Christi sanguine redemptarum salutem dirigentes. Quapropter nos, sacrorum Canonum auctoritate permoti, ac adducti, animaduertentesq. omnipotentis Dei famulatum, ac cultum in hoc potissimum consistere, vt Prælati curent Ecclesias, Di-

uino

a tot. tit. de cens.& exact. in decret. & etiã li. 6.cóc. Tolet.4.c.35.
b c.3.sess. 24. de reform.

vno cultui dicatas, à bonis, optimis, ac integris ministris regi, & gubernari, & ab ijs præsertim, qui summi Dei quæsitam gratiam non abijciant, sed in ea perseuerent, ac perfecta charitate sint ornati, alieni prorsus ab omnibus vitijs, ac noxis, publicis præsertim, & notorijs, quibus non solum Deus Optimus Maximus offenditur in dies, & ad iracundiam prouocatur, sed etiam populis, & toti Reipublicæ Christianæ perturbanti, damnum, scandalumq. offertur; cum satis compertum sit, horum exemplo, plerosque adductos impie contra Dominum peccare. Nos igitur, (inquam) vt & muneri nostro satisfaciamus, & conscientiam nostram hoc onere leuemus, generalem, ac solemnem Visitationem in hac nostra Ciuitate Andrien. & Diœc. facere statuimus. Et, quia publica, & enormia crimina, ac peccata, grauiora etiam, & periculosiora, esse solent ab Episcopo, & spirituali Pastore censenda, ac magis emendatione, ac correctione indigere, ad quæ minime potest procedere, nisi aliquo modo ei innotescant: Iccirco omnes vos, & singulos prædictos in charitate, & iuxta Apostolicum præceptum monemus, ac hortamur, ac in virtute sanctæ obedientię districte vobis cōmittimus, & mādamus, vt quicumque vel scit, vel per alios dici audierit aliquid ex ijs, quę hic infra dicentur circa crimina, & peccata enormia, abusus, & alias quascumque res publicas, & notorias, quę reformatione indigere censentur, ad nos deferre, nobisq. notum facere teneatur toto eo temporis spatio, quo Visitationem perficiemus in hac Ciuitate, in Ecclesia, siue in nostro Episcopali Palatio. Nos enim, huiusmodi viros bonos, & honorem Dei zelantes, benigne, publice, & secrete audiemus, quo facilius de omnibus per eos instructi, ac docti, quę ad omnipotentis Dei cultum, & ouium nobis commissarum salutem, necessaria sunt, omnibus incommodis occurrere, ac omnibus opportuna remedia adhibere possimus, prout nobis, & ad munus nostrum Pastorale implendum, & ad communem omnium vtilitatem, magis expedire videbitur, vt à peccato exeant, & male viuere resipiscant, & Deus Optimus Maximus semper ab omnibus laudetur, & glorificetur in sæcula sæculorum.

1 In primis hortamur, & monemus, & in virtute sanctę obedientię committimus, & mandamus, vt omnes, & singuli, qui sciunt, & ad quorum cognitionem quouis modo peruenit, Rectores Ecclesiarum Ciuitatis huius, Ecclesijs, siue beneficijs non ita inseruire, vt tenentur, Missas, & alia Diuina officia statutis horis, ac idoneis temporibus celebrando, nobis notum facere teneantur, eo modo, quo supra diximus.

2 Item, quicumque sciret aliquem Clericum Simoniam, vel in recipiendis

cipiendis ordinibus sacris, vel in obtinendis Ecclesiasticis beneficijs commisisse, patronis, vel alicui alij committendo, vel donando partem, vel pensionem fructuum prædictorum beneficiorum, vel quòd libet aliud; vel, si quis sciret aliquem eorum, quod vis præmium, contra laudabilem, & probatam Ecclesiæ consuetudinem, pro ministrandis Sacramẽtis, Baptismo potissimum, & Extrema vnctione recepisse, nobis notum facere teneatur. nam non sine magna, insigniq. animi molestia, ac dolore, ad nostras aures peruenit, multis in locis hunc abusum conualuisse, vt Clerici hæc duo præsertim Sacramenta sine aliqua lucri spe, Christi fidelibus ministrare nolint; & Patroni, qui aliquos ad beneficia Ecclesiastica obtinenda præsentant, fructuũ partem sibi, vel alicui alteri ab eo præberi velint, quem præsentant, ac si lucri spe, non autem potiùs ad Dei Omnipotentis gloriam, & honorem huiusmodi præsentationes fieri deberent, viros virtutum insignibus ornatos, vitæ integritate, ac doctrina cæteris præcellentes eligendo. Qua in re, præterquam quòd Saluatoris nostri præcepto non obediunt, qui dixit, Gratis [a] accepistis, gratis date, nouerint quoque se in pœnas per Sacros Canones [b] ac nostras Constitutiones Synodales statutas incidere.

a Matth c.10

b Tot. tit. de simo. & in decret. caus. 1. per omnes quæst. Conc. Trid. sess. 25. c.9 de refor. Cõst. Synod. Andri. in ti. de bñfi. coll. & de Simo.

3 Item, quicumque scirent aliquos Clericos ante legitimam ætatem, vel aliquo excommunicationis vinculo irretitos, aut suspensione, irregularitateve, vel alio quouis impedimento detentos, sacros ordines suscepisse, reuelare teneantur, vt supra.

4 Item, si ad alicuius notitiam peruenisset, aliquem, siue Laicum, siue Clericum, cuiuscumque status, gradus, ac conditionis, per se, vel per alium, quouis quæsito colore, occupare, ac indebite, & sine Canonica institutione, retinere censum, fructusve, vel alicuius beneficij Ecclesiastici, vel alterius rei Diuino cultui dicatæ, vel illius vsu fructum percipere, nobis denuntiare teneantur. id enim ne quis facere audeat, & sacrorum Canonum auctoritate, & nouissime Sacro sancti Tridentini Conc. decreto, sub maioris excommunicationis pœna, à qua nemo, nisi summus Pontifex, absoluere possit, cautum est: restitutis tamen interim, ante absolutionem, omnibus sic indebite perceptis, & eorum fructibus.

c Sess. 22. c. fin. de refor.

5 Item, si cui notum esset, aliquos sacrorum Sacramentorum ministros, veluti Baptismi, Eucharistiæ, Pænitentię, & Extremæ vnctionis, si quando die, nocteve, vocati fuerint, suo munere diligenter, ac nauiter non esse functos [d] in ministrandis huiusmodi Sacramentis, tam infirmis, quàm alijs indigentibus; vel, si quis sciret, eorum negligentia, culpave factum esse, vt aliquis è Christi fidelibus, ex hoc sæculo, sine Baptismi, Pænitentiæ, Eucharistiæ, Extremæ vnctio-

d Per hoc, & omnibus seq. videas tract. Berard. Diaz in 1. libello incip. coram vobis.

nis Sacramento migrasse ad nos referendum curet. Insuper, quisquis sciret, Clericos, quibus ex officio conuenit infirmos inuisere, & in extrema illa, ac vltima necessitate adiuuare, id aut prætermisisse, aut re ipsa præstare neglexisse, vel eos, qui tenentur in Ecclesijs suis Christi fideles orthodoxæ fidei articulos, Christianæ fidei præcepta, misericordiæ opera, tam corporea, quàm spiritualia docere, methodum, ac viam cauendi septem peccata mortalia, ac quidquid Deum Optimum Maximum lædit; &, vt breuiter vniuersa concludam, quidquid doctrinæ Christianæ nomine continetur, illis demonstrare: Hos (inquam) qui nouerint, tam salutarem consuetudinem, ac sanctum opus negligenter tractare, vel, quod peius est, negligenter prætermittere, ad nos protinus deferendum curet.

6 Item, si quis nosset, in Clero Clericum aliquem esse, qui vel ea vitæ honestate non esset præditus, qua decet, vel non bonæ conditionis, ac famæ, vel (quod peius est) scandali, ac errorum suo exemplo, causa, ac fomes reliquis esset, nobis notum fieri curet; quia operam dabimus semper, vt Clerici reliquis Christi fidelibus, veluti præclara quædam lux, in bonis, ac sanctis operibus præeant, ac eos instruant, non autem suo exemplo à recta via abducant.

7 Item, quicumque scit, Clericum aliquem, cuiuscumque status, gradus, & conditionis, aliquo publico crimine irretitum esse; vt vel publice ludat, mercatoremq. se, vel publicanum palam omnibus exhibeat, vel aliam quamuis artem dignitati Clericali minus conuenientem exerceat, laicis inseruiat, ex quo facile erroris, ac scandali causa possit oriri, vel perdendæ animæ ipsius periculum; vel tandem, si cui innotesceret, aliquem ex Clericis publicum esse concubinarium, vel insigni aliqua malorum, ac facinorosorum hominum consuetudine delectari, ac detineri, non sine aliqua scandali, ac erroris causa; protinus nos de his omnibus, ac singulis certiores fieri, Christianæ pietatis studio, ac religionis zelo curabit.

8 Item, si sciret, aliquem Clericum, vel laicum in concubinatu, vel adulterio permanere; vel in incestu, & stupro, vel alio simili graui delicto; quàm primum nobis referendum curet.

9 Item, si cui scire contingeret, Clericos, aut Ecclesiasticas personas pacem, & quietem, tranquillitatemq. inter se, ac reliquos omnes, omni suo conatu minime, vt tenentur, procurasse, sed potius discordiarum, ac dissensionum causas, fomitemve ministrasse, vel eos intempesta nocte per vias Ciuitatis, sine legitima causa, armatos, vel cum Musicis instrumentis, vel cum habitu laicali vagantes offenderit; huiusmodi à Christiana disciplina alienos, & abhorrentes Clericos nobis notum fieri quamprimum, vt curet, volumus, & mandamus.

10 Item,

10 Item, si quis sciret Vicarios, aliosve Officiales, tam nostros, quàm praecessorum nostrorum, causas, litesve ad Tribunal nostrum, amore, vel odio adductos, vel vt aliquod inde lucrum, vel vtilitatem quouis modo referrent, introduxisse, postposita interim aequitatis, ac iustitiae ratione, ad nos deserendum curet.

11 Item, si cui notum esset, aliquem, siue Clericus, personave Ecclesiastica, siue laicus is esset, cuiuscumque status, gradus, & conditionis, bona aliqua, vineas, fundum, olivera, aliave praedia, siue aliquam pecuniarum summam, indebite occupare, [a] quae vel ad Episcopum, vel alias Ecclesias, Hospitalia, Monasteria, Cappellas, Anniuersaria, aliave Ecclesiastica huius Ciuitatis beneficia spectarent, eaq. vel ad censum (vt dicitur) Emphytheoticum Canonem dedisse, vel permutasse, vendidisseve, aut alio quouis modo alienasse, in insigne, ac euidens dictarum Ecclesiarum, ac locorum Diuino cultui addictorum damnum, & incommodum; vel, si cui notum esset, praedicta bona aliqua in parte à quouis occupata fuisse, terminos, ac limites, quouis modo ruptos aut permutatos fuisse, Crucem, vel aliquod aliud signum inde auferendo, ex quo Ecclesiae damno, vel incommodo afficiantur, nobis denuntiare quamprimum teneatur.

[a] Côc. Trid sess. 22. c. fin praeallegat.

12 Item, si quis sciret, vel quouis modo nosset, in hac Ciuitate (quod absit) aliquem haereticum reperiri, [b] vel de haeresi suspectum, qui de rebus ad Christianam fidem spectantibus indigne, ac incongrue loqueretur; vel ea, quae Sancta Romana Ecclesia docet, ac praecipit, omnia non approbaret, vel praecipue, ac signanter negaret Summi Pontificis potestatem, eam, ac tantam esse, qualem, ac quantam Sancta Mater Ecclesia illi tribuit, ad nos protinus deferendum curet. qua in re illos paterna charitate monemus, omnes, qui haereticum aliquem sciuerint, nouerintque, nec Ecclesiae reuelauerint, in easdem poenas, ac censuras incidere, quibus ipsimet haeretici tenentur.

[b] c. cum ex iniuncto §. adijcimus, de heret.

13 Item, si quis nosset, Clericos, ac reliquas Ecclesiasticas personas Ecclesiarum suarum reparationi, ac restaurationi non studere, sed negligentius agendo semidirutas relinquere, ac ruinam minantes, vel vineas, praedia, ac reliqua ad beneficia sua sua spectantia inculta esse, ac permanere pati, vel negligentius illa colere, nobis notum facere ne negligat, volumus, & mandamus.

14 Item, si quis sciret, in hac Ciuitate, siue eius Dioecesi aliquem virum, vel feminam reperiri, qui incantationibus, [c] sortilegijs, fascinationibus, ac alijs huiusmodi diabolicis inuentis, operam darent, vel fidem adhiberent, à Daemone, humani generis saeuissimo hoste, illusi, ac seducti; nobis statim, nulla interposita mora, notum fieri, Christianae pietatis studio, satagat.

[c] c. nec mirũ c. qui fine, & c. nõ oportet. vsque in fin. 26. q. 5. & p oẽs alias. q.

C 2 15 Item,

15 Item, si ad alicuius cognitionem peruenisset, in hac Ciuitate aliquem Clericum reperiri, vel aliam quamuis personam Ecclesiasticam, sæcularemve, qui in aliquod sacrilegium incidisset, in Ecclesia sancta Dei pugnando, vel cum scandalo insignem aliquam rixam exercendo, vel Clericis violentas manus iniiciendo, [a] vel quouis alio modo in tam graue crimen incidisse contigerit, nobis quamprimum denuntiari curet.

a c. si quis suadente 17. q. 4 & p tot. q.

16 Item, si quis nosset, sciretve, in hac Ciuitate, siue eius Diœcesi, aliquod contractum fuisse matrimonium, non habita ratione impedimentorum consanguinitatis, affinitatis, cognationis spiritualis, aut publicæ honestatis, nisi tamen legitimam prius à Summo Pontifice dispensationem obtinuerint, contrahentes huiusmodi nobis statim notum fieri, eo, quo diximus, modo, volumus, & mandamus.

b Non seruatum for. decret. s. c. 7. sess. 24. p tit.

17 Item, si quis sciret, in hac Ciuitate, vel eius Diœcesi publicos aliquos reperiri feneratores, siue vsurarios, [c] qui in contractibus suis illicitis lucris inhiant, cuiusmodi sunt illi, qui oleum, vinum, oues, boues, equos, aliasve res mercabiles, vel ad tempus vendunt, vel non numerata pecunia, vt maiori pretio illas vẽdere possint, quàm si numerata statim pecunia vendidissent. Huius generis etiam sunt illi, qui frumentum, vinum, oleum, & alios terræ fructus, ante frumentationis tempus viliori pretio à viris in extrema egestate positis emunt. Horum similes etiam existimandi sunt illi, qui pecunias mutuo dant, ea spe, vt post certum aliquod, ac determinatum tempus, & summam mutuo datam, & aliquod insuper lucrum recipiant. Nec ab istis dissimiles sunt illi, qui pecuniam mutuo dant, decem singulis annis pro centum mutuatis exigentes, loco mercedis, & fructuum, non seruatis seruandis; ac vsuram publice contra Sacrorum Canonum dispositionem exercentes. Hos omnes, si qui fuerint, qui scient, ad nos deferant.

c Tot. tit. de vsuris.

Et, quia quæcumque à nobis hucusque commemorata sunt, à iure damnantur, ac reprobantur, nobisque pro Pastoralis nostri muneris sollicitudine onus incumbit, animarum saluti maturius consulendi; nec illis opportuna remedia adhibere possumus, ac nostræ conscientiæ satisfacere, nisi prius certiores facti fuerimus: Iccirco omnes, ac singulos rogamus in Domino, & obsecramus, monemus, ac hortamur, & pro nostra ordinaria auctoritate, qua fungimur, præcipimus, ac mandamus, vt ad quoscumque prædictorum errorum, ac criminum omnium, vel aliquorum cognitio, quomodolibet peruenerit, nobis infra nouem dierum spatium, (& terminus plus, minusve prorogari poterit, pro vt loci, & temporis, & personarum dignitas

dignitas postulare videbitur) notum facere teneantur . quem quidem terminum pro peremptorio , ac pro Canonica monitione assignamus ; vt , cùm ad cognitionem nostram hæc peruenerint, Omnipotentis Dei gloriæ, ac ouium nobis commissarum saluti consulere, quantum in nobis est , possimus , ac conscientiam nostram hoc onere leuare . Et, vt hæ nostræ litteræ, ac monitiones ad omnium cognitionem facilius peruenire possint, volumus, vt inter Missarum sollemnia, cum populus frequens ad sacra conuenerit, publice, alta voce, & intelligibili, in hac Ecclesia Andrien. legantur, & publicentur; & eas sic lectas, & publicatas columnæ affigi, vel alio in loco conspicuo dictæ Ecclesiæ poni mandamus, ibique per decem continuos dies permanere; vt facili negotio ab omnibus conspici, & legi possint. Quo termino elapso, (cum iam huiusmodi decretum ad omnium aures peruenisse verisimiliter credendum sit) omnes astringentur, ac si personaliter eis intimatæ fuissent; nec vllo pacto ignorantiæ excusationem postmodum admittemus. Datum in nostro Episcopali Palatio N. Die N. Mensis N. Anno N. Pontif. S. D. N. N. Anno N.

Alias etiam Monitiones generales Visitator facere poterit, pro vt melius videbitur, habito respectu loci, & temporis, & necessitatum Diœcesis.

Quibus litteris, ac Monitionibus, sic lectis, ac publice omnibus insinuatis, curabit Visitator, vt per Nuntium, vel Notarium suum in Ecclesia, (vt supra diximus) publice alicui loco conspicue affigantur, ac stato tempore auferantur; atque hæc omnia in actis Visitationis illius redigi, ac reponi mandabit; relationemque authenticam in calce ipsarum publicationis, affixionis, & refixionis, Notarius ascribat.



Absolutio

Absolutio pro animabus fidelium defunctorum. Cap. VIII.

DEINDE verò ſurgens, & accepto pluuiali nigri, vel violacei coloris, cum mitra ſimplici, miniſtrantibus ſibi primatibus illius Eccleſiæ, incenſum, & aquam benedictam, reliquis verò cum Crucibus præeuntibus ad abſolutionem pro animabus fidelium defunctorum peragendam procedet, ſeruatis cærimonijs, & ritibus, prout in Romano Pontificali ſub rubrica, Ordo ad viſitandas Parochias, Eccleſiam ipſam, vel cœmeterium circumeundo, prout opportunum, & magis neceſſarium eſſe videbitur; & ibi valde particulariter notatur, quæ cærimoniæ, vel cantando, vel legendo, iuxta locorum qualitatem, debent præciſe ſeruari in omnibus Eccleſijs Cathedralibus, Collegiatis, & Parochialibus, & vbi fuerint cœmeteria.

Viſitatio Sanctiſſimi Sacramenti Euchariſtiæ. Cap. IX.

QVIBVS omnibus ſic præmiſſis, & peractis, accenſis intorticijs ad id prius præparatis, & Archipresbytero, ſiue alio cuſtodiæ Sanctiſſimi Sacramenti præfecto ſuperpellicio, & ſtola induto ibi præſente, cum cæteris Clericis, etiam in quacumque dignitate conſtitutis, ſuperpellicijs indutis, & populo, ac confratribus, & Officialibus Sanctiſſimi Sacramenti, reuerenter aſſiſtentibus, Epiſcopus, pluuiali, ac mitra pretioſis ſuper rochetum cum amictu, Cruce, Paſtorali, ac ſtola indutus, tam ſancto Viſitationis operi ſe accingendo, initium ſumet à Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, (ita enim decet, & ſacri Canones [a] ſtatuerunt, digniora ſemper eſſe præponenda) Cuſtodiamq. ſiue Tabernaculum reſerare imperabit; quod ſuper Altare maius, ſi commode id fieri poſſit, vel ſaltem in loco publico, ac conſpicuo, ac totius templi nobiliori, ac præſtantiori,

[a] Quorundã de elect. in 6. & c. l. quoties de vſu fr.

tiori, esse debet. Animaduertat tamen Visitator, si Sanctissimũ Eucharistiæ Sacramentũ extra Altare maius, & in aliquo sacello permanserit, in frontispicio ipsius non permittat, quòd sit aliud Altare, ne, quando ibi celebratur, & celebrans, & assistentes ad Missam audiendam terga vertant irreuerenter Sanctissimo Sacramento; ac, dum referatur, tam Visitator ipse, quàm alij omnes capite detecto profunde se inclinantes Sanctissimumq; Sacramentum venerabuntur: & intortitijs semper accensis permanentibus Visitator profunde capite detecto genuflexus ter incensat, & postea cantando intonat, Tantum ergo Sacramentum, Choro prosequente, surgat, reuerenter accipiat, & super Altare corporale supposito collocet, & diligenter videat,

Primò Custodiam, siue Tabernaculum, an sit decens, & ornatum, ac deauratum, iuxta locorum qualitatem, facultatem, ac vires.

An clauis, & reliqua ad illud aperiendum, ac claudendum necessaria, sint integra, bona, ac bene aptata, & concinne disposita.

An dicta Custodia, siue Tabernaculum in interiori parte sit decenter ornatum panno serico absque vlla immunditia.

An corporale subtus sit substratum.

An Sanctissimum Sacramentum, conseruetur in pyxide argentea, vel aurea, stamneave, & quomodo, & vbi, &, si fieri potest, semper pyxis debet esse argentea.

An in interiori parte dictæ pyxidis argenteæ sit aptatum, & accõmodatum corporale.

An sit alia pyxis eodem modo corporali intus ornata pro deferendo Sanctissimo Sacramento ad Infirmos.

Et ista pyxis, An ita firmiter occludatur, vt nisi adhibitis manibus aperiri non possit, &, si accideret, vt pyxis ex ministri manibus, vel quouis alio mode laberetur, particulæ exire non possint.

An dicta pyxis conopeo serico, auro intexto, iuxta loci facultatem, & vires, sit ornata.

An intra dictum Tabernaculum aliud conseruetur præter dictas pyxides, nil aliud omnino ibi seruari permittat.

An in dictis pyxidibus, seu vasis sint semper plures particulæ, & tres semper saltem debent esse recentes.

An singulis octo diebus saltem innouentur.

An, cum innouantur, fragmentorum ratio habeatur.

An super Custodiam, siue Tabernaculum, & Altare sit Vmbella, vel Baldachinum, iuxta vires ac facultates Ecclesiæ, decenter ornatum; si non sit, curet omninò ponendum.

An super Tabernaculum auratum sit conopeum sericeum, eo colore; quo secundum anni tempus vtitur Ecclesia.

Quibus

Quibus peractis, iterum ter profunde genu flexus incenset, & proprijs manibus facta profunda reuerentia accipiat, & cantando intonet, *Genitori genitoque, &c.* Choro prosequente, vertat se ad populum, Sanctissimũ Sacramentum in manibus ante pectus eleuatum reuerenter tenens; &, quando dicitur à Choro, *Sit & benedictio*, populum benedicat cum dicto Sanctissimo Sacramento, in modum Crucis circulum finiente, & in Tabernaculum reuerenter collocabit, quod diligenter claudi imperabit; &, his peractis, intortitia extinguuntur.

Interroget postea Visitator,

CVI incumbat onus custodiendi Sacramentum.

Quis lampadum expensas subministret, quot accendantur, an semper omnes ardeant an verò statis temporibus. In Ecclesijs minoribus, vna saltem assidue debet ardere, in maioribus plures, secundum locorum consuetudinem, & vires, vt in nostra Andrien. in qua continuo ardent tres, licet sint nouem ante Altare.

Quis ceram subministret, & an cera vel oleum pro huiusmodi obsequio tribui solitum imminuatur, & an à ministris in alios vsus conuertantur.

An claues semper sint apud Parochum, siue sacris Præfectum, vel apud eum, cui incumbit onus custodiendi Sacramentum: nec vllo pacto permittat, vt super Altare, vel Tabernaculum, vel intus Sacristiam in publico relinquantur; vt nonnulli negligentes facere consueuerunt.

Quo in vase, quove in loco fiat Custodia in Hebdomada sancta, quomodo, à quibus, quo apparatu, qua reuerentia, quave pietate, quot luminibus, cera, siue oleo ardentibus, cuius expensis, qua vigilantia, quave custodia id fiat, & à quibus.

Si ibi sit Societas, iubeat eos ministros domum ad se venire cum suis statutis, priuilegijs, libris, ac rationibus redditum, ac expensarum omnium, quæ quotidie fiunt, quas diligenter inspiciet, corriget, & emendabit, [a] & (si necesse erit) ministros ipsos admonebit, vt diligenter suo munere fungantur, docebitq. in quos vsus huiusmodi redditus sint impendendi.

[a] Videas infra in Visit. Confrater.& societatum, suo proprio tit. ead. part. prima.

Si verò huiusmodi Societas ibi non sit instituta, curabit, vt instituatur.

An sint scabella, siue oratoria circa Altare maius, vel locum, vbi Sanctissimum Sacramentum reconditur cum suis ornamentis; &, vt orantes genuflectere possint, & sacra Communio ministrari possit.

Quomodo

Quomodo in Ecclesia administretur Sanctissimum Sacramentum. Cap. X.



SANCTISSIMVM hoc, ac præstantissimum Eucharistiæ Sacramentum, à Domino nostro Iesu Christo institutum in extrema illa Cena, quam cum Apostolis suis manducauit, cum iam morti esset vicinus, ac mundum relicturus, transiturusq. ad Patrem, in pignus Amoris, ac paternæ dilectionis in Ecclesia sua ab eo Sacratissimum corpus suum relictum fuisse, ipsiusmet Saluatoris nostri verba testantur, qui nos id in sui memoriam facere præcepit; prætereaq. semper frequens illius vsus in Ecclesia Sancta Dei laudabilis fuit, ac valde à Sanctis Patribus commendatus. est enim veluti firmissimum quoddam aduersus hostes omnes, tam visibiles, quàm inuisibiles, tutamen, & pharmacum quoddam spirituale, quod nos à peccatis etiam præseruat, ac Deo coniungit, illiusq. gratia dignos efficit, ac propterea dæmones, horribiles, ac formidolosos reddit. verum enimuero, quando multi, & ministrorum negligentia, & communicantium iniuria, irrepserunt abusus, quanto huius sacramenti dignitas maior esse dignoscitur, tanto diligentius Visitator in his, quę ad illius cultum, ac administrationem pertinent, elaborare debebit, vt omnes abusus tollat, & vt Sancta sanctè, & pie tractentur: propterea q. conuocatis ijs, qui Sanctissimum Sacramentum in Ecclesia ministrant, hoc modo eos interogare poterit:

An, quando Sanctissimum Sacramentum ministratur, super scabella, siue oratoria extendantur mappæ mundæ, siue mantilia; vt communicaturi, ea mento supponere possint.

An, qui ministrat Sanctissimum Sacramentum, superpellicio, siue cotta cum stola sit indutus. Nec aliter fieri permittat.

An, cum ministratur, certa lumina ardeant semper cereis accensis.

An communicaturi, genu flexo, capitibus detectis, pie, & humiliter, & orantes maneant.

An minister sermonem ad communicaturos habeat, & qua de re in eo agat, & quomodo exprimat; & ipse Visitator audiat.

An, postquam eis, quid, & quanta res agenda sit, insinuauerit, generalem Confessionem præmittat, quæ semper est præmittenda.

Qui ſit modus miniſtrandi, exprimat, & Viſitator audiat.

An ſaltem Clericum ſuperpellicio indutum coadiutorem adhibeat.

An vaſe à ſacro calice diuerſo, pro oris ablutione vtatur.

An ſubſtrata mappa munda labia eos abſtergere faciat, an vero alio mantili ad id deputato, & quo modo.

An homines diuiſim à feminis communicent. Si commode id fieri poſsit, laudabile prorſus eſt, & obſeruandum.

In communicando populum Feria V. in Cena Domini, & in die Paſchatis, cum totus populus ad communicandum conuenit, quomodo, quaue ratione vtatur, exprimat.

An in cedulis fidem confeſsionis, & abſolutionis à communicandis exigat; vt Eccleſiæ præcepto [a] ſatisfactum eſſe certus ſit.

a c. vtriuſque ſexus de pœn. & remiſſ.

An, qui numquam alias communicarunt, prius inſtruantur.

Si qua irrepſerit ſuperſtitio, tollatur.

An, qui in Paſchate communicarunt, dent nomina, & an ſcribantur, notenturque:

An externi etiam, & aduenæ ſcribantur ſeorſum etiam in alijs Eccleſijs collegiatis.

An incaute, & nulla adhibita diligentia, externis non confeſsis, & incognitis viris adminiſtretur Sacramentum.

An publice peccantes, excommunicatos, viros armatos, & alios huiuſmodi ad ſacram Communionem admittat.

Cum ad infirmos [b] *defertur.* Cap. XI.

b Cõc. Trid. ſeſſ. 13. c. 6.



NTERROGET, & perquirat ſuper hoc:

An, quando deferendum eſt, prius campana pulſata populo ſignũ detur, aut alio quouis modo; prout loci illius conſuetum eſt.

An deferatur in vaſe firmiter clauſo, conopeo, ſeu velo ſericeo cooperto.

An intus in vaſe illo ſaltem ſint tres particulæ.

An vas illud tale ſit, vt, ſi quo caſu è miniſtri manibus decidat, Sacramentum non exeat.

An miniſter illud deferens ſuperpellicio, ſtola, ac pluuiali ſecundum vires locorum ſit indutus.

An conſueuerint velum ſuper humeros miniſtri deferentis imponere, cuius extremitatibus, vas, in quo Sacramentum defertur, contegatur.

An ſub

An sub Baldachino decenti, iuxta Ecclesiæ, ac loci facultatem, ac opes, incedat. Procuret Visitator, quod aliter non deferatur, quam sub Baldachino.

An multi illud comitentur; an Clerici cum superpellicijs, nec ne; an fratres Societatis saccis induti; an verò populus frequens; & tunc, an cum luminibus accensis, vel sine.

An luminaria contis auratis infixa præferantur.

An Clerus cum superpellicijs, cruce, & campanello præcedat, & seniores, digniores subsequantur; prout in nostra Ecclesia Andrien. reuerenter, & deuote seruatur, & etiam in Parochijs alijs.

An moneantur populi, vt, cum otiosi, & nulli operi addicti sunt, ad illud comitandum frequentes conueniant.

An, prætereunte Sanctissimo Sacramento, qui in domibus sunt, audito signo campanellæ, saltem genuflectant, orantes, & illud venerantes.

An inter eundum, & redeundum, Hymni, Psalmi, & orationes dicantur, vel cantentur, & quænam, si cantatur. Debet cani Hym. *Pange lingua, &c.* prout hoc bene seruatur in prædicta nostra Ecclesia Andrien. & Parochijs.

An minister deferens, oculos ne latum quidem vnguem à Sanctissimo Sacramento remoueat.

Domum infirmi ingressus, quid faciat, Visitator interroget.

Qui modus in ministrando, quidve infirmo dicat.

An, priusquam illi Communionem ministret, ad orationem, & confessionem præmittat; & an prius verbis ad id idoneis infirmum hortetur. Hæc omnia præmitti debent.

An alijs cærimonijs, & ritibus vtatur; &, quinam sint, exprimat.

An pannum paruum ante pectus infirmi ponendum curet.

Si fragmenta supersint, an illa in Ecclesiam referant, an verò infirmo sumenda tribuat.

An, facta digitorum ablutione, fragmenta infirmo ministret, aut quomodo.

An moneat, & hortetur infirmum, vt inditam à Deo Omnipotente gratiam sibi conseruet.

An, vt de peccatis postea commissis intimo cordis affectu doleat, & confiteatur, eundem hortetur infirmum.

An moneat adstantes, vt pro infirmo orent.

Cùm ab infirmo discedit, quid faciat, tum, cum ad Ecclesiam reuertitur, quid identidem agat.

Cùm iam ad Ecclesiam peruentum est, an, priusquam Sacramen-

D 2 tum

tum reponat, illud manibus tenendo, populo benedicat, seruet pro vt supra dictum est in Visitatione Sanctissimi Sacramenti c. 9.

An indulgentias, quas ij, qui affuere pio operi, consecuti fuerunt, publice alta voce, & intelligibili enunciet, vbi à Summis Pontificibus concessæ fuerunt.

Cum processionaliter circumfertur in sollemnitate Sanctissimi Corporis Christi. Cap. XII.



IN cum luminibus accensis, & decenti numero deferatur; an velum, Baldachinum, & aliæ cærimoniæ Diuino cultui aptæ, & necessariæ adhibeantur; an, qui illud defert, superpellicio, stola, & pluuiali sit indutus.

An in Tabernaculo ostensorio argenteo, inaurato, decenti, deferatur, & quo modo.

An in interiori illius parte, Lunula aperta, in qua Sanctissimum Sacramentum ita teneri possit, vt ab omnibus cernatur.

An per vias quasdam decentes, distinctas, & ornatas circumferatur.

An in illis vijs apponantur, sternâturve panni lasciui, vel aliæ res indecentes, quæ risum potius, quàm pietatem excitent.

An aliqua superstitio, vel aliquid indecens hac in re committatur.

An dicta processio fiat diebus ferialibus; si fiat, tunc claudantur officinæ, donec processio finita fuerit.

An fiat post prandium. Curet, ne fiat, si fieri potest, vel saltem fiat post vesperas.

Quid cantetur, tum quæ orationes dicantur.

An inter eundum minister illud in aliquo loco quiescendi gratia, vel aliqua alia de causa reponat. Sit locus ille decens, ornatus, fiat incensatio, & reuerentia semper.

Quo pacto in Ecclesia referatur, reponatur, ac conseruetur.

Ne extra horas Canonicas super Altare relinquatur diu noctuq. vt videatur extra solitum Tabernaculum; vt in aliquibus Diœcesibus obseruatur, & male; sed reponatur in illo, sub claui, & tuta custodia.

Mandet, prædicta, si qua desunt, infra competentem terminum fieri; desides, ac negligentes in prædictis corrigat.

Visitatio

Visitatio sacrorum Oleorum. *Cap. XIII.*



OLENT in nonnullis Ecclesijs Olea sacra in Altare maiori cõseruari, in aliquibus in loco seorsum ab Altari, sed tamen prope illud: in alijs seruantur in Custodia sacrarum rerum, quam Sacristiam, siue Sacrarium vocant: in alijs tãdem intra ipsummet Fontem Baptismalem custodiuntur. Vbicumque reponantur, bonum, & salutare institutum est, dummodo debita eis reuerentia exhibeatur. Sed, quoniam longe satius esset, & melius, adhibitis luminibus assidue ardentibus ea conseruari, propterea ad minuendos sumptus, præcipue si Ecclesiæ illius cẽsus esset exiguus, præstaret, huiusmodi sacra Olea, vel post Altare, super quod Sanctissimum Sacramentum reponitur, & custoditur, vel certe ibidem prope collocare: atque hoc fieri magis mihi probatur, ac placet. nam illæmet lampades, quæ assidue ante Sanctissimum Sacramentum ardent, custodiendis quoque sacris Oleis inseruire possent.

Prælatus itaque, siue Visitator, huiusmodi cœptæ Visitationi insistẽdo, per Sacristam, superpellicio, ac stola indutũ, locum, vbi sacra Olea conseruantur, aperire imperabit, & præsentibus Coassumptis, & Notario, diligenter ipse per se omnia inspiciet, ac considerabit; interrogabitq. ac requiret, vt infra; videlicet:

An locus aptus, decens, clausus, tutusq. sit.

An clauis, & sera tuta, bene seruiens.

A quo, & vbi nam conseruetur clauis. Caueat, ne ibidem, vel in aliquo loco relinquatur, vt ab omnibus possit accipi.

An Olea noua, & sufficientia sint.

An vasa ita integra sint, vt Oleum non fundant.

An omnia in vno vase, vel separatim conseruentur.

Quia Chrisma, & Oleum cathecumenorum debent in vno vase, licet distincte, conseruar, & in alio Oleum infirmorum tantum.

An cum gossipio, bombyceve seruentur.


An vasa sint stannea, vel argentea, non autem ænea, propter rubiginem, aut vitrea, ne forte frangerentur, ac sanctum Oleum funderetur.

An bene clausa, vt non possint aperiri, nisi proprijs manibus; & tecta sint illa vasa, vt ab immunditijs illæsa conseruentur sancta Olea.

An singulis annis innouentur, & vetera comburantur.

In Pa-

In Parochijs extra Cathedralem sic interroget Parochos. Cap. XIV.



N singulis annis à Cathedralis Ecclesiæ Præfecto, siue alio, cui id competit, sacra Olea recentia sibi tradi curent; cumq. ea ad Ecclesias suas deferũt, an superpellicio induti, & adhibitis luminibus id faciãt.

An reuerenter huiusmodi sacra Olea, cum ad Ecclesiam suam peruenerint, recipienda curent, ac debitum illis honorem exhiberi.

An Parochi dent aliquid, quando ea accipiunt, loco mercedis, vel premij.

An postea ipsi aliquid pro illorum asportatione, & collatione Sacramenti accipiant.

An superpellicio, & stola induti, & adhibito lumine illud ministrẽt.

An sacra Olea alicui in vsum medicinæ corporalis, vel ad veneficia, fascinationesq. dentur.

An aliud Oleum admisceant, & quantum.

Quo modo ad fontem, & ad infirmos deferant.

An serico panno inuolutum superpellicio, & stola induti circumferant.

An capite detecto, & cum lumine, & Clerico saltem præeunte: vbi talis viget consuetudo.

An gratis, diligenter, & prompte illud ministretur.

An, quandocumque petitur, etiam intempesta nocte ad infirmos deferant.

An seruentur cærimonię, & ritus Sanctæ Ecclesiæ.

An iuxta illam formam, quam eademmet tradit Ecclesia, ita ab illis ministretur, vt ab ipsa nę latum quidem vnguem recedant.

An bombyx, qua tergitur infirmus, in Sacrario vratur; sic etiam illud, quo infantis frons abstergitur, comburi debet.

An vno,& eodem gossipio, siue bombyce, vel stuppa loca vncta tergantur. Ne fiat, sed semper mutetur.

Moneantur Parochi, vt commendationi animæ agonizantium adsistant, quantum fieri potest, & vt populo frequenter declarent cærimonias, & vim huius Sacramenti, vt sciant, quid ægrotantibus profit, ac nouerint, quo tempore, quave de causa sit sumendum.

In


In Cathedralibus autem, & in oppidis insignioribus, vbi commode id fieri potest, instituatur Congregatio piorum virorum, qui semper agonizanti assistere teneantur, eumq. vsque ad extremum vitæ adiuuare. Quod ipse in Ciuitate Andriç faciendum institui, & nouandum curaui.

Primusq. ego tam pio operi exercẽdo, cæteris præiui, ac Christianæ pietatis exempla, Cruc fixum in manibus tenẽs, agonizantem verbis, & exemplis adiuuando, monstraui. Quibus sic per eum constitutis, omnia in Actis Visitationis redigi curabit, mandabitq.

Mandet præterea Parocho, vt adstantes moneat, vt pro infirmo, & agonizante orent, ipsumq. in huiusmodi vltimo Spiritus, ac vitæ conflictu adiuuent, ac corroborent.

Et, quot desides, negligentes, & culpabiles in prædictis sacris Oleis conseruandis, & ministrandis inuenerit, corrigat, emendet, &, si videbitur, puniat, ac castiget, iuxta decreta Sacrorum Canonum, & Constitutiones Synodales locorum.

Confirmationis Sacramenti ministratio, & Visitatio. Cap. X V.



INTER Episcopalis Officij munera pręcipuum est Sacramenti Confirmationis ministratio, quod Sacramentum à solis Episcopis, tanquam Sanctorum Apostolorum successoribus, ministratur. Consueuere tamen Prælati omnes pro eorum, & Diœcesis commoditate, illud semper in Visitatione ministrare, cum vnico quasi actu possit, & Visitatio fieri, & Confirmatio pueris, & adultis ministrari. [a] Ideo, si in Ciuitate, vel oppidis suæ Diœcesis cognouerit Episcopus Visitator illo opus esse, cum omni charitate paterna ouibus suis ministrabit. Propterea, visitato Sanctissimo Sacramento Eucharistiæ, & sacrorum Oleorum; si tempus superer it, ante prandium poterit pueros confirmare, & sic continuando ipse Episcopus (vt supra) indutus Pontificalibus vestibus, & mitra, & seruatis prius omnibus cærimonijs, & monitionibus in Pontificali Romano descriptis, in principio ipsius, dictum Sacramentum ministrabit. Mandabitq. Archipresbytero, vel cui hoc onus incumbit, quod omnes Confirmatos, eorumq. Patres, & Matres, & illos, qui in Confirmatione pueros tenent, cum suis nominibus, & cognominibus

[a] Ita Sanctus Greg. Papa lib. octauo Epist. 46.

gnominibus in libro deſcribat, illumq. cum alijs Libris conſeruet. Quando vero extra tempus Viſitationis Epiſcopus hoc Sacramentum miniſtrare voluerit, curet, ſi fieri poteſt, vt in Diebus Pentecoſtes fiat.

Epiſcopus Archipresbyteros ſedulo moneat, ne negligant populos ſibi commiſſos monere, ne hoc Sacramentum ſuſcipere prætermittāt; & adulti confirmandi prius confiteantur; & hoc negligentes Canonicis diſciplinis corrigantur.

Viſitatio Fontis Baptiſmalis. Cap. XVI.

EXPLETA ſacrorum viſitatione Oleorum, Fontem Baptiſmalem inuiſere debet. In cuius quidem viſitatione hæc præcipue conſiderāda proponuntur. Qualis Fons eſſe debeat. Quo in loco reponendus, qua ratione tenēdus, cuſtodiendusve ſit. Quomodo exercitandum, ac miniſtrandum ſit Baptiſmi Sacramentum; & quæ cærimoniæ adhibendæ. Quæ omnia, vt clara, & perſpicua fiant, & vt omnes intelligant, quæ ad ſaluberrimi huius Sacramenti cognitionem pertinent, placuit hęc interrogata proponere, quibus Viſitator vti poterit.

An locus, vbi ſacer Fons manet, ſit commodus, decens, ornatus, & conſpicuus.

An Fons ipſe lapideus, ſtabilis, rotundus, integer, eleuatus, & bene ſculptus ſit; vt & ſpectantibus pietatis ſpem exhibeat, nec facile dimoueri poſſit, ne caderet, ac aqua funderetur.

An opertus, mundusq. ſit, pyramideq. ornatus, ſine rimulis, ne in ſacrum Fontem immunditiæ cadere poſsint.

An conopeum pictum, ac decenter ornatum ſuper pyramidem extendatur.

An clauſus vndique, tutus, & ligneis cancellis circumdatus ſit.

Animaduertatur, ne lapis ille, ex quo Fons Baptiſmatis conficitur, aliquo tempore ſepulturæ gentilium inſeruiuerit in vſum, neve ſigna aliqua ſculpta, aut inſcriptiones profanæ ibi conſpiciantur; ſed illarum loco, piæ tantum hiſtoriæ reponantur.

An ſub pyramide bene clauſa ſit aliud tegmentum ligneum ſupra Fontem, cum clauſura tuta.

An aqua clara, mūda, & ſine ſordibus ſit, tātaque, vt ſufficere poſsit.

An

An fuerit sacrata, admi xtis sacris Oleis, debitis Sanctæ Eccl. siæ temporibus, & cærimonijs.

An vasculum mundum ad Aquam fundendam, decensq. ibi sit. In Ecclesijs autem insignioribus, vbi id commode fieri poterit, debet esse vasculum, aut cochlear argenteum, quo Aqua Baptismatis super Baptizandi caput, Ecclesiæ sanctæ more, fundatur. Sed valde laudamus, vt hoc fiat cochleare argenteo ad id deputato, & intus Fontem conseruato, prout in nostra Cathedrali Ecclesia Andriensi, & Parochijs obseruari mandauimus in prima Visitatione, & laudabiliter, & reuerenter obseruatur.

An Arca, siue capsula nucea decenter ornata cũ gossipio, siue bombyce, & linteis ad extergendum, ibidem conseruetur.

Si Olea sacra ibidem intus Fontem conseruentur, visitentur, vt supra dictum est in visitatione Oleorum, cap. 13.

An ibi Sal, an vero alibi seruetur, ne nimiam humiditatem contrahat.

An sit Sacrarium iuxta Fontem decenter coopertum, in quo lotiones manuum, & alia proijciantur.

Aquæ Baptismatis visitatio. Cap. XVII.



POST Visitationem Fontis, & eorum, quæ ad eum pertinent, Aquam quoque Baptismatis inuiset Visitator, ac de ea, ordine, qui sequitur, perquiret, ac interrogabit: videlicet:

An Aqua suis temporibus innouetur, &, quæ prius ibidem fuerat, in sacrarium proijciatur.

An adhibeatur Sal benedictum, an mutetur, & an detur Laicis.

An in collatione Sacramenti aliquid accipiatur quouis quæsito colore.

An huius Sacramenti administratio in Ecclesia tantum fiat.

An cum superpellicio, stola, lumine, libro, & alijs cærimonijs, iuxta ritum Ecclesiæ, administretur.

An, cum sacra Olea ex loco deferant ad Sacrum Fontem, reuerenter, & cum lumine præcedenti deferantur.

An prius perquiratur, si infantes fuerint baptizati domi, & quomodo, & à quibus. In quo non parua esset adhibenda diligentia, ne Sacramentum Baptismi iterari contingat.

An examinentur obstetrices, vt certo sciri possit, an formam Baptismi nouerint, nec ne.

Si nesciant, an doceantur patria lingua.

An publice in Ecclesia moneantur mulieres, ne Baptizent, si viri facultas commode haberi posset, aut alterius dignioris personæ.

An curent, vt vnus tantum, siue vnus, & vna ad summum, iuxta Sacro sancti Conc. Trid. decreta, [a] Baptizatum de Baptismo suscipiant.

An duos viros, duasve mulieres simul infantem ex sacro Baptismatis Fonte suscipere permittat.

An, qui Baptizatum suscipiunt, ex voluntate parentum eligantur. Curet omnino, vt ex eorum voluntate, ac certa scientia eligantur.

An ad suscipiendos Baptizatos admittantur omnes, non habita ratione ætatis, & peritiæ.

An regulares, [b] & nescientes rudimenta fidei. Nequaquã admittat.

An excommunicati, & non confessi tempore Paschatis. Nec admittat.

An moneat illos, qui tangunt tantum puerum, & non tenent in fonte, non contrahere affinitatem spiritualem.

An admoneat suscipientes de officio, & onere ipsorum.

An de cognatione contracta, & impedimentis eius in contrahendo matrimonia, exprimant Parochi, quæ ista sint impedimenta, quæve suscipientium officia, & onera.

An moneant parentes, ne per annum secum habeant infantes in lecto. Prohibeant, ne fiat.

An puerperæ benedictionem suscipiant in Ecclesia.

Quo modo illa fiat; & an Parochi aliquid ab eis accipiant. Exprimant.

An aliquando declarent Parochi Ecclesiæ cærimonias populo. Si sint idonei ad id faciendum, videant.

An faciant Librum Baptizatorum, & Confirmatorum, scribendo Patrem, & Matrem Baptizati, & nomẽ ipsius Parochi, ac etiam Baptizantis, & leuantis, diem, & annum.

An faciant etiam Librum eorum, qui contrahunt matrimonia.

An moneant populum, quod in ligando, vel soluendo fasciam lineã Baptizati, vel Confirmati, non contrahitur affinitas spiritualis [c].

Tandem moneantur Parochi, vt gratis, & sincere Sacramentum hoc administrent, cum vehementi, quo ad eius fieri potest, intentione regenerandi hominem in Christo, & faciendi quod facere intendit Ecclesia, ad laudem, & gloriam Dei Omnipotentis.

[a] Sess. 24. c. 4. de refor. & c. nõ plures de conf. dist. 4.

[b] Non liceat. ca. Monachi de cõs. dist. 4.

[c] Conc. Trid. sess. 24. ca. 2. de reformat.

Reliquiarum

Reliquiarum Sanctorum visitatio. Cap. XVIII.



IN illis Ecclesijs, in quibus Sanctorũ Reliquiæ erunt, statim completa Visitatione præmissa Sacramentorum, expediet prius Sanctorum Reliquias visitare, antequam maioris Altaris, ac Ecclesiæ visitatio fiat; ac præcipue, si huiusmodi Reliquiæ super Altare maius conseruentur, sicuti in nostra Andrien. Ecclesia, in qua mille, & trecentæ Reliquiæ plus minus, partim conspicuæ reclusæ, & apparentes in Icona, partim vero in Sacrario muabus, & thecis argenteis, & eburneis margaritis ornatis, portatilibus conseruantur: quarum omnium à nobis index libellus est confectus, quoniam prius non erat, & in Libro Visitationis descriptus, & in fine Noui Officij, & Missæ Sancti Ricardi primi Episcopi Andrien. per nos compositi, & iussu Fel. Mem. Sixti PP. V. Romæ ad nostram instantiam impressi, imprimi Alphabetico ordine curauimus, ad perpetuam memoriam; vt fieri conuenit, ac rationi consonum est. Vt igitur huiusmodi Visitatio recte peragi possit, & omnes suo munere fungantur, Visitator, præsentibus, & adiuuantibus Deputatis, conuocatis illius Ecclesiæ dignitatibus, Sacristis, ac ijs, quibus onus illas Reliquias conseruandi incumbit, eos interrogabit, vt infra.

An habeant indicem libellum omnium Reliquiarum. Exhibeant, si habent, & legatur, & videatur diligenter, si integræ, & omnes sint, ne deficiant, & si bene conseruantur; si non habent, faciendum quamprimum curet, ac mandet.

An sepultæ, & quæ non videntur, habeant signum desuper.

An non sepultæ in capsa cum vitro, aut alias, in Reliquiario, vel alibi clausæ conseruentur.

An vas, in quo conseruantur, sit mundum, conspicuum, siue diaphanum, & clausum.

An locus separatus, mundus, non humidus, & clausura tutus.

Videantur claues, si bene seruiunt; & quæratur, vbi, & apud quos maneant.

An ibi lumen, iuxta Ecclesiæ facultatem, ardeat, vbi Reliquiæ conseruantur; si non ardeat, videat, an accendi debeat.

Videantur.

NOMINA, documenta, certitudo, antiquitas illarum Reliquiarum, ex quibus certæ ſunt ſcribendæ, & vſu receptæ à non receptis ſeparandæ.

Si non ſint documenta, & non habeant nomen; fiat Congregatio Theologorum, aut in Concilio Prouinciali diſcutiendum proponatur, vel Sacra Congreg. Rom. per litteras conſulatur.

Fiat, ſi commode fieri poteſt, Sermo de Veneratione ipſarum, iuxta Concilium Tridentinum [a].

Quod ſi eſſent oſtendendæ ſuper Altari in Reliquiario, tunc vocetur Sacerdos, cui incumbit onus illas cuſtodiendi, & interrogetur, vt infra.

a ſſ. 25. c. inuoc. & .erat & re

Circa Reliquias oſtendendas,

QVOMODO exponi, & reponi in ſuis diebus feſtis ſoleant. An à ſacerdote, & à quo, an cum ſuperpellicio, ſtola, & luminaribus.

An tunc cantetur Hymnus, & qualis, mandabitque, quem iam volet, nec alium cantari permittat.

An cuſtodes ſint presbyteri approbati, non autem pueri.

An ſit aliqua ſuperſtitio in ueneratione illarum.

An, quo die oſtenduntur, fiant comeſſationes, vel quid profanum.

An quid tumultuarium, inhoneſtum, an præpoſterum, contra Concilium, & Canones.

An à ſæcularibus eas tangi permittatur. Caueant. ſed videndas tantum exhibeant. viris autem, ſiue fæminis inſignibus, vas tantum deoſculandum præbeant.

An vendantur, vel donentur. Prohibeatur ſub cenſuris.

Claues Reliquiarum, vbi, & apud quem.

Reliquiæ oſtenſoriæ, vbi fieri poteſt, mandet, quod conſeruentur in capſulis, ſeu tabernaculis argenteis, vel æneis deauratis cum vitro, vel cryſtallo diaphano.

Prohibeat, ne Reliquiæ incertæ, quæ non habent inſcriptionem ſui proprij nominis, aliquo pacto oſtendantur, ſed tantum reuerenter conſeruentur.

Moneatur Parochus, vt fideliter, & deuote ſe gerat, & ipſas non oſtendat abſque cærimonijs prædictis, & habita licentia à Reuerendiſſimo Domino, & ad nullum quæſtum.

Et, ſi

Et, si prædicta omnia non sic bene dispoſita, & accommodata inuenerit, mandet, vel prohibeat, vt fiant, prout res, tempus, ac locus postulabunt, cum pœnis Canonicis, & termino, arbitrio Visitatoris, iuxta qualitatem rei, & loci, præfigendo.

Visitatio Altaris maioris. *Cap. XIX.*

Die N. Menſis N. 1586.



EVERENDISSIMVS Pater Dominus N. Episcopus N. Visitationem iam cœptam prosequendò vna cum prædictis Coassumptis contulit se ad prædictum Reuerēdissimum, & post Aquæ benedictæ aspersionem, factaq. oratione cum profunda reuerentia ante Sanctissimū Sacramētum ibidē præsentibus R.R. N. N. Archidiacono, &c. & N. Sacrista visitauit Altare maius ipsius Cathedralis Ecclesiæ, quod inuenit in capite ipsius Ecclesiæ ex parte orientis sub Tribuna fornicata sculpta, positum, lapideum, firmumque, consecratum, & ex omni latere circumdatum, supra quod reposita est Custodia deaurata Sanctissimæ Eucharistiæ iam visitata.

Habet pallium damasci rubei cum Cruce aurea, & insignibus, vel armis N. habet tres mappas.

Videatur, si adsunt infraſcripta, &, si desunt, mandet cum termino conuenienti, vt fiant.

An Altare sit, vt supra dictum est.

An supra habeat vmbellam, & quam.

An sint gradus, & quanti.

An habeat planitiem ante ipsum.

An habeat bradellam ligneam, & firmam.

Quot mappas. Ad minus tres mundas; sed superior ita oblonga fit, quæ vsque ad imam Altaris partem pertingat.

An habeat Crucem argenteam, æneam, vel ligneam, deauratam, vel pictam in medio, & quæ, vel qualis sit, describat omnia sigillatim.

An desuper extendatur tela viridis, vel alterius coloris, siue corium, aureum, vel coloritum, ad arcendam puluerem.

An habeat tabellam, continentem Secreta Missæ, cum tabula lignea bene conglutinata.

Videat,

Videat, curetque, vt Altare nullis prorsus immunditijs, vel puluere sit infectum.

An habeat Candelabra ornata, & decentia, & quæ sint, an argentea, ænea, vel lignea.

An habeat puluinaria diuersorum colorum, quibus diuersis temporibus vtitur Ecclesia. Duo ad minus cuiuslibet coloris esse debent.

An habeat Pallia omnium pariter colorum, quibus Ecclesia vti cõsueuit, & quot, quæve sint.

An habeat identidem tot Planetas, & dalmaticas dictorum colorum, cum suis stolis, & manipulis.

An habeat Missale nouum Romanum, cum suis signaculis.

An tegumenta Missalis eorumdem colorum, quos diximus, habeat, & quot.

Quot Albas, quot Amictus, quotve Cingulos habeat ad vsum prędictorum paramentorum, quando cantantur Missæ conuentuales, & sollemnes.

Quot Corporalia, quotve Purificatoria.

Quot Calices, & qui sint.

Quot Bursas, vel Capsulas sericeas pro conseruandis corporalibus.

Quot Vela sericea diuersorum colorum, quibus Ecclesia diuersis anni temporibus vtitur pro Calice cooperiendo.

An sit Turibulum, cum acerra, siue nauicella, & cochleari argẽteo. In Ecclesijs autem, quarum census est exiguus, sit saltem ex aurichalco.

An sit Tintinnabulum pro eleuationis signo dando.

An sint Tapeta ad vsum cooperiendi scabellum.

An sint Vrceoli duo argentei vel vitrei, cum Bacili argenteo, vel ex aurichalco, iuxta facultates Ecclesiæ.

An sint Candelabra lignea deaurata, pro eleuatione Hostiæ. In Cathedralibus ad minus quatuor esse debent.

Reliqua videantur in Visitatione Sacristiæ. Hæc tantum sufficiant pro ornatu Altaris maioris.

An prope Altare maius sit Abacus, siue Credentia, pallio, & mappis mundis cooperta, & ornata decenter.



Visitatio

Visitatio Iconæ Altaris maioris. Cap. XX.



VA QVIDEM Visitatione Altaris maioris, sic hoc ordine præscripto peracta, æquum est, vt suspiciens Visitator, Iconam quoque inuisat, an recte disposita sit, an decenter ornata, an vero vetustate corrosa, atque labefactata sit. In qua, quidem Visitatione, vt facile omnia exequi possit, hunc, qui sequitur, ordinem sibi obseruandum poterit proponere. Primo, longitudinem, latitudinemq. ipsius Iconæ in libro Visitationis describendam curabit, considerabitque, an firmiter infixa sit, ac ita immobilis permaneat, vt non facile remoueri possit, nec per se decidere. Deinde signa, siue figuras omnes describet, quo ordine sint disposita, & quot numero sint.

An pietatis, & religionis speciem, habeant, ita, vt intuentes ad pietatem prouocent.

Describatque, quis eam faciendam curauit, & cuius expensis facta reperitur, si memoria haberi poterit. Qua in re diligenter animaduertet Visitator, ne alia signa, præterquam Sanctorum, in ea, si fieri poterit, effingantur, ac ita delineentur, ac pingantur, ne ore, aut corporis dispositione, gestuve, aliud, præterquam pietatem, præseferant.

Postea, ornamenta, quæ vndique circa ipsam sunt, aspiciet, ac diligenter considerabit.

An Diuino cultui apta, & congruentia sint; prouidebitque, ne scurrilia quædam apponantur ibi, quæ spectantes ad risum, potius, quam ad pietatem, ac religionem prouocare solent. non enim recte Diuina profanis miscentur. Quin immo, si quod ibi tale repererit, laudauerim, vt tollendum quamprimum curaret, ac illius loco, pia aliqua Sanctorum signa reponenda mandaret.

Postremo, considerabit, quo modo cooperiatur, à puluere præseruetur, an scilicet tela aliqua super ipsam extendatur, in qua colorem, qualitatemq. obseruabit; & an recens sit, & decenter ornata, an vero vetustate conscissa, ac corrosa; an vero ligneis foribus occludatur, in quibus, si quæ Sanctorum Reliquiæ fuerint, ea visitabit, vt supra [a] docuimus. Si qua autem ibidem signa, ornamentave fuerint, ea quoque inuiset, ac loco, vbi reperiuntur, congrua esse curabit.


a Prima part. c. 13. per tot.

Tribuna

Tribuna Ecclesiæ. *Cap.* *XXI.*

DEINDE, Visitationem prosequendo, visitauit Tribunam ipsius Ecclesiæ Cathedralis, quam inuenit bene dispositam, fornicatam, & dealbatam, ac Ecclesiæ conuenientem. pro quibus Deo gratias egit: vel, si aliquid desit, mandet, vt fiat; & ipsam, prout est, in Visitatione describat.

Lampades ante Altare maius. *Cap.* *XXII.*



V O T Lampades ardeant, an sint plures, vnaque, vel tres continuo accensæ permaneant; quæ autem in medio positæ sunt, vna, vel tres numero sint semper, vel plures dispari numerd.

An omnes accendantur, vel quando, & quantæ.

An in illis, quæ continuo ardent, sint Lampadaria ex vitro, vel tela, ne à vento extinguantur.

Cuius impensis ardeant.

An munde, & nitide conseruentur.

Videat, vt integræ sint, ne fundant Oleum in terram.

Videat præterea Oleum, vt sit clarum, & lampades tersæ, ac nullis sordibus coinquinatæ.

Curet Visitator, vt Lampades, quæ continue ardent, habeant Lampadarium ligneum deauratum, vel vitreum, vel saltem ex tela incerata, ne à vento extinguantur.



Scabella

Scabella ad vsum orandi, siue Cancella. Cap. XXIII.




N ante Altare circum circa sint Scabella ad vsum orandi, cum balaustis, vel columnulis ligneis, vel lapideis.

An desuper extendantur mappæ mundæ pro communione ministranda, quando tamen ministrant.

Si non sint prædicta omnia, curent quamprimum facienda.

Sedes Pontificalis. Cap. XXIV.



N Sedes Pontificalis sit lapidea, vel lignea.

An habeat gradus, & quot. Ad minus quatuor esse debent.

An sint Scabella ad vsum assistentium, inferiora Sede prædicta.

An ex parte Euangelij, & prope Altare, sita sit huiusmodi Sedes Pontificalis. Aduertat, vt non sit ex Cornu Epistolæ, nisi aliter fieri non possit.

An habeat post gradus planitiem; vt debitum obsequium Episcopo commode præstari possit.

An adsit Tapetum, vel aliud pannum, pro gradibus cooperiendis.

An desuper Vmbella, & vestes ipsorum colorum, quibus Sancta Ecclesia diuersis anni temporibus vtitur.

An sericea, vel ex panno sint.

An habeant Insignia, & à quibus fuerint facta.

An Fimbrijs, & alijs ornamentis decentibus sint ornatæ.



Visitatio Cappellarum, & Altarium ipsius Ecclesiæ. Cap. XXV.



CONTINVANDO ipse Reuerendissimus D. Episcopus cum prædictis Coassumptis Visitationem iam cœptam, & visitato Altare maiore, vt decet, Altaria, & Cappellas ipsius Ecclesiæ visitare decreuit: & primo incepit à Cappella Sancti Petri, quæ est in latere dextro ipsius Ecclesiæ, vt infra.

Cappella Sancti Petri.

VISITAVIT Cappellã, & Altare Sãcti Petri, & inuenit in ea Altare lapideum firmum, cum lapide sacro infixo æqualiter; (si desuper, & mobilem inuenerit, mandet, vt infigatur firmiter, & æqualiter) & supra dictum Altare est figura, seu imago Sancti Petri in muro depicta, valde decens, & deuota; &, si ita non est, ipsam describat, prout est; similiter describat, si imago est in tela, vel in tabula, prout est; &, si non est decens, mandet, assignato termino, vt fiat, iuxta facultates redditum.

Si Cappella fuerit depicta tota, describatur, & describantur figuræ Sanctorum, quorum Imagines ibi fuerint supra Altare; si non sint figuræ decentes, & contra formã Sacrosancti Concilij Tridentini [a], mãdet, vt fiant, vel quod fiat super Altare imago sculptilis, vel depicta pulchra, in tabula, vel in tela, & reliquum Cappellæ dealbetur; & hoc, arbitrio Visitatoris, prout magis expedire iudicauerit. Quòd si dictum Altare careat mappa maiore, quæ debet ab vtroque latere vsque ad ima pendere, mandet, vt fiat.

[a] Sess. 25. de inuocat. & ven. & reliq. sanct.

Pari ratione, si careat pallio, vel quod non sit decens, mandet, vt fiat, habita ratione facultatum, ac redditum; qui si tales fuerint, vt plura pallia diuersorum colorum, quibus Ecclesia diuersis anni temporibus vtitur, confici possent, facienda quamprimum mandet, curetque. & hoc totum iudicio, arbitrioque Visitatoris integrum relinquitur.

Videatur

Videatur postea,

AN Altare sit vt supra.
An habeat mappas tres, vt supra; & si est maior, vt supra.
An pallia diuersi coloris, & qualitatis, & quot.
An duo Candelabra saltem.
An Crucem in medio saltem ligneam deauratam.
An Tabellam, Secreta Missæ continentem, cum tabula lignea conglutinatam.
An ad minus Puluinar vnum, ad vsum Missalis.
An Telam viridis coloris, ad arcendam puluerem.
An Campanulam muro affixam.
An Clauum muro affixum prope Altare, pro reponendo biretto Sacerdotis celebrantis.
An Fenestellam ex parte Cornu Epistolæ, pro Bacili, & Vrceolis conseruandis.
An Bacile, & Vrceolos vitreos.
An Candelabrum gestatorium magnum cum Cereo pro eleuatione Hostiæ, & Calicis.
An indumenta Sacerdotalia: &, quæ sint, videat diligenter.
Quod si decentia non fuerint, laceret, & mandet decentia fieri. Sic etiam fiat in reliquis prædictis, & sequentibus.
An Calicem cum Patena, & cuius generis metalli.
An Missale cum suis Signaculis.
An Tegumentum Missalis, si facultates suppetant.
An Corporalia, Purificatoria, & Vela sericea ad vsum Calicis.
An Bursam, vel Capsulam sericeam, ad vsum recondendi, ac conseruandi Corporalia.
An sint Cancelli ferrei, vel lignei, qui possint claudi. Si non sint, quòd fiant, si possunt fieri.
Hæc omnia videantur iuxta qualitatem Cappellæ, & Beneficiati.

In Cappellis separatis ab Ecclesia: quia hæc dicuntur in Sacristia.

AN sit Tabella continens orationes, ante, & post Missæ Sacrum dicendas.
An sit Tabella alia, continens orationes, quæ à Sacerdote dicuntur; cùm Missæ Sacrum facturus vestes sacras induit, & exuit.
An Scabella firma, lignea, vel lapidea.

An Candelabrum ad vſum accendendi faculam pro eleuatione Sanctiſſimi Sacramenti.

An Pauimentum mundum ſit, & æquale.

An ſit fornicata, nec ne, an depicta, aut qualis.

An Cancellis ferreis, vel ligneis ſit munita, cum ſera, & claue. Si non ſit talis, mandet fieri, & accommodari: quotidieque, peractis Officijs Diuinis, à Sacriſta claudatur; & Altare ſemper decenter ornatum permaneat.

His peractis, ac omnibus ſic deſcriptis, & prouiſis, interroget poſtea Viſitator, quis Cappellanus, & deſcribat in hunc modum: videlicet.

In qua Cappella, ſeu Altari eſt Cappellanus N. de N. & eſt de collatione ordinaria, prout demonſtrauit per oſtenſionem litterarum ſuæ Canonicæ inſtitutionis, expeditarum à Reuerendiſſimo D. N. Epiſcopo N. ſub Datum N. Die, Menſe, & Anno, vel prout nobis conſtitit per alios Libros Viſitationum præteritarum; vel, ſi eſt de iure patronatus, videat, vt ſibi conſtet, iuxta decreta
Seſſ.25.c.9. e refor. Sacroſancti Concilij Tridentini; [a] & omnia deſcribat, prout inuenerit deſcribenda, præſentationes litterarum, miniſtrorum, prout ſupra, deſcribendo onus iniunctum illi celebrandi ſemel, bis, vel ter in hebdomada, vel quoties, prout ibi inueniet; & ſic omnia alia onera; & interroget, an plene ijs ſatisfaciant; mandet, impoſitis pœnis, adimpleant; vt in poſterum omnia, ad quæ tenentur, re ipſa præſtent, curentq. omnino, vt omnes iniunctum ſibi munus impleant; quæ antea per negligentiam prætermiſſa fuere, reſarciant, ne animæ defunctorum defraudentur ſuis debitis ſuffragijs.

Quod ſi Cappellanus non habeat Canonicam inſtitutionem, ſimiliter deſcribat,& notet;quia non facit fructus ſuos, ſed ad eos reſtituendos tenetur, & priuandus in fine Viſitationis, in prolatione decretorum debet condemnari.

Deinde mandet,vt præſentet Inuentarium bonorum mobilium omnium, & ſtabilium ipſius Eccleſiæ, ſeu Cappellæ, quod alligabit, & conglutinabit in Libro Viſitationis.

Quod ſi Inuentarium bene deſcriptum cum Iuribus, prout in Edicto Generali mandatum fuit, non præſentauerit, ipſum Cappellanum cogat ipſum quamprimum præſentare, cum deſcriptione confinium; prout decet, & ſolet fieri.

Curet præterea, ac prouideat, vt ea, quæ debent fieri, fiant, termino conuenienti aſſignato, & pœnis Canonicis appoſitis ijs, qui parere recuſauerint; &, quantum poterit, pœnas pecuniarias declinet; ſed, ſi aliter fieri non poterit, operibus pijs, vel certis illas applicet

Procura-

Procuratori, seu Præceptori prouentuum soluendas, & non Procuratori Mensæ Episcopalis.

Et hoc modo visitare debet omnia alia Altaria, & Cappellas, scribendo, & notando omnia, prout ea inuenerit; &, quæ resarcienda, sunt, resarciantur; & quæ de nouo facienda, de nouo, vt fiant, curet, ac mandet.

Tectum Ecclesiæ. *Cap.* *XXVI.*



SVSPICIENS postea, visitauit Tectum ipsius Ecclesiæ, quod inuenit supra Chorum, bene dispositum, & accommodatum, vel fornicatum, vel egens reparatione, &, prout fuerit, describat, prouideat, & mandet, vt fiat, à quo fieri debet, præfixo termino.

Ne supra illud sint cubilia, ne ve quis ibi inhabitet, præcipue sæculares personæ.

Vt bene reparetur à pluuia.

Supra Altare maius saltem sit fornix, vel laquearia picta, vel deaurata.

Muri Ecclesiæ. *Cap.* *XXVII.*



SIMILITER visitauit parietes Ecclesiæ, &c. mandauit reparari, dealbari, &c. prout inuenerit esse necessarium, & vt mundi, absque araneis, telis. & puluere, & immunditijs seruentur,

Si sint picturæ, & sculpturæ lasciuæ, & impiæ, tollantur.

Imagines, vel statuæ corrosæ tollantur pariter.

An sint reparandi, intus & extra, reparentur.

Si non sunt dealbati, dealbentur; prout hodie in omnibus Ecclesijs seruatur.

Ne supra illos ab aliquo sit fabricatum.

Nec illis vllo modo adhęreat domus profana, vbi fieri potest.

Nec quid profanum, sordidum, & inhonestum fiat prope illos.

Fenestra

Fenestra Ecclesia. Cap. XXVIII.



IDEAT, ne sint superfluæ, & damnosæ; si autem Ecclesia obscura appareat, mandet plures fieri, & ad arcendam pluuiam, & ventum, vt vitris, vel tela, cera illinita, sint occlusæ.

Et, quæ occludendæ sunt, mandet claudi.

Curet, ac mandet, districtè præcipiendo, Ne sæculares habeant fenestras, quibus intra Ecclesiam prospicere possint.

Crucifixus. Cap. XXIX.



ESCRIBATVR, quo in loco conseruetur, & quomodo, & qua egeat reparatione, mandet resarciri, & perquirat, à quo factum fuit, idest impensis cuius.

Videat postea, an sit deuotus, & decens.

Quod si indeuotus, ac corrosus fuerit, tollatur, & alius nouus, ac decens fabricetur.

Quomodo pie, & honorifice seruetur, vt decet; &, si fieri potest, teneatur Lampas accensa, certis saltem diebus, ad excitandam deuotionem.

Organum. Cap. XXX.




IMILITER describatur, & visitetur, quo in loco sit Organum, quibus egeat, & quæ, quantave merces detur Organista, & à quo; si bene, & diligenter officium suum exercet: mandet, & reformetur prout sibi videtur.

Videat, ne canentur cantus lasciui, sed spirituales; &, si bene,&

ne, & pie psallant. Scriptum est enim: *In chordis, & Organo laudate Deum.*

Suggestum. *Cap. XXXI.*



N sit in loco conspicuo, & eminenti, vt Concionator possit totam quodammodo Ecclesiam prospicere, ac oculis lustrare.

Curet, ac videat, An sit in medio Ecclesiæ, vt possit ab omnibus commode audiri.

An ibi sit Crucifixi effigies, apte, ac bene accommodata.


Quod scala, quæ ascenditur, sit plana, & commoda, prout melius fieri poterit.

Prouideat, quod feminæ à viris semotæ maneant, tabulis, vel tela extensa diuisæ, ac segregatæ.

Quod super Suggestum sit Laqueare, seu Baldachinum ligneum laboratum, ac decenter ornatum, ne vox Concionantis desuper dilatetur, ac diffundatur.

Animaduertat, quod sub Suggestis non sit Altare. quod si erit, tollatur.

Chorus. *Cap. XXXII.*



N sit ex lignis cōfectum, videlicet, nuce, vel abiete, describatque ipsius formam; tum, quot sedilia desuper in medio, & in ima parte sint.

An sit ornatus, sculptus, occlusus, & separatus à laicis.

An sint loca, subsellia, & alia Diuino cultui condecentia.

An sint in medio Ecclesiæ, vel vbi. Quod si fieri potest, vt secus Altare maius collocetur, melius: prout hodie in omnibus Ecclesijs quasi seruatur.

An ser-

An ſeruetur ordo in ſedendo; vt ſupra in dignioribus locis primiores, & dignitates Eccleſiæ, poſtea Canonici, Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi, iuxta eorum promotionem, ac dignitatem ſedeant, & Clerici, ſemper ſtent.

Quod ſi inuenerit hanc ibi conſuetudinē ſeruari, qua ſolum Presbyteri ſedeant, reliqui vero inferiores ſtent; vt bene, & inuiolabiliter in Cathedrali Eccleſia Ciuitatis Licij ſeruatur; curet omnino hanc laudabilem conſuetudinem ſeruari [a].

a c. non oportet. il primo q. diſtinc.

An egeat refectione, & reparatione.


An ibi ſeruatur ſilentium.

An debitæ cæremoniæ in Diuinis officijs ſtandi, ſedendi, genuflectendi, capita tegendi, & detegendi, à Choro diſcedendi, veniendi, & redeundi, & ſimilia ſeruentur.

An ſit Sedes Epiſcopalis in Choro alijs omnibus eminentior, præter eam, quæ eſt prope Altare maius; &, ſi habet veſtes quatuor colorum, quibus Eccleſia vtitur.

An ſit in eodem Choro Sedes Vicarij; omniaq. particulariter deſcribat, vt repererit; prouideat, & decernat, prout neceſſarium, & opportunum iudicabit, ſecundum Eccleſiæ qualitates, & vires.

Pulpita in Choro, ſeu lectecilia. *Cap.* *XXXIII.*



AN ſunt plura, vel vnum tamen, vel duo, ſcribantur; an omnes ad canendum ibi deſcendant, vel qui, & quot numero, & qui ordo in hoc ſeruetur. An ſint determinati, aut inuitentur, vel quomodo, qui ad canendum accedunt.

An in diebus feſtis deputentur Canonici, vel Preſbyteri ad intonandum, ac cæteris in canendo præeundum.

An in ſollemnitatis diebus deputantur, & à quo, & an cum pluuialibus incedant, maxime in Pontificalibus, Veſperis, & Miſsis: nec aliter fieri permittat.

An Pulpita egeant reparatione, & an ſint in loco lucido; vt Cantores commode, quæ canenda ſunt, videre poſsint.

An legantur à deputatis Antiphonæ, quando pſallente organo replicantur in Choro, quia debent legi aperta voce, dum organo pſallitur.

Porta

Porta Ecclesiæ. Cap. XXXIV.

PORTA maior an ad Occidentem pertineat, & quorsum aliæ spectent, & quanto numero sint, describantur omnia.

An super ea sint supportica, nec ne.

An sint firmæ, & stabiles, vel egeant reparatione.

An bene, & firmiter claudantur ex parte inferiori.

Si seræ, & claues bene aptatæ sint, & accommodatæ.

Quisnam curet ipsas claudere, & aperire, & qua hora, & claues retinere.

Fontes aquæ benedictæ ad vsum aspergendi. Cap. XXXV.

DEBENT esse intra Ianuas Ecclesiæ à latere dextero; & in Ecclesijs maioribus, & insignioribus, vbi hoc commode fieri potest, sint ex vtraque parte.

Videat, quod Fontes sint marmorei, & expoliti, & bene laborati.

Tollanturque inscriptiones gentilium, si ibi fuerint, nec vllo modo in his permittantur.

Quod sint integri, ne aquam fundant.

Quod aqua sit munda, noua, & clara.

Quod semper sint asperforia ad vsum introeuntium.

Interroget, an singulis Sabbathi diebus innouetur, & benedicatur ab Hebdomadario, superpellicio, & stola induto; & vetus in sacrario, vel per Ecclesiam proijciatur.

An singulis diebus Dominicis populi fiat aspersio, iuxta ritum Ecclesiæ.

Interoget, per quem, & quando fiat, quia in Ecclesijs Parochialibus, & paruis, fit per Presbyterum celebrantem; in Cathedralibus, & alijs insignioribus, fit per Diaconum, antequam Missa conuentualis incipiatur, & processionaliter totam Ecclesiam circumeun-

do, ac aspergēdo; prout laudabiliter fit in nostra Cathedrali Andrien.

Prohibeat, pœnis impositis, ne homines prope eos, ne ve prope portas Ecclesiæ stent, vel super eos reclinent corpora ad quiescendum, ne ve super Altaria.

Demum interroget, an Ecclesia sit consecrata; videat, an sit Crucibus signata, rubeis, nec ne; mandet, vt Cruces depingantur duodecim, si non appareant.

Quod si Ecclesia non fuerit consecrata, consecretur, seruato ritu, ac consuetudine Sanctæ Romanæ Ecclesiæ.

Confessionalia. *Cap.* *XXXVI.*



N Confessarij in Confessionalibus sedeant, induti superpellicijs, & stolis, quando audiunt Confessiones: si ita Visitatori videbitur.

An ante ortũ Solis, & post occasum, mulierũ confessiones audiãtur.

An Confessionalia sint numero sufficientia.

An præbeant aures pœnitentibus, facie ab eis auersa, præcipue, quando audiunt Confessiones mulierum.

An sint lignea commoda, tam ad vsum Confessoris, quã pœnitentis.

An sit cratis ferrea, vel lignea inter Confessorem, & pœnitentem.

An pœnitens commode genua flectere possit.

An ante oculos pœnitentis sit imago Crucifixi.

An ex parte Confessoris sint in tabula affixa casus Sanctissimo Domino, & Ordinario reseruati.

An sint in loco conspicuo, & non in angulis, vel in cappellis, & locis obscuris.

An in alijs locis non audiatur Confessio, necessitate excepta.

Pauimentum Ecclesiæ. *Cap.* *XXXVII.*



ISITAVIT Pauimentum, Quod inuenit, &c.

Mandet, vt sit lapideum, æquale, & bene accommodatum, ac concinne dispositum, iuxta Ecclesiæ facultates, atque mundum à sordibus conseruetur per Sacristas, qui in eo inuigilent; vt, cum mortui sepeliuntur, lapides sepulcrorum postea bene aptentur, ac cetero pauimento æquentur.

Saltemq. semel in hebdomada emundetur à sordibus.

Sepulcbra.

Sepulchra. *Cap. XXXVIII.*




N ſint vicina Altaribus, vel ſubtus illa.
An ſint bene clauſa, ne fetorem emittant.
An habeant operimenta lapidea, æqualia pauimento Eccleſiæ.
An ſupra ſepulturas ſint inſignia offendentia, ac ſculpturæ ſimiles.
Lignea Depoſita tollantur.
An Cruces pauimento inſculptæ, vel nomen Dei, ita, vt pedibus ambulantium conculcentur.
An ſubterranea loca claudenda, an alia. Prouideantur.

Feretrum. *Cap. XXXIX.*



IDEAT, ac curet, vt bene accommodatum ſit, & in omni Parochiali, & Collegiata Eccleſia.
Vt id in loco conſeruetur, quòd non impediat Eccleſiæ, & Cappellarum miniſteria.

Cœmeterium. *Cap. XL.*



N ſit clauſum, & vndique ſæptum; ſi ſit, ſic conſeruetur; ſin minus videat, ac conſideret, An poſsit claudi; ne animalium incurſionibus pateat, & claudatur, ac ſæpe circundetur, vel muro.
Ne immunditiæ ibi ſint, nec petræ, nec ligna, ſed vacuum ſit prorſus, & expeditum.
Ac ſit ibi Crux, & Cappella, & Vas aquæ benedictæ. Si nō ſit, erigatur.
An ſint ibi oſſa in humum aſperſa.
An oſsium congeries.

An terra illa effodiatur, areturve, vel aliquid in ea plantetur. Non permittat id fieri; curetque, ne prope Ecclesiam, & parietes, sint arbores, vineæ, vel quid simile.

An mortuorum corpora ibi sepeliuntur.

Si ibi sint sepulcra. Subterranea permittat; & prohibeat, ne ibidem fiant ioci, nundinæ, & similia.

Porticus Ecclesiæ. Cap. XLI.




AN ante Portam Ecclesiæ sit Porticus. Videat, curetque, ne ibi fiant ludi, nec nundinæ, neque aliquid profanum, & inhonestum.

Ne ibi sint sedilia, in quibus possint homines sedere, & fœminæ, & confabulari, ac propter hoc à deuotione, & ingressu Ecclesiæ retrahantur.

Tollantur illico, si fuerint; pro vt factum fuit in Cathedrali nostra Andriensi de nostro mandato in Visitatione.

Campanile. Cap. XLII.



AN sit prope Ecclesiam, vel cum Ecclesia connexũ.

Ex qua parte maneat.

An sit coopertum ad formam Campanilis, vel detectum.

Quot Campanas habeat, & describat magnitudinem, & paruitatem, cum numero, & pondere earum, si ita videbitur.

An sint benedictæ. Sin autem, benedicantur, si videbitur.

An bene accommodatæ, & deseruientes.

An sit in eo porta, cum sera, & claui.

An semper clausum cum sera ita permaneat post peracta Diuina.

An sit scala commoda ad ascendendum, & descendendum.

An possit in omni tempore Sacrista ipsas pulsare.

An bene deseruiẽt Campanarum ministri Sacristæ, & debitis horis.

An ibi

An ibi bene, & honeste versatur ab hominibus; ne fiant ibi ludi, peccatave; ne quid inhonestum, & profanum; nec pueri, & adolescentes ibi versentur.

Circa alias Ecclesias visitandas post Cathedralem. Cap. XLIII.



V IDEAT, & describat Regionem, Nomen, Rectorem, Possessorem, an sit Collegiata, Parochialis, Titularis, & de iure, vel collatione Ordinarij, & an sit consecrata.

An dependenti, simplicive Ecclesiæ annexa, vnitave fuerit, &, prout erit in facto, eam eodem met ordine describat, & infra scripta perquirat, præter ea, quæ superius diximus.

An scilicet sit Iuris patronatus. Si fuerit, videat, quod constet, iuxta Concilij Tridentini decreta; [a] &, qui eam in titulum obtinet, dicat, & ostendat litteras. a Sess. 25 c. 9. de refor.

An alteri Ecclesiæ vnita, & an ei alia beneficia vnita sint, & quæ, exprimantur; fundationem, iura, priuilegia exponat.

Inuentarium bonorum stabilium, & mobilium exhibeat.

Redditus, & in quibus consistant, deponat.

An in ea sint Canonici, & quot.

An habeant Præbendas diuisas, vel in communi.

Quo modo seruiant.

Quæ expensæ fiant; quæ onera, obligationes ipsis incumbant, & an satisfiat.

Qui non satisfacit muneri suo, vt tenetur, citetur ad restituendum fructus, vel sequestrentur fructus Præbendæ eius.

Quando aperta teneatur, & quando clausa.

An, quando est aperta, aliquis curam eius habeat.

In Cathedralibus, & Collegiatis, insignioribus maxime, eligendus, ac instituendus esset aliquis, qui in die curam eius habeat, & prohibeat fieri in Ecclesia quæ non debent, vt infra dicitur.

An in eis fieri permittantur, quæ sunt reprobanda, [b] & prohibita. b Infra eod. c. 3. 9. & 40.

An sæpius araneæ, & puluis circum amoueatur.

An saltem semel in hebdomada pauimentum emundetur.

An ornetur pannis, seu picturis lasciuis, aut gentilium.

An fiant ibi sepulturæ, & monumenta, sine licentia.

An pro

An pro eis aliquid Ecclesiæ annuatim soluatur, & quantum.
An ibi sit fabrica, & quæ, quosve redditus habeat pro ea, exhibeat.
An redditus illi separati sint ab alijs, & quæ impensæ fiant.
An libri computorum fiant, & ratio reddatur à ministris.
An ibi indulgentiæ sint, & quales, ostendantur.
An sint aliquæ prauæ consuetudines, tollantur.
An sit Societas Sanctissimi Sacramenti. Si non sit, instituatur.
Vocentur Ecclesiarum possessores, moneanturque, vt adsint cum litteris ordinum, & beneficiorum.

Videatur, an sint idonei ad onus sibi impositum sustinendum; & an exequantur id, ad quod tenentur.

Exhibeatur Inuentarium bonorum omnium. Quod si Ecclesia reparatione indigeat, aut ornamentis, sequestrentur fructus, quoad omnia executioni demandata fuerint.

In qualibet Parochiali Ecclesia conseruari debet Sanctissima Eucharistia, quæ visitetur vt supra, c. 9.

In Ecclesijs collegiatis, quibus iniuncta est cura animarum, solet esse Vicarius perpetuus, qui videatur, an sit idoneus ad illam exercendã.

Idem faciendum est in Parochialibus, quæ sunt vnitæ Hospitali, vel Collegio.

Dirutæ Ecclesiæ, ad matricem sunt transferendæ, erecta ibi Cruce.[a]

Si de consecratione Ecclesiæ non constet, & ibi sint sepulturæ, esset consecranda.

Videantur statuta Clericorum, Societatum, & Confraternitatum. Item Consuetudines.

Videantur vniones,[b] à quibus sint factæ; & an à quadraginta annis deinceps sine edicto factæ fuerint.

[a] Cõc. Trid. sess. 21. c. 7. de refor.

[b] Cõc. Trid. sess. 7. c. 5. & sess. 25. c. 9.

Iuris patronatus vnio, & visitatio. Cap. XLIV.

VNIONES,[c] & iura patronatus, iuxta decreta S.C.T. Clericorum ne, an Laicorum sint, & an legitime constituta.

A quo, & quanto tempore factæ fuerint; an à quadraginta annis citra, & examinari debent; an vero deinceps; & tunc seruanda forma Sacrosancti Concilij Tridentini.

Exhibeantur iura, fundationes, dotationes, documẽta, & priuilegia.
Quo modo fiat præsentatio, & an in ea aliquid illicitum cõmittatur.
Perquiratur, an præsentatus promisit, deditq. aliquid præsentanti. Vterq. corripiatur.

[c] vt sup. sess. 25. c. 9.

An, qui

An, qui præsentauit, participet de fructibus, & quantum. Prohibeat.

Interrogetur, an præsentatus sit amouibilis ad nutum patroni. Non permittat.

An fructus à Patrono percipiantur. Priuari, & iure puniri debet. Conc. Trid. sess. 24. c. 9.

Quot fructus, in quibus consistant, & quæ expensæ fiant.

Quæ onera, & an illis satisfiat.

An ad aliquid patronus teneatur.

An reparatio aliqua facienda sit.

An Ornamenta, & Paramenta desint. Mandet fieri.

Postquam totam Ecclesiam visitauerit, videat diligenter, quæ in ea fieri non debent, & prohibeat mandando, prout exequi volet, impositis pœnis Canonicis, qui non paruerint, & sunt infrascripta, & alia, quę Visitatoris iudicio integra relinquuntur. Multa enim locus, multa tempus, multa denique res ipsa suppeditabit, quæ, licet per se non sint mala, tamen, quia scãdalum facere possunt, tollenda, ac prohibenda sunt.

Prohibenda in Ecclesiis. Cap. XLV.



MENSAE, ad quæstum positæ, cum bacili, & libro, candelæ, item & cætera venalia, exposita, vel delata, præterquam in Oratorijs Confraternitatum.

Deambulationes, colloquia, congressus lasciui, & similia.

Vigiliæ nocturnæ, maxime mulierum.

Adhærentes Altaribus, & fontibus, qui existunt in foribus, vel prope fores Ecclesiæ.

Comedentes, & bibentes.

Mendici circumeuntes dormientesq; irreuerenter.

Scholæ puerorum.

Stipulationes, & transitus cum oneribus.

Concilia, Congregationes laicorum, & Confratrum.

Contractus, portantes accipitres, & scloppettas.

Inspectio vulnerum, Processus, Incisio corporum, ligna, cæmenta, saxa, & omnia ad Ecclesiæ vsum non necessaria.

Canum, & animalium introductio.

Translatio corporũ sepultorum de vna Ecclesia ad aliã sine licẽtia.

Rixantes, lugentes, ludentes, & strepitus faciẽtes; & omnia alia, Diuina officia impedientia, ac quouis modo interrumpentia.

Prohibenda

Prohibenda in Porticibus, & Gradibus Ecclesiæ. Cap. XLVI.

RERVM quarumcumque venditores.
Nundinas diebus festis, & Stationum exercentes.
Circulatores, vociferantes, & rixantes.
Ludentes, quid vis operis facientes, & ijs similes.
Quoquomodo delinquentes, aut quæ vis indecentia committētes.

Visitatio Sacristiæ. Cap. XLVII.

Die N. Mensis Prædicti Anno N.

CONTINVANDO Visitationem prædictam ipse Reuerendissimus D. N. Episcopus N. vna cum prædictis Coassumptis, vel plerisq. eorum, se personaliter contulit in Sacristiam ipsius Cathedralis Ecclesiæ, quæ sita est prope Altare maius, ex Cornu dextro, habens portam versus Chorum; &, facta prius oratione more solito, accensis intortitijs, mandauit primo aperiri locum, in quo Reliquiæ Sanctorum reconduntur, situm in dicta Sacristia, quem reperit honorifice positum, & munde conseruatum cum tribus clauibus, quæ detinentur per talem, & N. &c. quæ bene deseruiunt, & sunt firmæ: & ante locum prædictum continuo ardet Lampas.

Quibus omnibus prospectis, petijt Inuentarium earum, & Sacristiæ, quo facilius, secundum eius ordinem, omnia visitare posset; quod exhibitum fuit per Reueren. Archidiaconum, &c. Atque omnia in Actis Visitationis per Notariū suum redigēda curabit. Sin secus fuerit, prout repererit, describet, ac prædictum Inuentarium ibidem inserendum curabit, quem præ manibus habendo diligenter visitet, & videat omnia, & in fine prouideat, factis decretis, vt infra ponetur.

Primo, visitandæ sunt Reliquiæ, & Vasa argentea, quarum Inuentarium

tarium poteſt ſic forma rilingua patria; prout ſolet fieri; & ſic tradimus formam, pro faciliori Sacriſtarum, & Parochorum intelligentia, & omnium vtilitate.

Inuentario delle Reliquie de' Santi, & Argenterie, che ſi conſeruano in queſta Sacriſtia della Cathedral Chieſa d'Andria, fatto dalli R. R. Archidiacono, Capitolo, & Sacriſtani di eſſa. Cap. XLVIII.



IN prima, vna Spina della Corona, con la quale fu Coronato Noſtro Signor Gieſu Chriſto, la qual ſi cõſerua in vn Tabernacolo di Rame ben lauorato indorato, & eſſa ſtà affiſſa in mezo amouibile, che ſi può moſtrare, coperta d'vna vainella d'argento indorata con trenta perle, & quattro rubini, con vna crocetta piccola di criſtallo roſſa in cima, & da piedi vn pometto indorato, con quattro gemme pretioſe, & vn diamante.

Et coſi ſeguiterà il reſto delle Reliquie, Croci, Calici, Patene, Turiboli, & altre ſimili.

Inuentario di tutti li Paramenti, & Ornamenti della Sacriſtia, vt ſupra, &c.

ET, acciò che vada ogni coſa ben' ordinata, & quando ſi vuol trouare vn Paramento, ſubito ſi troui, ſi ſcriuerà diſtintamente in queſto modo: videlicet.

Vmbellæ, ſeu Baldachini.

IN primis, vn Baldachino di broccato d'oro fino, foderato di tela turchina, con venti banderole d'ormiſino cremeſino con l'armi del Rè Federico, poſto in oro, & guarnito di frangie di ſeta di diuerſi

H colori,


Prohibenda in Porticibus, & Gradibus Ecclesiæ. Cap. XLVI.



ERVM quarumcumque venditores.
Nundinas diebus festis, & Stationum exercentes.
Circulatores, vociferantes, & rixantes.
Ludentes, quid vis operis facientes, & ijs similes.
Quoquomodo delinquentes, aut quæ vis indecentia committẽtes.

Visitatio Sacristiæ. Cap. XLVII.

Die N. Mensis Prædicti Anno N.



ONTINVANDO Visitationem prædictam ipse Reuerendissimus D. N. Episcopus N. vna cum prædictis Coassumptis, vel plerisq. eorum, se personaliter contulit in Sacristiam ipsius Cathedralis Ecclesiæ, quæ sita est prope Altare maius, ex Cornu dextro, habens portam versus Chorum; &, facta prius oratione more solito, accensis intortitijs, mandauit primo aperiri locum, in quo Reliquiæ Sanctorum reconduntur, situm in dicta Sacristia, quem reperit honorifice positum, & munde conseruatum cum tribus clauibus, quæ detinentur per talem, & N. &c. quæ bene deseruiunt, & sunt firmæ: & ante locum prædictum continuo ardet Lampas.

Quibus omnibus prospectis, petijt Inuentarium earum, & Sacristiæ, quo facilius, secundum eius ordinem, omnia visitare posset; quod exhibitum fuit per Reueren. Archidiaconum, &c. Atque omnia in Actis Visitationis per Notariũ suum redigẽda curabit. Sin secus fuerit, prout repererit, describet, ac prædictum Inuentarium ibidem inserendum curabit, quem præ manibus habendo diligenter visitet, & videat omnia, & in fine prouideat, factis decretis, vt infra ponetur.

Primo, visitandæ sunt Reliquiæ, & Vasa argentea, quarum Inuentarium

tarium poteſt ſic forma rilingua patria; prout ſolet fieri; & ſic tradimus formam, pro faciliori Sacriſtarum, & Parochorum intelligentia, & omnium vtilitate.

Inuentario delle Reliquie de' Santi, & Argenterie, che ſi conſeruano in queſta Sacriſtia della Cathedral Chieſa d'Andria, fatto dalli R. R. Archidiacono, Capitolo, & Sacriſtani di eſſa. Cap. XLVIII.



N prima, vna Spina della Corona, con la quale fu Coronato Noſtro Signor Gieſu Chriſto, la qual ſi cõſerua in vn Tabernacolo di Rame ben lauorato indorato, & eſſa ſtà affiſſa in mezo amouibile, che ſi può moſtrare, coperta d'vna vaiiella d'argento indorata con trenta perle, & quattro rubini, con vna crocetta piccola di criſtallo roſſa in cima, & da piedi vn pometto indorato, con quattro gemme pretioſe, & vn diamante.

Et coſì ſeguiterà il reſto delle Reliquie, Croci, Calici, Patene, Turiboli, & altre ſimili.

Inuentario di tutti li Paramenti, & Ornamenti della Sacriſtia, vt ſupra, &c.

ET, acciò che vada ogni coſa ben' ordinata, & quando ſi vuol trouare vn Paramento, ſubito ſi troui, ſi ſcriuerà diſtintamente in queſto modo: videlicet.

Vmbellæ, ſeu Baldachini.

IN primis, vn Baldachino di broccato d'oro fino, foderato di tela turchina, con venti banderole d'ormiſino cremeſino con l'armi del Rè Federico, poſto in oro, & guarnito di frangie di ſeta di diuerſi

H colori,

colori, & oro, con sei mazze pinte rosse con pomi dorati.

Et in questo modo si scriuano tutti li Baldachini distintamente, se son vecchi, noui, rotti, sani, & il colore, & con l'arme.

Et così si seguiterà con quest'ordine scriuere in mezo panni d'Altari bianchi, & dopò scriuerli, tutti vno per vno.

Et dopò scriuere panni d'Altare rossi; & à questo modo seguitar delle Pianete, Dalmatiche, Tonicelle, Pluuiali, color per colore, & tutti quelli d'vn colore metterli sotto il lor colore, & nome, & così delle touaglie, mantili, & di tutte le supellettili della Sacristia, etiam d'ogni cosa mobile; perche, scriuendosi quel nome in mezo, come rubrica, fa facile il trouarle, quando bisognano; & se ne tiene più particular conto.

Postquam omnia prædicta eo ordine diligenter visitauerit, factis, prout infra dicetur, decretis, ea omnia decernet, ac mandabit, quæ decernenda, mandandaq. erunt; &, quæ desunt, vt fiant modo infrascripto curabit, & animaduertat, an in Sacristia sint paramenta quinque coloribus distincta, quibus Ecclesia diuersis anni temporibus vtitur, & quæ sunt corrosa, & conscissa, vt resarciri minus possint, comburi debent, potiusquam ad profanos vsus vsurpari.

Et postea eodem met ordine, quo singula sunt descripta in Inuentario, singulis decreta, accommodet, pro decretis formandis hæc pauca.

Reliquiæ.

MANDAVIT, vt in illo loco, siue Sacrario, vbi Reliquiæ conseruantur, nil aliud conseruetur; si quæ autem aliæ ibi fuerint, tollantur.

Et sic de singulis, ac eodem ordine procedet in omnibus Paramentis.

Nec non in Vasis argenteis, Vmbellis, Pluuialibus, & omnibus prædictis, &c.

Sequitur Visitatio Sacristiæ.

VIDEAT postea, an Arca, siue Armarium, vbi Paramenta conseruantur, sint bene disposita, integra, ne mures ingrediantur, ac ea corrodant, & an humida, an habent seras cum clauibus bene aptatas.

Et deinde videat infrascripta, & interroget, & prouideat, prout necessarium esse iudicabit.

An Sacristia sit tuta, munda, & decens.

An in aliquo restauranda.

An Mu-

An Muri reparandi, & dealbandi.

An Porta sit à latere Altaris maioris. Tollatur.

An Campanula muro affixa supra portam Sacristiæ, ad vsum dandi signa, cum Sacerdotes rem sacram facturi egrediuntur; vt populus ad illam audiendam conuenire possit.

An sit Porta tuta, & sera, cum claui bene aptata.

An Fenestræ lucidæ, tutæ crate ferrea, & vitris, aut tela cera linita occlusæ.

An laici ibi versentur. Prohibeat omnino.

An ibi colloquia, rixæ, & tumultus fiant. Caueant.

Mandet, ne ibi versentur alij, nisi Sacristæ, & Sacerdotes parati, parandive ad Missas celebrandas; reliqui vero omnes eijciendi sunt.

An in ea sit Altare, & an ibi celebretur.

An locus separatus, ac semotus, in quo celebraturus orare possit, ac se ad rem sacram faciendam præparare.

An locus commodus, in quo Sacerdos sacras vestes induat.

An Lauacrum cum Mantilibus, & quis numerus mantilium.

An Peluis pro abluendis corporalibus, & Purificatorijs; & quis ea lauet.

An pro Aqua benedicta deferenda, Vasculum æneum cum aspersorio decenti.

An Vinum album, & recens, in vasis mundis.

An Ampullæ, seu Vrceoli, vitrei ad vsum rei sacræ, & an Peluis paruus, in quo vrceoli illi conseruentur.

An Vas, in quo Hostiæ ad vsum Missarum conseruantur, sit decens, & mundum, cum plumbo.

An ferrea instrumenta pro Hostijs tondendis, & aptandis.

An Hostiæ recentes, & bene à fragmentis purgatæ.

Videat, ne prædicta desint. Si qua autem defuerint, mandet, vt fiant tamquam necessaria.

An Crux portatilis, cum Baculo ad vsus necessarios.

An vexilla pendentia in Cruce.

An Lanternæ astis affixæ ad vsum deferendi Sanctissimum Sacramentum.

An Campanulæ portatiles.

An Breuiarium magnum ad vsum comune affixum, vt asportari non posit.

An Libri Cantus firmi, (vt aiunt) & alij pro Missis, & Diuinis Officijs celebrandis, cantandisq. Psalteria, Antiphonaria, & Gradualia, an pro feriali, & sollemni officio sint apta, & sufficientia.

An ij vetustate consumpti sint, an laceri, corrosive.

H 2 Inuen-

Inuentarium librorum Chori, Sacristiæ, & aliorum exhibeatur.
An innouetur singulis annis, cum distributione interuenientibus.
An Bibliotheca, tuta, munda, bene, & fideliter custodita.
An ornamenta recte, & diligenter custodiantur.
An duplicia habeant pro festis, & ferijs.
An rubrica de coloribus Paramentorum seruetur.
An Pallijs ad ornatum sedium, & similium, aliquis abutatur.
An Paramenta omnia munda; & bene disposita sint.
An sericea, & pretiosiora cum mantilibus interpositis conseruentur, ac custodiantur.
An fragmenta ornamentorum veterum conseruentur.

Si sint aurea, comburi debent, & argentum illud applicari debet vsibus Sacristiæ, prout fecimus in Visitatione nostra Cathedralis Andriensis.

AN ea sine licentia vendantur.
An reparanda, vel renouanda, aliqua alienanda.
An instrumentum ligneum, ad vsum pulsandi fores in Hebdomada sancta, cum Campanæ non pulsantur.
An Candelabrum triangulare ad vsum accendendi super illud candelas in officio Hebdomadæ sanctæ, iuxta ritum Ecclesiæ.
An Calices, & vasa omnia munda & decentia sint.
An reliqua ornamenta integra, & munda, pariter conseruentur.
An præsertim circa Corporalia, & Purificatoria adhibeatur diligentia, vt semper munda, & alba sint.
An Sacristia habeat redditus separatos, ac diuisos à reliquis redditibus Ecclesiæ.
In quibus consistant, & in quos vsus expendantur.
Quis illos administret, & quæ ratio administrationis reddatur, & cui exhibeatur Inuentarium prædictorum omnium redditum; & diligenter perquirat rationem ipsorum.
An Tapetia, & panni ad vsum sternendi, & ornatus sedilium.
An aulea, panni ve plures ad ornatum Altaris maioris Ecclesiæ, & ad vsum sternendi super bradellam, & gradus ipsius.
An Sacrista det cautionē idoneā; & recipiat omnia per Inuentariū,
An sit, qui scribat omnia vota, quæ Deo in Ecclesia soluuntur.
Cereos, & alias oblationes, & eleemosynas pro Missis annotent, & scribant.
An etiam eleemosynæ ponantur in arca communi, & quomodo, & quid de illis fiat.

Videat,

Videat etiam, an ornamenta sint iuxta numerum Altarium sufficientia.

Videat, curetque, quòd Pulpita ad vsum legendi, siue Legilia sint ad minus duo.

Videat pariter, an sint ornamenta quinque coloribus Ecclesiæ distincta, pro ipsius vsu.

Archiuium Scripturarum quomodo Visitandum. Cap. XLIX.

VIDEAT deinde Archiuium Scripturarum Reuerẽdi Capituli, & Ecclesiæ, existens in vna arca magna, ex nuce fabrefacta, cum duabus seris firmis cum clauibus, quarum vna conseruatur per R. N. altera vero per R. N. Procuratorem Capituli, &c.

Petat Inuentarium ipsarum; &, si non habent Inuentarium, mandet, vt fiat, hoc ordine: videlicet:

Inuentario di tutte le Scritture, che si trouano nell'Archiuio del Reuerendo Capitolo, &c. fatto dal R. N. & presentatosi nella Visitatione per D. N. &c.

Instromenti.

IN PRIMIS, vn'Instromento in carta pergamena d'vna compra N. N. per tanto, &c.

Et così seguitare tutti gl'Instromenti, & dopò seguiterà distintamente tutte l'altre Scritture per ordine, notando in mezo la qualità delle Scritture: verbi gratia:

Libri di Procuratori.

IN PRIMIS vn Libro della Procura di D. N. de N. in Anno N. &c.

Polize.

IN PRIMIS, vna Poliza di cinque decime Papali pagate al R. N. Commessario, & Subcollettore, &c. & sic de singulis per ordinem.

Mandet

Mandet postea, ordinatim conseruentur, prout ordinatim scriptæ sunt.

Videat, ne mures in huiusmodi Arcam, seu Archiuium prædictum irrumpere possint, ac scripturas corrodere.

Videat, & interroget.

AN Scripturæ, priuilegia, instrumenta, & similia habeant summaria desuper; si non habent, mandet, vt fiant.

An pro faciliori inuentione earum, Libros, & Scripturas vetustate consumptas, transcribendas curent, & conseruandas antiquas, & transcriptas.

An sit, qui seruet illas, & successori tradat per Inuentarium.

An seruetur ibi Inuentarium scripturarum Bibliothecæ, & Paramentorum Sacristiæ.

An Inuentaria bonorum, & reddituum ibidem custodiantur; quot sint, & custodiantur; &, si non fuerint, mandet, vt fiant, & conseruentur.

Libri, qui in Sacristia seruari debent, quos videat, & visitet. Cap. L.



LIBER Baptizatorum, & Confirmatorum.

Liber Matrimoniorum contractorum.

Concilia Prouincialia.

Constitutiones Synodales in diœcesana Synodo editæ.

Liber Decretorum Visitationis.

Liber Canonum pænitentialium.

Liber Anniuersariorum pro suffragijs defunctorum.

Forma Excommunicationum fulminandarum.

Liber bonorum, & reddituum Ecclesiæ.

Liber de statu animarum, videlicet Matricula omnium animarum Ciuitatis, vel Oppidi.



Libr

Libri impreßi, pro communi omnium neceßitate, & commoditate, ibidem in Sacristia seruandi. *Cap. LI.*


ISSALIA plura.
Biblia Latina.
Iuris Canonici corpus.
Concilium Tridentinum.
Catechismus Romanus.
Bullarium nouum.
Cæremoniale vnum.
Pontificale.
Rationale diuinorum officiorum.
Homiliarium.
Aliquæ Summæ.
Sacerdotale.

Libri pro Choro.

BREVIARIA duo magna.
Calendarium perpetuum.
Ritualia duo, & tot Baptisteria.
Martyrologium vnum.
Directorium Chori vnum, vel plura.
Libri Processionum quatuor, vel duo ad minus.
Libri omnes Cantus plani pro Missis, & alijs Diuinis Officijs canendis necessarij.

Alia Supellex Sacristiæ necessaria. *Cap. LII.*


ASCVLA ænea cum chordis pro haurienda aqua.
Forcipes ferrei duo pro Hostijs conficiendis.
Cochlearia ferrea duo.
Vasa olearia magna, & parua, plura, ad vsum lampadum.

Lampades

Lampades plures pro necessitate occurrente.
Lanternæ paruæ duo.
Scala gestatoria.
Ligones varij.
Mallei ad minus duo.
Hastilia, seu conti, perticæve quinque.
Tripodes cum vasis ferreis superpositis ad vsum ignis conseruandi, cum suis forcipibus.
Focarij duo.
Spongiæ plures maiusculæ.
Scopæ, siue penicelli maiores, & minores plures.

Visitatio Tabellarum, quæ in Sacristia Ecclesiarum Cathedralium, & insignium pendere debent. Cap. LIII.



VISITET deinde, an in Sacristia sint infrascriptæ Tabellæ; &, si non inuenerit, mandet, vt apponantur, & in Sacristia appendantur.

Sunt autem infrascriptæ: videlicet:
Tabellæ plures, Secreta Missæ continentes.
Tabella, Sacrarum Reliquiarum indicem continens.
Tabella Indulgentiarum.
Tabellæ duæ, continentes orationes præparatorias ad vsum Sacerdotum.
Tabellæ item duæ, orationes à Sacerdotibus, cum sacras vestes induunt, dicendas continentes.
Tabella omnium Sacerdotum, Diaconorum, Subdiaconorum, & Clericorum, qui ascripti sunt seruitio Ecclesiæ.
Tabella Clericorum adscriptorum, seruientium per hebdomadā.
Tabella Confessorum, pænitentium confessiones in illa Ecclesia audientium.
Tabella festorum dierum.
Tabella Missarum celebrandarum à Reuerendo Capitulo singulis diebus, & mensibus.

Tabella

Tabella omnium Missarum celebrandarum singulis diebus,& mensibus per beneficiatos in Cappellis.

Tabella omnium anniuersariorum celebrandorum in illa Ecclesia.

Tabella hebdomadariorum Sacerdotum pro Missis conuentualibus canendis.

Tabella Diaconorum, & Subdiaconorum per hebdomadam seruientium.

Tabella, continens Bullam, in Cæna Domini legi consuetam.

Tabella, continens Casus Reuerendissimo Domino Episcopo reseruatos.

Videat postea diligenter ea, quæ in prædictis Tabellis continentur, an fideliter impleantur ab omnibus; & vnusquisque iniuncto sibi oneri satisfaciat; Interrogetque ac perquirat, an superioribus temporibus, ea omnia re ipsa præstiterint, ad quæ tenebantur; decernatque, atque prouideat, prout iuris fuerit, & prout sibi magis expedire videbitur.

Habitatio Sacristarum. Cap. LIV.



EMVM visitet cellas Sacristarum; an honestæ, decentes, & commodæ sint; an bene, & honeste in illis versentur; curetque, ne fiant ibi ludi, neve actus inhonesti, & lasciui; & quod sint in locis decentibus, & honestis; nec mulieres ingrediantur in eas; sed caste, & honeste ibi habitent, prope Sacristiam; prout commodius fieri poterit; & quod noctu, diuq. ibi semper vnus saltem assistat; & quòd habeat fenestras in locis publicis; vt de nocte in necessitatibus possint vocari, & vt faciliter audiant vocantes, & clamantes.

Videatque, ac perquirat Visitator, an egentibus præsto sint, quando vocantur pro Sacramentis ministrandis, & præcipue de nocte.



I Visitatio

Visitatio Capituli, & Collegij. Cap. LV.

Die N. Mensis N. &c.

REVERENDISSIMVS D. N. &c. prosequendo Visitationem prædictam, voluit visitare Capitulum ipsius Ecclesię in genere, vna cũ prædictis Coassumptis, vel plerisq. eorum, facto signo cum cãpana, statuta hora, in sua camera, coram ipso, & prædictis, ad se vocari fecit Dignitates, Officiales, & Canonicos ipsius Ecclesiæ, nec non Procuratores eiusdem Capituli, à quibus infrascripta perquisiuit.

Primo mandet, ac curet describi primates Capituli, Canonicos, Officiales, Beneficiatos, Clericos, & Ministros; quam notam in scriptis dent, & libro Visitationum colligetur.

Deinde nomina, numerus, dignitates, officia, & onera eorum, omnes requirendi sunt, ac monendi; vt cum litteris ordinum, & beneficiorum conueniant, si non intendit visitare quemlibet personaliter.

Interrogandi autem erunt, an aliquid soluatur ab ijs, qui Capitulo adscribuntur, ac in eorum numerum coaptantur, etiam ab Archipresbytero, quomodo id fiat, ad quem vsum deseruiat; tum quid ante Concilium, quidve post soluatur; ad cuius manus pecunia illa perueniat, quantum retineat, & an in alium vsum, quàm Ecclesiæ, erogent; an verò in comessationibus absumant.

Videndum postea, an iurent, se Statuta, ac Constitutiones Capituli seruaturos simpliciter, & an in aliquo deficiant.

Pari ratione, an in eis contineatur excommunicatio, & an confirmata sint statuta, & à quo, & quæ sint illa, videat.

Inquirendum, an alia habeant beneficia, quot, & quæ, & in quibus Ecclesijs; an omnia in vna, &c. Quod si quis plures Canonicatus, vel beneficia habeat, debet prouideri circa pluritatem, prout iuris; & circa fructus male perceptos, eo magis si fuerint sub eodem tecto.

An sit aliquis absens, & quandiu, & si participat fructus, ac quotidianas distributiones.

An domos pro habitatione Canonicorum habeant. Quærendum, an illas semper habitent, an vero alijs locent, & quibus, & an alias ipsi prope Ecclesiam cohabitent, vt facilius, ac commodius inseruiant.

An in

An in communi viuant. Quærendum eſt, & omnia notentur, prout inuenerit. Qui modus in viuendo: quæ rerum communicatio: quæ obſeruantia.

Quærendum, an omnes redditus Eccleſiæ ſint in communi, an vero Præbendas ſinguli habeant; an ve aliqui, ex communibus participent, & ſimul habeant etiam Præbendas ſuas.

Si communes fuerint redditus, in quo conſiſtant; quomodo, & à quibus miniſtrentur, quove modo, & quando diuidantur; quid cuique, & quantum Vicario, ſi eſt, & non ſit Cathedralis, obueniat.

Quæ expenſæ fiant, quæ onera, quibus incumbant, & an fraus aliqua committatur; & an ratio reddatur à miniſtris; & cui, & quando.

Quod ſi Præbendæ ſingulorum ſint diſtinctæ, videndum, quomodo inter ſe diuiſæ ſint; quis modus ſit in optando; quis locus in Choro, & in proceſſione, an per promotionem, an verò ſecundum ordines.

An habeant Eccleſias, Altaria, aut Cappellas annexas. Videatur, an ſit in illis aliquis titularis; & quid à quaque annexa percipiat; & quæ ſint bona cuiuſlibet; vt, habita illorum ratione, poſſit iniungi, vt fiant ornamenta, vel reparatio, ſi neceſſaria erit.

Quæratur etiam, quomodo, & per quos in annexis ſeruiatur, & ſi ſatis ſit plene oneribus eis impoſitis.

An ſint aliqui redditus addicti functionibus prædictis.

An habeant Archiuium commune Scripturarum; videatur, qui nam eius claues teneant, & an poſſint ab illo Scripturæ transferri ſine licentia, & ſubſcriptione, ſeu alia cautela.

Habeant Inuentarium Scripturarum, & exemplum verbotenus deſcriptum, quod apud ſe teneant: habeant etiam Summarium Scripturarum, & cuſtodiatur cum Scripturis in Archiuio.

An habeant Catalogum, Cataſtum ſtabilium authenticum, & cum finibus nouis noſtri temporis.

Innouandum eſt, niſi ſit iam innouatum, & antiquum conſeruandũ.

Eligantur, ac deputentur à Capitulo, qui referant, & oſtendant fundationes, priuilegia, ſtatuta, & iura omnia, & dicant conſuetudines non ſcriptas, ad hoc, vt, quæ bonæ ſunt, deſcribantur, ac in Actis Viſitationis redigantur, malæ verò reijciantur, ac aboleantur.

Quæratur, quæ ſit eorum obligatio in Miſſis, & alijs Diuinis Officijs, & an ſatisfaciant.

An ſint plura Anniuerſaria per Capitulum celebranda; & ſi ſint plura eodem die, quomodo ſatisfiat omnibus; curet, vt omnia celebrentur diebus ſtatutis.

Deputandi ſunt aliqui Canonici, aut alij Beneficiati, docti, & bonæ, integræ, ac incorruptæ vitæ, qui videant Scripturas antiquas, &

I 2 colli-

colligant obligationes, & onera, ad quæ tenentur, & illa in ordinem redigant, ac in tabella describenda, & publice proponenda curent; etiam intra debitum terminum illius exemplum verbotenus fideliter descriptum Visitatori tradant; vt in libro Visitationis adscribatur, ac in Actis referatur.

Habeant etiam omnia onera relicta à defunctis in publica Tabella descripta; vt omnes videant, ad quid tenentur, & sciri possit, an satisfiat.

Quod si eis cura animarum iniuncta est, habeant Parochiæ suos descriptos fines, & exerceant omnia, quæ dicenda sunt infra, cum de Parocho agemus.

Videatur postea, quis exerceat curam animarum, qua ratione id faciat, an sit Vicarius perpetuus, quantum habeat mercedis, an ab Ordinario sit approbatus.

Compareat coram Visitatore, præsentet approbationem, & Bullas, & examinetur, vt infra de Parocho dicetur.

An sint alíqui redditus pro Fabrica, aut pro Sacristia, aut pro Cappella Sanctorum.

Deinde, si sunt, quæratur, an sint distincti ab alijs: in quo consistant: à quo exigantur: quomodo administrentur, & expendantur: an ad hunc vsum relicti redditus, ac destinati ad alium vsum conuertantur: puta, si de Fabricæ redditibus reparentur domus, quas locant; aut alia quæuis fierent, non pertinentia ad Fabricam ipsam.

De redditibus Sacristiæ, videndum est, an electi, & ad id potissimum deputati possint vsque ad quamcumque summam impendere absque Capitulo, & qui interueniant in impensis faciendis, & quàm vtiliter expendantur huiusmodi redditus.

Videndum est etiam, quomodo, quoties, & cui reddant rationes, & an Librum Rationum habeant, exhibeantq. illum Visitatori.

Quærendum, quos, & quot officiales habeant, quomodo creentur, an per vota, & suffragia secreta, & an tunc ambitus, & corruptelæ in eorum creatione, & an cantetur prius Missa Spiritus Sancti.

An eligentes, iuramentum præstent de fideliter eligendo, & electi de fideliter administrando.

An eligant coram Vicario, vel Superiore: an ipse habeat votum.

Quæ munera singulis officialibus incumbant. Si non sunt scripta, scribantur.

An ipsi pro se obeant diligenter, & fideliter ea munera.

An aliquod præmium habeant pro officio.

An aliqui recusent officium sine legitima causa, probanda coram Vicario. Non liceat.


Qualis

Qualis administratio reddituum: an semper ijdem administratores: an singulis annis rationem reddant de tota administratione coram Capitulo,& Vicario,aut Superiore,& de expensis quotidianis. An singulis mensibus in Capitulo,vel coram aliquo officialium, vel computatore, rationem identidem reddant.

An sit computator vel Computista ordinarius, vel eligatur à Capitulo.

An ratio diligenter exigatur ab omnibus; sine differentia.

Capituli Congregatio. Cap. LVI.



VOTIES, & quando conueniant in Capitulo. An congregetur ad sonum Campanę consuetum. An coram officiali Episcopi.

An, priusquam incipiatur Capitulum, fiat oratio, & preces pro Congregatione; & quæ sint.

Si non consueuerint orationem præmittere,mandet, vt in posterum id faciant, eo, qui sequitur ordine. Semper igitur, postquam fuerint omnes congregati, & genuflexi, qui inter eos principem locum obtinet, vt puta Episcopus,vel Vicarius, vel, si non interest Vicarius, primus Capituli pariter genu flexus, vel hebdomadarius,& capite detecto, dicat orationem sequentem: videlicet:

Oratio.

ADsumus, Domine Sancte Spiritus; adsumus quidem peccati immanitate detenti, sed in nomine tuo specialiter congregati: veni ad nos, & esto nobiscum, & dignare illabi cordibus nostris. Doce nos, quid agamus,quo gradiamur,& ostende,quid efficere debeamus; vt te auxiliante tibi complacere in omnibus valeamus: esto salus, & effector Iudiciorum nostrorum, qui solus cum Deo Patre, & eius Filio nomen possides gloriosum: non patiaris perturbatores esse Iustitiæ, qui summam diligis æquitatem: non in sinistrum nos ignorantia trahat, non fauor inflectat, non acceptio munerum, vel personæ corrumpat: sed iunge nos efficaciter tibi, solius tuæ gratiæ dono; vt simus in vnum, & in nullo aberremus à vero; quatenus in nomine tuo collecti sic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis iustitiam, vt hic à te in nullo dissentiat sententia nostra, & in futuro pro bene gestis consequa-

confequamur præmia fempiterna. Per Chriftum Dominum noftrum.
R. Amen.

Deinde dicat orationem.

Oremus. Actiones noftras quæfumus Domine afpirando præueni, & adiuuando profequere: vt cuncta noftra oratio, & operatio à te femper incipiat, & per te cœpta finiatur. Per Dominum noftrũ, &c.

Qua finita, omnes refpondent Amen.

Poftea incipiant negotiis, ac actionibus vacare.

Et finita Congregatione iterum repetatur oratio, Actiones noftras, &c.

An admittantur ad fuffragia danda in Capitulo, qui non fint faltem Subdiaconi.

a Conc. Trid. feff. 22. c. 4. de refor.

An fit aliquis Canonicus non Subdiaconus [a].

An Capitulum agant in Ecclefia, & in loco Capitulari, vel vbi.

An habeant locum determinatum, & folitum.

An diebus feftis, & tempore Officiorum Diuinorum caueant Capitulum congregare.

An abfque Vicario, vel abfque licentia eius, & confenfu, in quolibet actu congregetur.

An quifque fuo loco fedeat, & modefte proponat, & refpondeat, abfque ftrepitu, iurgijs, & cachinnis indecentibus.

Quæ res ibi tractentur, & an per fuffragia fecreta.

An foli Canonici interfint rebus agẽdis, an etiã alij de Choro, & qui.

An Excommunicatio in reuelantes, quæ fecrete in Capitulo tractantur, fit decreta.

An ibi Ecclefiæ vtilitatem fincere procurent, vel proprijs animi affectibus in diuerfa trahantur.

Canonicatus, & Prabenda. *Cap. LVII.*



NTERROGET primo, fi fint in communi, an quis habeat Præbendam feparatam.

An quilibet Canonicus habeat Præbendam fuam.

Quot redditus habeat, & in quibus confiftant.

Quot Canonici fint, notentur.

An habeant cum Canonicatibus Ecclefias, vel Cappellas annexas.

Et an illæ Ecclefiæ, vel Cappellæ habeant alia onera, & quæ.

An illa onera compleantur, & an fint compatibilia.

An ha-

An habeant officia, & ordines annexos.

An sint distinctæ Præbendæ Sacerdotales, Diaconales, & Subdiaconales. Scribantur omnia, & annotentur separatim.

An seruiant in communi, vel per hebdomadas.

An alij Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi deseruiant, & quid eis competat pro seruitio.

An soli Canonici canant Missas conuentuales diebus festis, & ferialibus, an etiam Presbyteri, & quomodo deseruiant.


An præcedant in Choro, ac processionibus per promotionem, vel per ordines annexos, an per antiquitatem, an verò secundum dignitatem, & consuetudinem antiquam Canonicatuum, qui habent primum locum, qui secundum, &c.

An deferant in Choro, & in processione almutium, vel capucium super superpellicio.

An habeant vocem in Capitulo, & stallum in Choro.

An, cum moritur aliquis Canonicus, constituant illi exequias intra aliquos dies.

Locationes. *Cap. LVIII.*



AN locationes [a] vltra triennium fiant, vel singulis tribus annis innouentur.

[a] Conc. Trid. sess. 25. c. 11. de refor.

An fiant consanguineis, etiam per interpositam personam.

An remittantur caducitates.

An aliqua occupari permittantur à quopiam, & detineri.

An alienent, perceptis ante, & anticipatis fructibus.

An aliqua Ecclesiæ bona alienata contra sacros Canones sint.

An in locationibus fraus aliquæ Ecclesiæ, vel communibus redditibus fiat.

An ex oblatis condicionibus melior semper, & vtilior accipiatur; sine exceptione personarum etiam Ecclesiasticarum.


An sint aliqui deputati ad visitandas possessiones, fines, & domos Ecclesiæ, & Præbendarum, & Canonicorum. Hos curet Visitator, vt videant, an reparatione, & refectione indigeant aliqua.

An singulis domibus, & apothecis ad censum illius Ecclesiæ pertinentibus, sit pictum, vel insculptum signum illius; vt dignosci possint. si non sit, apponendum curet, ac mandet.

Lectiones

Lectiones sacræ. Cap. LIX.

a Conc. Trid. sess. 5. c. 2. & sess. 24. c. 4. de reformat.



N sit prouisum de lectione a sacræ Theologiæ, & an legatur, & à quo.

An constituta sit illi Præbenda Theologalis, iuxta Decreta Concilij Tridentini.

An sit lectio Casuum conscientiæ.

An sit Præceptor Grammatices, & Musices.

An doceatur, & legatur Doctrina Christiana.

An omnes pueri accedant ad illam audiendam, ac perdiscendam.

Si ciuitas sit magna, legatur, & doceatur in pluribus Ecclesijs, facto signo cum campana, pro vt fit in Ciuitate Andriæ, in qua in septem Ecclesijs pueri doctrinam Christianam docentur de nostro mandato.

An prædicetur Verbum Dei mane diei festi totius anni, prout in Ciuitate Andriæ faciendum curauimus, & mandauimus: in qua de nostro mandato singulis diebus Dominicis, & festiuis Magistri diuersarum Religionum in Ciuitate existentium, per orbem, quilibet concionatur vno die Verbum Dei, in nostra Cathedrali: & post prandium leguntur in Ecclesijs Conuentuum Religiosorum Lectiones sacræ, post vesperas.

An cantentur Litaniæ D. N. Iesu Christi, etiam deuota processione singulis sextis ferijs Mensis Martij; prout in Ciuitate Andriæ cum Musica fieri præcepimus.

An cantentur Litaniæ Beatissimæ Virginis Mariæ singulis diebus Sabbathis, & vigilijs Festiuitatis eiusdem vesperi ad signum Salutationis Angelicæ; prout cum Musica mandauimus fieri in nostra Andrien.

Quas Litanias Iesu, & Beatissimæ Virginis expresse per nostram Ecclesiam, imprimi curauimus: & in fine operis imprimentur, pro augenda deuotione fidelium.

An sit in Ciuitate Societas Sanctissimi Rosarij Beatissimæ Virginis. si non fuerit, hortetur omnes, mandet, ac iubeat institui, ac erigi.



Diuina

Diuina Officia in Choro; tum etiam circa habitum, tonsuram, reuerentiam, & obedientiam praestandam. Cap. LX.



AN omnes in habitu, & tonsura [a] incedant, vt tenentur. [a] Conc.Trid. sess. 22. c. 1. de reformat.

Caueant, ne vestes, & caligas habeant diuersis coloribus distinctas, sed nigras tantum; nec sericas, nec incisas, sed integras, nec pileo fastigiato, ac oblongo vtantur, sed decenti, ac demisso.

An omnes Superiori suo sint obedientes.

An inferiores Superioribus assurgant, eisq. debitam reuerentiam exhibeant.

An inter se honores deferant.

An negotijs saecularibus se immisceant.

An laicis inseruiant.

An omnes in officio suo pie, ac deuote se gerant.

An omnes assidui in Diuino Officio persistant.

An omnes assidue, vel per hebdomadam inseruiant.

An aliquis Choro vacare, ac inseruire subterfugiat.

Quomodo inter se distribuant seruitium, & quomodo seruiant.

An habeant indicem dierũ, in quibus omnes conueniant, exhibeant.

An habeant festa propria, & quae. exprimant.

Quod Officium recitent, quamve Missam dicant.

An nocturnum, an diurnum in Choro persoluant.

An debitis, modo, & tempore id faciant.

An in Choro recitent Officium Beatae Virginis.

An vmquam Officium Mortuorum recitent, vltra dies statutos in Breuiario.

An ordine exeant è Sacristia in Chorum.

An statim, ac in Chorum peruenerint, genuflectant, & orent.

Si super Altari maiori seruatur Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, genibus flectant capite detecto, & orent.

An eodemmet ordine è Choro discedant.

Superpellicium in Sacristia, & non in Choro induant.

An vmquam recitent Officium extra Chorum, & vbi.

K Qua

Qua hora, & per quantum temporis ſpatium Campana pulſetur in ſingulis Officijs.

Et an determinatus ſit terminus pulſationis.

An in vltimo pulſationis detur particulare ſignum; vt ſciant, & cognoſcant alij.

Qua hora incipiant, & quis mandet incipi.

An aliquis expectetur.

An omnes in Choro cantẽt, etiã Dignitates, Officiales, & Canonici.

Sed, quid de illis, qui neſciunt canere, aut vocem non habẽt?

An diſtinctè Diuina Officia pronuncient.

An fiat pauſa in medio Verſiculi.

An omnes pari voce, & deuote canant.

An in recitando verba tranſcurrant in ſyncopen.

An vnum verſum incipiant ante finem alterius.

An Canonici canant Lectiones, & quas.

An Euangelium Paſſionis in Hebdomada Sancta.

An perſonaliter omnes deſeruiant, an per ſubſtitutos.

Omnes perſonaliter abſque exceptione ſeruire compellantur, iuxta decreta Sacroſancti Concilij Tridentini [a].

An prædicta cum diſtributione, vel ſine fiant.

An omnes ſeruientes participent, ac quot annis ſeruire debeant; vt participantes fiant, vel quomodo.

[a] ſeſſ. 24. c. 12. de refor.

Miſſæ Conuentuales, & priuatæ. *Cap. LXI.*

AN omnes etiam cantent Miſſam Conuentualem, & in quibus, qui non, cum Canonicis miniſtris illas Miſſas cantent.

In noſtra Cathedrali Andrien. omnes Miſſæ Conuentuales ſingulis diebus etiam feriatis, & etiam in Miſſis Anniuerſariorum mortuorum cantantur ab hebdomadarijs, & alijs Sacerdotibus per circulum, cum miniſtris, paratis cum dalmaticis, coloris tempori congruentis.

An ſit Tabella in Sacriſtia, in qua ſint notati, & deſcripti, qui Miſſas Conuentuales ſingulis diebus cantare teneantur.

In Miſſis Conuentualibus quis ordo ſeruetur.

An diebus ferialibus ſemper cũ miniſtris indutis dalmaticis canatur.

Si forte

Si forte non affuerit, cui incumbit onus illam canendi, quid agatur.
An tunc sit assignata distributio illi, qui pro eo supplet.
An Sacerdotes frequenter celebrent [a].
An frequentius Parochi.
An scribantur celebrantes diebus Dominicis, & sollemnibus. In nostra Cathedrali scribuntur. Et sic omnes celebrant singulis diebus Dominicis.
An alij frequenter communicent simul, saltem diebus festiuis, & in signioribus.
An bene sciant cærimonias Missæ, easq. seruent.
An ordinate exeunt à Sacristia, iuxta Constitutiones Synodales.
An omnes, iuxta eorum onera, in Tabella descripta satisfaciant.
An Missa defunctorum ante vel post Conuentualem [b] feria secunda canatur. Non prætermittatur; nisi eo die occurrat festum sollemne.
Quando conueniunt in orbem ad orandum pro defunctis, an ibi ordinate procedant. adsint, cantent, faciant prout in Choro.
An omnes candelas accensas in manibus teneant.
An pactiones in sepeliendis defunctis faciant.

a Conc. Trid. sess. 23. c. 13.

b Cum creatura, de celeb. Miss.

Quomodo versandum sit in Choro. Cap. LXII.

AN orantes ante Sanctissimum Sacramentum Eucharistiæ, genu flectant; &, quoties inde transeunt, id faciant.
An simul omnes, quando opus est, genuflectant, surgant, caput aperiant ad prolationem nominis Iesu, Mariæ, Gloria Patri, &c.
An omnes sui muneris periti sint.
An etiam ministri in Choro decenter conueniant.
An quisque per se suo munere fungatur.
An soleant inter se mutare hebdomadas, & dies.
An in Choro quisque suum locum teneat.
An in sedendo, & in Processionibus seruetur ordo promotionibus, vel quo ordine sedeant, incedant.
An laici in Choro sedeant. Prohibeantur.
An seruetur silentium in Choro, & Processionibus.
An legant alia officia, præter illud, quod legitur in Choro. Non prætermittat.


An, dum cantatur Miſſa, legatur Officium in Choro. Similiter non permittat.

An legant litteras, & libros in Choro, & in Proceſſionibus. Prohibeat omnino.

An colloquia habeant inter ſe, aut cum laicis.

An permittant in Choro publicas errantium deriſiones, vel dormientes.

Diſtributiones. Cap. LXIII.



N ſint diſtributiones quotidianæ, iuxta Concilium.

Quantæ ſint, & an dentur ijs, qui Diuinis Officijs non interfuere.

An propter aliam cauſam, quam propter inſtantem corporis neceſsitatem, è Choro exeant.

Et an in eorum arbitrio ſit reditus, vel cuius.

Et an in Choro negotijs vacent, ac rebus inanibus.

An aliqui abſint, & quas abſentiæ cauſas adducant.

Quomodo probentur huiuſmodi cauſæ, præcipue vbi agitur de neceſſitate, & vtilitate Eccleſiæ.

An ſe ægrotos fingant, vt Chorum declinent, & an de infirmitate perquiratur.

Qualis debet eſſe infirmitas, quæ aliquem excuſet.

Si ex aliqua alia cauſa erant abſentes, quam cauſa infirmitatis, prouideat Viſitator.

Infirmi etiam, qui, cum bene valerent, non ſolebant conuenire, non percipiant diſtributiones quotidianas.

Nec percipiant iuſta de cauſa in vincula coniecti, vel excommunicati, ſuſpenſiue.

Interroget, quomodo diſtribuantur fructus Canonici, vel Presbyteri demortui inter hæredem, & alios.

An aliqua colluſio etiam poſt receptam pecuniam fiat inter Canonicos.

An in computis remiſſiones fiant.

An in his computis obſeruentur notationes punctatorum.

Punctatores,

Punctatores, & qui absentes, seu errantes notent. Cap. LXIV.



VNCTATORES, quo modo creentur, & an iurent se fideliter suo munere functuros.

An confirmentur, vel approbentur ab Episcopo, vel eius Vicario.

An singulis annis mutentur.

An in Choro publice notent, statim lapso tempore, eos, qui non interfuere, in Libro ad hoc fideliter confecto, & sine personarum exceptione, non expectantes, aut excusationem vllam admittentes.

An etiam notent transgredientes, colloquentes, & ridentes indecenter.

An etiam notent non recte obeuntes munus suum.

An alicui pareant, an vlli ostendant Libros Punctationum.

Quando, idest ad quem Psalmum punctare solent, ac notare absentes.

An idem Punctator notet deficientes, & errantes in circulis pro mortuis.

An idem in processionibus in transgredientes, colloquentes, & locum suum deserentes, & non obseruantes quæ in Constitutionibus Synodalibus continentur, faciat.

An Punctatores sint probatæ vitæ, & morum.

An ab aliquo nimis terreantur verbis, aut minis.

An sint Canonicorum nutu amouibiles.

An singulis mensibus in Capitulo habeatur ratio errantium coram Vicario.

An in fine cuiuslibet mensis ostendantur Episcopo, vel Vicario Punctationes.

Si reperti fuerint simul colludentes, tam errantes, quàm consentientes, puniantur ab Episcopo.

An dormientes, facta prius monitione, punctentur.

An etiam discedentes, qui statim non reuertuntur, habita ratione necessitatis corporis, adnotentur.


An aliqui, ridentes se punctatos, ac notatos, recedant, nec interesse Diuinis Officijs post modum curent.

Eligendus

Eligendus esset Præfectus Chori, qui, absente Vicario, Chorum regat, & habeat Indicem omnium punctandorum, ne per absentiam Vicarij, quid de debita diligentia, relaxetur.

Eligendus pariter esset, qui laicos prohiberet ingredientes Chorum; & ibi indecentia fieri non permitteret.

Cærimoniarum Magister, siue Præfectus, & Cærimoniæ. Cap. LXV.



N sit Magister Cærimoniarum. Si non est, instituatur.

An ei omnes, sine contradictione, in ijs, quæ ad Cærimonias, & Diuina Officia pertinent, obediant.

An quotidie Cærimonijs Præfectus adsit in omnibus Diuinis Officijs, & etiam in ferialibus.

An perlegãtur, quæ legẽda, vel canantur, quæ canẽda sunt in Choro.

An pœna imponatur errantibus.

An ipse Magister Cærimoniarum denuntiet singulis suum officium.

An etiam singula ministrorum munera.

An etiam conficiat Tabellam singularum hebdomadarum.

Qui, quæ, quo tempore, quove ordine.

An Cærimonias diuersas ab alijs habeat, easq doceat.

An Cærimonias nouas ordinatas doceat, & ijs instruat Clerum.

Conformet se, in quibus potest, cum Cærimoniali Sanctissimi D. N. & rubricis Pontificalis.

An curet, vt omnia recte, & decenter fiant.

Diaconi, & Subdiaconi. Cap. LXVI.



PISCOPVS, vel Visitator, Diaconos, vel Subdiaconos visitare intendens, primo animaduertat, an rite, & recte ordinati sint; vitamq. eorum ante actam, actionesq. præstitas, vel ne, videat; si ætatem à Sacro Concilio Trid. præscriptam habeant.

An deferant tonsuram, & habitum talarem, ordini congruentem.

An à suis Parochis approbati, à quibus; curet, sciat, si ordines bene exercent, & ministrant.

An com-

An communionem frequentauerint.
An Diuina, horas Canonicas recitare sciant. Exprimant, & an quotidie recitent.
An bene sciant ea, quæ ad eorum ordinem, officium, & functionem pertinent.
An sciant Ecclesiæ Sacramenta, peccata mortalia, opera misericordiæ, & reliqua in Doctrina Christiana contenta, bene, & expliciter declarare.
An litteras Latinas, & bene legere sciant; &, si intelligunt, & declarant quæ legunt.
Et, si vberius examẽ Visitator facere voluerit, videat Examen ordinandorũ super hoc. nam quædam breuitatis causa prætermittuntur.
Demũ Visitator diligenter videat, & perquirat, ne ordinati, vel ordinandi, aliquo Canonico impedimento irretiti sint; qui sunt: videlicet:
Minores natu.
Sacramento Chrismatis non confirmati.
Rudes, & ignari.
Criminosi.
Sollemniter pænitentes.
Neophyti.
Ebrietati, & gulæ dediti.
Impudici.
Lapsi post ordinem susceptum.
Periuri.
Vsurarij manifesti.
Infames.
Ratiocinijs obligati.
Serui.
Corpore vitiati.
Insigniter deformes.
Illegitime nati.
Peregrini, & ignoti.
Bigami.
Irregulares quo vis alio modo.
Suspensi.
Interdicti.
Excommunicati.
Amentes.
Morbo caduco laborantes.
Energumeni.
Non examinati, & probati.

Quod

Quod si Visitator aliquem ipsorum aliquo prædictorum impedimẽtorum irretitum inuenerit, suspensum, & irregularem declarabit, ad Sanctamq. Sedem Apostolicam remittat, dispensandum.

Postea interroget,

AN Choristas, Diaconos, Subdiaconos, & alios, cærimonias recte obire doceat Præfectus cærimonijs.

An Diaconus, & Subdiaconus semper partem ministrent.

An semper, an verò diebus festis præmittant confessionem.

An diebus Dominicis, & sollemnibus communicent.

Quando non àdest, cui incumbit onus Diaconi, vel Subdiaconi, quid agendum.

An distributio sit illis assignata, & an sit æqualis cum Presbytero, & quæ, quantave.

An in Aduentu vtantur Dalmaticis plicatis.

An modesti, & reuerentes sint, cum ad Altare ministrant.

An sciant omnia, quæ ad eorum munia obeunda spectant.

An in dando Incenso alloquantur aliquem, an rideant, aliudve indecens faciant.

An in dando Pacem, aliquod indecens committere consueuerint.

An in Antiphonis intonandis similia faciant.

Processiones. *Cap. LXVII.*

AN, & quando fiat Processio per Ecclesiam.

Quomodo Cærimoniarum Magister sit diligens in Processionibus ordinandis.

An etiam fiant aliæ Processiones, quot, & quibus diebus, & quo ordine, & modo.

An ordinate incedant, exeant, & reuertantur decenter.

An tunc, cum sit processio, omnes canant, & à colloquijs abstineãt.

An honeste, & modeste, ac deuote gradiantur.

An congruenti interstitio interposito bini procedant.

An ad Processionem congrue conueniant.


An controuersia de præcedentia, & loco inter aliquos sit.

An omnes secundum eorum promotionem, & dignitatem incedãt.

An adsit

An adſit Præfectus, Punctator, & nota punctandorum, & quæ diſtributio portionum intra, & quæ extra Eccleſiam fiat.

Cantores in Cappella Muſices. Cap. LXVIII.



N Magiſter Cappellæ ſit verſatus in arte, & inſtructus eorum, quæ dicenda ſunt.

Cantores an ſint Clerici, aut ſaltem veſtibus ad talum demiſſis, & ſuperpellicio induti, cum Clericali apice, & interula ad collum, non in rugas obducta, plicatave.

An vbique tales ſint, vt Eccleſiæ miniſtros decet; an vero in Eccleſia tantum.

An aliquando à Choro deficiant.

An colloquijs, riſui, cachinnis, & alijs inter cantandum vacent.

An præter organum, cætera excludantur inſtrumenta.

An recitentur Verſiculi organo canente, & Antiphonæ.

An aliquid profanum in organo, & Muſicis cantetur.

An, quæ canenda ſunt, ſonentur in organo, & è contra.

An deuote verſentur in Cappella.

An pueri ibi pro ſupranis interueniant.

Quæ cura puerorum cantantium habeatur, & à quo, vt bonis moribus, doctrinaq. Chriſtiana inſtruantur.

Curet omnino, vt ſoli dormiant.

An in domibus priuatorum Pueri ad cantandum vadant.

Quantum cuilibet cantori ſoluatur pro mercede, & vnde.

Quomodo introducantur, & dimittantur.

An ad libitum canant alterius, an vero ipſi prout ſibi libuerit.



L Cappellani,

Cappellani, & Sacerdotes. Cap. LXIX.

XQVIRAT Visitator, & interroget de Cappellanis, & Sacerdotibus, qui celebrare tenentur; & numerum describat, & nomina, cognomina, ætatem, & patriam eorum.

Curet, per ipsos exhiberi licentiam celebrandi, examen, &, si aduena sit, litteras dimissorias.

An simul omnes habitent, & vbi.

An habitu, & tonsura decenti vtantur.

Quæ sint eorum munera.

An sint obligati ad celebrandum quotidie.

An ad Missam celebrandam, se ordinatim diuidant, ne simul plures celebrent, & postea, cum populus frequens conuenire solet, nullus sit, qui rem sacram faciat.

An sit ei assignata merces, siue (vt dicunt) prouisio, & quomodo.

An habeant Cappellam.

An Cappella habeat sacras Vestes, Calicem, Missale, ac cætera ad vsum rei sacræ faciendæ necessaria, vt dictum est [a].

a Sup. in Visitatione Capellæ.

An ipsi habeant prædicta.

An suo munere fungantur.

An in Choro cantare detrectent.

An inter cantandum colloquantur.

An celebretur aliqua Missa in aurora.

An vsque ad meridiem pro nobilibus, curialibus, & alijs.

An celebrent simul in Altaribus sibi inuicem oppositis, vel adeo propinquis, vt alter alteri sit impedimento.

An rite, & deuote celebrent.

An cærimonias, & rubricas bene sciant, & obseruent.

An in festo duplici celebrent pro mortuis,

An tunc etiam Missas votiuas celebrare consueuerint.

An intermisceant orationes, [b] præter illas, quæ sunt in Missali nouo.

b Conc. Trid. sess. 22. decr. de obser. & euit.

An aliquis eorum expectet eleemosynas, alias celebraturus.

An ante portam Ecclesiæ stans, officiumque, & horas recitans, eleemosynas expectet pro re sacra facienda.

An eleemosynas paruas oblatas dedignentur.

An à Sacrista disponente congruis temporibus ad celebrandum accedant.

An, cum

An, cum ſacris veſtibus induti ſunt, colloquantur.

An ſe præparent oratione præmiſſa, & Miſſam perlegant prius.

An ſemel in hebdomada, an vero pluries confiteantur.

An birretum, aut quid aliud ſupra Altare ponant.

An, cum celebraturus à Sacriſtia exijt, ſupra Altare moretur, aliquem expectando.

An, inchoata Miſſa, ſubſiſtant, & initium repetant in gratiam alicuius, & vnde repetunt.

An omnia prius deponant ſupra Altare, antequam incipiant.

An finita Miſſa, capite cooperto grauiter Sacriſtiam repetant, Pſalmos, uel alias Sacras Orationes recitando.

An ſemper Clerico præcedente.

An, finitâ Miſſa, Deo gratiæ agantur.

An mox ad confabulationes, & vaniloquia accedant.

An habeant alias Cappellanias, & quibus oneribus grauatas.

An habeant plura beneficia, & tum, an ſub eodem tecto, vel vbi locorum.

An habeant beneficia, reſidentiam requirentia.

An alteri arti, ſiue exercitationi vacent, &, quæ ſit, exprimant.

An habeant lites, & quot, & quarum rerum occaſione.

Cuius condicionis ſint, an ſeruitio alterius addicti, & cui, & an laicis famulentur. Caueant.

An tabernas, ſiue caupo nas ingrediantur, easq. frequentent. Caueant, niſi in itinere.

An ad emendum ſibi publice neceſſaria, & an ea per ſe ipſos ferant. Non debent, ſi fieri poteſt.

An aliqua prohibita in Collegiatis committant.

An ſint ſordidi, & veſtibus conciſis, & immundis incedant.

An ſæpe barbam circa os præcipue tondeant.

An inter ſe pro eleemoſynis iurgia, & rixas committant.

An vmquam inter ſe ipſos de defectibus occurrentibus conferant.

An habeant Librum Ordinationis Miſſæ.

Quos Libros habeant, quosve frequenter lectitare conſueuerint: habeant ne ſaltem à Diœceſana ſynodo mandatos.

Hi ſunt libri, quos quilibet Sacerdos ad minus habere debet.

Bibliæ, aliquæ Summæ, Breuiarium, Miſſale, Officiolum Beatiſſimæ Virginis, Conſtitutiones Synodales, Prouinciales, Conc Trid. Rituale, & alij ſimiles, &c. Nec permittat Viſitator, eos, libros laſciuos, quo vis pacto, apud ſe tenere.

An punctentur deficientes, & peccantes, ab aliquo deputato.

An ſtatim poſt Miſſam vadant ad comedendum.

An honeſte, & modeſte viuant.
An cum mulieribus cohabitent, & cum quibus.

Viſitatio Clericorum. *Cap. LXX.*



CLERICI etiam viſitandi ſunt circa eorum munia, & ordinum functiones, in quibus initiati ſunt.

Et videat, vt alicui Eccleſiæ aſcripti ſint, à qua non liceat recedere ſine Epiſcopi licentia, ſed ibi inſeruire, iuxta ſanctionem Sacroſancti Concilij Tridentini.

Et quilibet ordinandus, ſciat, antequam ordinem ſuſcipiat, de eo periculum, & experientiam fieri debere, non ſolum in litterarum ſcientia, natalibus, moribus, & vita, ſed etiam in cantus peritia, quam omnes Clerici cuius vis ordinis, præcipue maiorum, callere debent, & in recitandis Diuinis Officijs, Horis Canonicis, Precibusve.

Et videat, ſi in eorum ordinationibus fuerunt prædicta omnia, & quæ à Sacroſancto Concilio Tridentino præſcripta ſunt, particulariter ſeruata, & circa Doctrinam Chriſtianam ipſos accurate examinet.

Poſtea interroget,

QVOT ordines minores habeant.
A quo collati eis fuerint. oſtendant litteras.
An Clerici omnes in minoribus conſtituti tonſuram ferant.
An pauperes ſaltem birretum Clericale, & interulam non in rugas ad collum deductam geſtent.
An celebranti ſemper aſſiſtant.
An, dum Diuina Officia celebrantur, vagentur per Ciuitatem.
An bene reſpondere, ac deſeruire celebranti ſciant.
An, antequam finitum ſit vltimum Euangelium, candelas, aut aliquid aliud ex Altari tollant.
A quo eligantur, & approbentur.
An bene inſtructi ſint in his, quæ ipſis incumbunt.
An ſciant Doctrinam Chriſtianam.
An Grammaticam ſtudioſe diſcant.
An Muſicæ dent operam.

An Ec-

An Ecclesiasticam disciplinam, & bonos mores tenere studeant.
An superioribus sint obedientes.
An immorigerati, rixosi inter se, & loquaces sint.
An in omnibus se modestos præbeant sine scandalo.
An vestes sordidas, & concisas habeant.
An habeant redditus in Ecclesia sibi tributos, distinctos ab alijs, & quomodo diuidant inter se.
Quæ onera habeant, & an eis satisfaciant.
Describantur nomina eorum, & numerus.
An habitent simul, & dormiant soli.
An bonorum conuersationem sectentur, ac malorum fugiant.
An gaudeãt immunitatibus, quibus perfruuntur Ecclesijs seruiẽtes.
An adsint Clerici coniugati, & inseruiant.
An ij cum habitu incedant. An bigami. Non gaudeant priuilegijs.
An confiteantur singulis hebdomadis, vel mensibus saltem.
An etiam qui sunt ætatis legitimæ frequenter communicent.

Decretorum Visitationis Generalis, & Decretorum Generalium publicatio. Cap. LXXI.

PERACTA Cathedralis Ecclesiæ, & Cappellarum Visitatione, antequam ad visitationem personalem omnium Dignitatum, Officialium, Canonicorum, Presbyterorum, & quorumcumque Clericorum ipsius Ecclesiæ deueniat; in dicta die festiua, si fieri poterit, per edictum, quòd omnes in Ecclesia conueniãt in Missa conuentuali, ad audiendum decreta in Visitatione descripta, ac tunc perferenda, & publicanda, præsente Episcopo, seu Visitatore in Choro, in loco suo sedente, intra Missarum sollemnia, post Offertorium, vel Missa finita, Notarius Visitationũ ex suggestu publicabit omnia Decreta lata, quæ signari in margine debent cum D. ad hoc, vt facili negotio inueniri possint, & sola Decreta legantur; & ab omnibus audiantur, & exequantur. Quibus lectis, & publicatis, deinde infrascripta Decreta generalia similiter ex suggestu publicari mandabit, vt, quæ forsitan defuere in Visitatione, cum infrascriptis compleantur, & magis memoriter seruentur. Aliaq. forma Visitator vti poterit, prout melius videbitur.

Decreta

Decreta Generalia in prædicta Generali Visitatione Cathedralis Ecclesiæ prolata per N. Cap. LXXII.

NOS N. dictam Ecclesiam, & Diœcesim visitan.

In Visitatione Sanctissimæ Eucharistiæ.

IN primis, præter alia Decreta, & mandata facta, & in progressu Visitationis prolata, mandatur semper sub pœnis arbitrariјs; vbi specialiter pœna non fuerit apposita in omnibus decretis præcedentibus, & sequentibus, semper intelligatur apposita.

Quolibet octauo die Archipresbyter curabit Sanctissimum Sacramentum renouari, & fragmenta super corporale, ne pereant.

Semper cum superpellicio, & stola, ac luminibus, genuflexionibus, & oratione, & publica, & generali confessione, & absolutione, ac sermone per prædictum Archipresbyterum habito, & præmissis omnibus, Sacramentum ministretur.

Vas, seu mappa sub mento communicandi in eius administratione supponatur: & saltem vnus minister cum cotta assistat.

Ad oris ablutionem, vas diuersum à calice vtatur, ac sudariolum ad os tergendum præ manibus habeat.

Fœminę à Maribus diuisę sint, quãtũ fieri potest, in cõmunione pdicta.

Nemo communicetur, nisi prius tesseram, seu cedulam absolutionis dederit, & postea sigillum accipiat, si tamen ita videbitur Visitatori.

Noui in communione recipienda ab Archipresbytero, & alijs ministris instruantur.

Tollatur quælibet superstitio in tali administratione: & communicantes tempore Paschatis, ciues ab externis separate scribantur.

Caueant, ne inconfessis, exteris, & ignotis illud ministrent, nec publicis peccatoribus, excommunicatis, armatis, & huiusmodi.

Quando defertur ad Infirmos.

CVM ad Infirmos defertur, seruentur Constitutiones Synodales, & Archipresbyter, & alij ministri moneant populum, vt, cum non sint grauissime occupati, associent dictum Sanctissimum Sacramentum; &, qui in domo sunt, cum campanulam audiant, genibus flexis, & mente saltem adorent.

Illud

Illud deferentes, ſemper oculos intentos ad ipſum habeant, nec vmquam ſine pluuiali, vmbella, & luminaribus, ac campanula.

Cum ad domum Infirmi peruenerint, faciant ingreſſum, cum *Pax huic domui*: hortationem, confeſsionem, & adorationem præmittant: & pannus ante pectus Infirmi ponatur; ac caueant de fragmentis.

Infirmos moneant, vt ſe in gratia Dei conſeruent, & de ante commiſsis doleant; ac ſtantes moneant, vt pro Infirmo orent.

Ad Eccleſiam reuerſi, recitando Hymnos, & Pſalmos antequam ipſum Sanctiſsimũ Sacramentũ reponatur, cum ipſo populũ benedicant, & Indulgentias Apoſtolicas publicent, & noſtras quadraginta dierum.

Poſtea manus lauẽt in Sacrario, ad hoc prope Altare maius ꝑparato.

Hoc fiet poſtea à Sacerdotibus Congregationis pro auxilio agonizantium, vt charitatis officium, ipſis à nobis commiſſum, erga Infirmũ exerceant, & vſque ad extremum vitæ adiuuent.

Delatio in Proceſſione.

SEMPER in Proceſsione ſollemniter cum Pluuiali, Velo, Baldachino, Luminaribus, Turibulis fumigantibus, & Tabernaculo oſtẽſorio argenteo, & decenti deferatur.

Omnes Presbyteri, cũ Pluuialibus, & Planetis, & Diaconi, & Subdiaconi, dalmaticis, & tunicellis ornati, in Proceſsionibus incedant, ſi ornamenta adſint.

Mandatur, vt Proceſsiones Generales prædicti Sanctiſsimi Sacramenti fiant per vias ſolitas, deſtinatas, & decentes, per ipſum Reuerendiſsimum Epiſcopum ordinatas, tam in die Sollemnitatis, quàm in Die Dominicæ, infra octauam, quàm in octaua eiuſdem Sollemnitatis; & viæ mundentur, & ornentur; prout fieri poteſt, cum pœna arbitraria; & omnes officinæ claudantur.

In Viſitatione Fontis Baptiſmalis.

PRAETER Decreta in Viſitatione ipſius lata, mandatur D. N. Archipresbytero, vt ipſe tamquam Parochus hoc Sacramentum conferat; & vigilet, ne Olea ſacra, & Sal benedictum in medicina detur, nec aliquid profanum applicetur.

Caueant omnes, ne aliquid in collatione Sacramenti exigant, & accipiant, præter illud, quod laudabili cõſuetudine, à ſponte dantibus in ducta, offertur; & ipſius collatio ſemper in Fonte in Eccleſia fiat, neceſsitate excepta.

Miniſtri huius Sacramenti prius inquirant, ſi infantes fuerunt baptizati domi, & quomodo, ne Baptiſmus reiteretur.

Archipresby-

Archipresbyter attendat; vt obstetrices examinentur, si sciunt recte formam Baptismi, in casu necessitatis; &, si nesciant, doceant patria lingua.

Archipresbyter præfatus singulis mensibus populum moneat in Ecclesia inter Missarum sollemnia, ne obstetrices mulieres pueros baptizent in casu necessitatis; quando adest commoditas virorum digniorum, qui hoc facere possint.

Procurent Baptizantes, vt compatres sint de voluntate parentum, & ætatis conuenientis.

Archipresbyter,& alij Baptizantes non admittant ad hoc regulares, erudimenta fidei nescientes, excommunicatos non confessos tempore Paschatis, publicos peccatores,& similes.

Iuxta Sacrosancti Concilij Tridentini decreta, Parochus in Ecclesia moneat frequenter, Compaternitatem non contrahi, nisi in Fonte, & in Confirmatione, reiectis alijs abusibus lotionum, & tactus, & similibus.

Insuper Compatres, admoneant de officio, & onere ipsorum, & quæ tenentur facere susceptis, sic etiam de cognatione spirituali contracta, & eius impedimentis.

Mandatur præterea Archipresbytero, tamquam Parocho, vt aliquando cærimonias populo declaret, iuxta formam à Catechismo Romano præscriptam.

Item, ne parentes per annum infantes in lecto teneant, sed in cunis; item, vt puerperæ benedictionem suscipiant in Ecclesia.

In Visitatione Sacrorum Oleorum.

PRAETER ea, quæ in Visitatione scripta sunt, mandatur Sacristis, hoc Sacramentum ministrantibus, vt diligenter, & prompte, etiam in nocte ministrent, iuxta Rituale Ecclesiæ.

Quando vnget, dicat etiam verba vngens, & socij assistentes Amen respondeant.

Bombyx, & Vas, quibus vngitur, in Sacrario vratur, vel proijciatur.

Mandatur Archipresbytero, & Parocho, vt cærimonias, & vim huius Sacramenti populo declaret; vt sciant omnes, quid ægrotantibus prosit.

Moneatur Archipresbyter, & Confessores, & denique omnes Sacerdotes Religiosi in visceribus Iesu Christi, vt agonizantibus assistãt, eos hortentur ad bene, sancteq. moriendum, quantum fieri potest, iuxta Ordinationes per nos circa hoc factas.

Altare

Altare Maius.

MANDATVR Sacristis, vt sæpe Altare prædictum, & tabernaculum à puluere excutiatur.

Nec candelas super Altare accendant, sed extra, nisi cum paruula candela, ne cera decurrens mappas maculet.

Sudariolum pro abstergendis manibus Sacerdotis album ex lino in Cornu Epistolæ ipsius Altaris dependeat, & sæpe mutetur.

Icona Altaris maioris, cum Reliquijs.

MANDATVR Reuerendis Archidiacono, Archipresbytero, & Cantori, Conseruatoribus Reliquiarum, ac Sacristis, vt Tabernaculrm, & Portæ, saltem singulis mensibus, puluere excutiantur, nitide conseruentur; contrafacientes pœnis ordinarijs puniantur, tam Sacristæ contrafacientes, quàm prædicti Conseruatores id non curantes.

Item, ne Portæ prædictæ aperiantur, & prædictæ Reliquiæ demonstrentur absque licentia Reuerendissimi D. Episcopi; & sit, qui ipsas demonstrat, cum superpellicio, & stola, & luminaribus accensis, nisi quando aperiuntur in festis sollemnibus, in quibus diebus officijs peractis claudantur.

Luminaria diu, noctuq. accensa ibidem permaneant, prout semper ardent tres lampades.

Mandetur, vt, quando ostenduntur tam Reliquiæ prædictæ, quàm etiam aliæ intus Sacristiam existentes, à Clero cantentur Hymni conuenientes Reliquijs, & venerentur ab omnibus.

Caueant, ne à sæcularibus tangantur, nec osculentur, nisi vasa, vbi conseruantur, seu earum thecæ.

Nec aliquid earum cuiquam dent, vel accommodent absque nostra licentia, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ.

Denique monentur omnes prædicti, vt fideliter, & deuote se gerant in prædictis conseruandis, & custodiendis.

Visitatio Cathedralis Ecclesiæ in eius corpore.

MANDATVR Sacristis præsentibus, & futuris, vt semel in hebdomada mundam in pauimento, parietibus, & Cappellis, & Altaribus hanc Ecclesiam conseruent, sub pœna, &c.

Iuxta tenorem nostrarum Constitutionum, quando Officia Diuina non celebrantur, semper clausam Ecclesiam custodiant.

M In diebus

In diebus sollemnibus, & festiuitatibus Sancti Richardi, & tituli Ecclesiæ, non solum mundam in omnibus habeant, sed etiam pannis, ornamentis, & ramis viridibus, vt moris est, ornent.

Cappellæ ipsius Ecclesiæ post Missarũ celebrationẽ sera claudantur.

Vnus ex Sacristis, donec Ecclesia aperta manet, & Officia Diuina celebrantur, ipsius Ecclesiæ curam habeat.

Nil vendatur in Ecclesia, & in cœmeterio, etiam si fuissent candelæ, & vota, sed extra Ecclesiam.

Non fiant in ipsa deambulationes, colloquia, congressus, nocturnæ vigiliæ, & similia; nec fores ipsius de nocte apertæ maneant.

Nemo Altaribus, & Fontibus adhæreat, nec in Ecclesia comedat, & bibat, nec dormiat irreuerenter.

Mendici, & quæstuantes ab ipsa eijciantur, & ante fores eleemosynam petant.

Ne fiant in Ecclesia transitus cũ oneribus, stipulationes, contractus, consilia, congregationes laicorũ, nec accipitres, nec sclopettas portẽt.

Ligna, cæmenta, saxa, & quælibet alia ad Ecclesiæ vsum non necessaria in Ecclesia non sint.

Nec cadauera ab vna Ecclesia ad aliam transferantur sine licentia Episcopi.

Ludentes, mærentes, rixantes, circulatores, venditores, & similia indecentia facientes ab Ecclesia prohibeantur, & contrafacientes excommunicentur.

In Visitatione Sacristiæ.

MANDATVR Sacristis, sub pœnis arbitrarijs, vt hanc Sacristiam, & eius supellectilem in omnibus mundam, & ornatam conseruent.

Caueant, ne Laici ibi versentur; nec ibidem colloquia, rixæ, & tumultus fiant, nec à Laicis, nec à Clericis, sed in silentio, & deuote ibi versentur; &, si Sacristæ contrafacientes non denunciauerint, & curiæ non notificauerint, ipsi in pœnam incidant.

Ornamenta Eccesiæ diligenter custodiant, & seruent, ne scissa ministris tribuant; sed, si sint ita, à Reuerendo Archidiacono petant resarciri, alias ipsi punientur.

Caueãt Sacristæ, & alij, ne Pallijs & alijs vestimentis Ecclesiasticis, & ornamentis sedium, & similium ab utantur, ad eorum, vel aliorum vsum, tam de nocte, quam de die.

Paramenta linea, corporalia, purificatoria, & similia nitida conseruentur.

Fragmenta paramentorum veterum seorsum ab alijs cõseruentur.

Calices,

Calices, cruces, turibula, & alia vasa argentea munda, & decentia conseruent.

Sacristæ omnia supellectilia Sacristiæ per inuentarium recipiant, conseruent, & sic successori restituant, si opus fuerit cum cautione.

Diuinis Officijs de mane peractis, Sacristæ omnes cappellas huius Ecclesiæ claui claudant, & curent, vt altaria semper ornata permaneant, alias &c.

Non discedat de Sacristia ad minus vnus de die, & duo de nocte, sed semper assistant pro collatione Sacramentorum, maxime Baptismi, Eucharistiæ, & Extremæ Vnctionis: &, si absque Sacristis Ecclesia reperta fuerit, puniantur: & circa hoc Sacrista maior vigilet. quod si negligens fuerit, ipse iam puniatur: vbi Sacristæ habent curam.

Maior Sacrista in omnibus, post Archidiaconum præsit in Sacristia; &, quando Diuina celebrantur, ipse ibidem præsit alijs Sacristis, & alijs Sacerdotibus in Missis dispensandis; & præcipiat, vt vnus curam habeat Missarum celebrandarum, videlicet aperiendi, & claudendi cappellas, luminaria accendendi, & eorum, quæ ad Missarum celebrationem faciunt; & alius in Choro præsit, & in Ecclesia eorum, quæ ad eius officium pertinent, & curam habeat Altaris maioris, lampadum, & similium, & prout Archidiaconus, vel Sacrista maior, officia alijs duobus Sacristis diuidet facienda.

Quolibet mane, qui deficit ab obligationibus Missarum, Anniuersariorum, & aliarum rerum in Tabellis existentium, Sacrista ad Episcopum, vel eius Vicarium deferat in scriptis, sub pœna arbitraria, vel saltem in fine hebdomadæ.

Sollemnibus, & Dominicis diebus exceptis, in quibus omnes Sacerdotes celebrare tenentur, in alijs diebus nō permittant exire à Sacristia Sacerdotem celebraturum, nisi post eleuationem alterius, qui celebrat: & hæc seruentur in Missis, quæ ex debito celebrantur.

Sacerdos, qui Missam matutinalem celebrabit, curent Sacristæ, vt, quando secunda campana Matutini pulsatur, illico exeat ad celebrandum; & qui contrafecerit, & Sacristæ non notificantes Episcopo, vel Vicario ipsius, etiam puniantur.

Mandatur Reuerendo Archidiacono, vt sub pœna suspensionis ab officio semel in mense videre, & reuidere habeat paramenta, & supellectilia Sacristiæ; &, quæ refici, & resarciri, & accōmodari, & reformari debeant, fiant; &, quæ mundari, ablui, & conseruari nitide debeant, conseruentur à Sacristis; & quod singulis annis, quando supellectilia Sacristiæ Sacristis consignātur, consignentur cū inuentario, cū receptione in calce, ac in fine; quando successoribus consignantur à prædecessoribus, dent rationem omnium, & quarumcumque rerum

Ecclesiæ etiam parui valoris; &, si sunt consumptæ, ostendant Reliquias, seu fragmenta ipsarum; alias, si in hoc Archidiaconus negligens fuerit, vltra prædictam pœnam, incidat in pœnam priuationis portionis cõmunis massæ pro illo anno,& alias pœnas arbitrarias,&c.

Multa alia decreta generalia fieri poterũt pro necessitate Diœcesis. Et Ecclesiæ,& maximè circa vitam, & mores Clericorum.

Ita pronunciamus, & declaramus nos N.

N. Not.

Instrumentum publicationis Decretorum. Cap. LXXIII.



DIE 28. Mensis Iulij 1585. in Cathedrali Ecclesia Andrien. intus Chorum ipsius, inter Missarum sollemnia Clero ibidem congregato, & ipso Reuerendiss̃imo D. Episcopo pro tribunali sedente in eius Sede Pontificali,in Choro,assistentibus ipsi Reuerendo Archidiacono,& Archipresbytero,omnia decreta signata cum D. & etiam hæc vltima generalia fuerunt per me N. ordinarium Notarium, & actuarium ipsius Curiæ Visitationis publicata de verbo ad verbum, vt iacent, alta, & intelligibili voce, præsentibus omnibus collegis, & coassumptis in Visitatione prædicta videlicet Cathedralis Ecclesiæ, ibidem assistentibus, præsente Reuerendo Capitulo, & Clero ibidem congregato. Præsentibus pro testibus Reuerendo N. N. N. & alijs. Et in fidem ego idem N. me subscripsi, & signum meum apposui.

Idem qui supra N. manu propria. Locus signi.

Visitatio personarum. Cap. LXXIV.



SI autem Episcopus personaliter quemlibet visitare volet, ipse solus cum Notario, vel præsente aliquo alio, prout sibi videbitur expedire, (nam id totum eius prudentiæ integrum relinquitur) in cubiculo suo, seorsum, remotis omnibus alijs, pote-

rit

rit quemlibet visitare, ac examinare, singulis prædicta interrogatoria proponendo, iuxta eorum officium, & ordinem; quibus etiam & infrascripta addere poterit, quæ hoc modo describenda per Notarium curabit, nec deferat cuique iuramentum.

Archidiaconi personalis visitatio. Cap. LXXV.

Die N. Mensis N. M. D. LXXXVI. in Episcopali Palatio N. &c.

COMPARET coram Reuerendissimo D. N. Episcopo N. R. D. N. Archidiaconus Ecclesiæ N. Visitandus.

Primo interrogatus, an sit prima dignitas in illa Ecclesia post Episcopalem, & an habeat litteras collationis, si habet, & ostendit, Notarius scribat, Ostendit Bullam plumbeam expeditam Romæ primo Ianuarij 1579. à Gregorio XIII. & dixit se esse in prima dignitate constitutum post Episcopalem in illa Ecclesia.

Quod si dictam Bullam bene expeditam inueniat, nec subreptitiã, approbet; sin minus, prohibeat, prout iuris fuerit; & omnia in actus Visitationis adnotabit.

Interrogatus postea, quot redditus, & quæ onera habeat annexa, præsentauit infrascriptum Inuentarium.

Quod sicuti præsentauit, sic legat primo, deinde alliget Libro Visitationis bene, ac fideliter ad verbum descriptum; videatque, quòd ibi annotentur noui fines, cum omnibus redditibus, honoribus, & oneribus, quæ ipsi incumbunt.

Interrogatus, an habeat litteras Ordinationis, si habet, & exhibeat, scribatur in Actis, Ostendit; si non habet, in eisdem actis scribatur, Nõ ostendit. & postea mandet, vt infra terminum certum ostendat, vel doceat saltem per testes, se ad Ecclesiasticos ordines Canonice fuisse promotum; alias sit suspensus ab ordine, donec Canonice docuerit de huiusmodi litteris, quæ sic declaret.

Item, an habeat alia beneficia, & quæ, & quot sint, & an sint incompatibilia, vel plura sub eodem tecto habuerit. prouideat, prout iuris;

ris; & aduertat, quod similes personæ non faciant fructus suos.

Si est Sacerdos, ipsum interroget; prout supra in cap. 69.

Si est Diaconus, prout in verbo Diaconi cap. 66.

Postea perquirat, an bene legat; An litteras Latinas calleat, si non est Doctor.

An incedat in habitu, & tonsura, & scribat, si est conueniens.

An frequenter celebret.

An habeat vestes sacras: si Visitatori videbitur.

An Missale, Breuiarium, & libros, quos supra notauimus, & alios maiores, & ad eius officium pertinentes, & à Synodo Diœcesana decretos apud se habeat.

Postea interroget, & visitet ipsum super sui officij functione particulariter; vt habetur in Decret. per totum tit. de off. Archidiac.

Necnon, & de alijs, quæ ad ipsum pertinent, ea consuetudine Ecclesiarum, quæ aliqua in parte, nonnumquam sunt diuersæ ab ijs, quæ ibi continentur. & ideo non curamus interrogatoria particularia describere.

Circa Clericos.

Interroget eum postea eo qui sequitur ordine, in ijs, quæ ad Clericos pertinent; & eius responsionem ad singula Interrogata apponat.

AN sciat Interrogatus, qui sunt Clerici Concubinarij. Dixit, se nescire; vel dixit N. N. & N.

An sciat, qui sunt Clerici filios habētes. & scribat, prout respōderit.

An sciat, qui sunt Simoniaci.

An sciat, qui sunt Aleatores.

An sciat, si qui sunt scandalosæ vitæ.

An sciat, qui sunt desides, & negligentes in Ecclesia.

An sciat, si qui sint incorrigibiles.

An sciat, si qui sint Laicis seruientes.

An sciat aliquos, qui se sæcularibus negotijs immisceant.

An sint, qui quæstori, ac negotijs illicitis dent operam.

Circa Laicos vero interroget.

AN sint suspecti in fide.

An sint sortilegi, fascinatores, cantionibus, magicisve artibus addicti.

An sint publici concubinarij.

An

An ſint publici fœneratores, & vſurarij.
An ſint publici Blaſphematores.
An ijs ſimiles perſonæ in ea ciuitate peccata publica committentes reperiantur.

Et ſic de ſingulis; prout ipſe Viſitator iudicauerit expedire. & hunc modum viſitando obſeruet in omnibus alijs officialibus poſt interrogationes factas, in ijs, quæ pertinent ad functiones ſuorum officiorum, dignitatum. Idemque in Clericis viſitandis præſtandũ erit.

Quod ſi forte Procurator Fiſcalis exhibuerit proceſſus, & informationes, & querelas poſt Viſitationem prædictam, ſcribatur tantum inſtantia Fiſcalis, qui ſcilicet præſentauit tot proceſſus, &c. & poſtea aut ipſe Viſitator, aut eius Vicarius, iuris ordine ſeruato, procedat contra ipſum, prout ſacri Canones, & Conſtitutiones Synodales mandauerint; vt latius infra in ſecunda parte dicetur. Et eandem met formam ſeruet in omnibus alijs interrogandis, & viſitandis, de quibus infra, ſiue ſint officiales, ſiue Canonici, presbyterive, aut quiuis alij, ſeruetur forma Conc. Trid.

Archipresbyteri, ſeu Parochi perſonalis viſitatio. Cap. LXXVI.

POST viſitationem Archidiaconi, ſequitur viſitatio Archipresbyteri, vel Decani, ſiue Parochi, vel illius, qui ſecundam dignitatem in illa Eccleſia Cathedrali, vel primam in Collegiatis, vel Parochialibus extra Cathedralem obtinebit, quem viſitabit eo ordine, quo ſupra dictum eſt de Archidiacono, exceptis, quæ ad officium, munusve Archipresbyteri ſpectant; & ſciat, quòd Archipresbyter, vel Parochus, ſi curam animarum habet, debet primo ſcire ea omnia, quæ, vt Sacerdos, ſcire tenetur; prout in viſitatione Cappellani, & Sacerdotis celebrantis ſupra dictum eſt. de quibus ipſum interroget, & præterea, ſi cura animarum ſibi iniuncta fuerit, debet ſcire infraſcripta, ſuper quibus erit diligenter interrogandus, & examinandus per Viſitatorem. & hæc eadem viſitatio debet fieri etiam Parochis, Archipresbyteris, & curatis omnibus in Ciuitate, & Diœceſi exiſtentibus. & de prædictis interrogare debet ſingulos poſt viſitationem eorundem perſonalem; &, poſtquam omnia ab ipſo circa Clericos, & circa Laicos perquiſierit,

rit, vt supra in Visitatione dictum est modo infrascripto.

Primo, mandet Notario, vt illius, quem visitat, nomen, cognomem, patriam, ætatem, gradus, ordines, tonsuram, habitum, & professionem fidei scribat in libro Visitationis; si iam non fuerint scripta.

Quod si non constet de fidei professione, mandet, vt ipsam coram Visitatore emittat; atque id ipsum etiam obseruet in omnibus dignitatibus, officialibus, & Canonicis, qui omnes professionem fidei emittere tenentur, iuxta Sacrosancti Conc. Trid. decreta.

a Sess. 24. cap. 12. de refor.

Postea videat titulum, fundationem, & omnia iura Ecclesiæ, & quos redditus habeat Parochus, & quæ bona, de quibus exhibeat Inuentarium, & in libro Visitationis colligat.

Interroget postea, an sciat, aliquid de bonis Ecclesiæ à quopiam occupari.

Et exprimat, quæ pacifice ex eisdem bonis possideret.

Postea eum interroget, eo, qui sequitur, ordine, ac modo.

An lites habeat pro se, vel pro alio, & quas.

An habeat pensiones, vel patrimonium.

An redditus alios, præterquam suæ Ecclesiæ.

An alia beneficia teneat, & quo titulo.

An soluat pensiones, quas, & quomodo, & cui.

An aliquid pro sacris ordinibus suscipiendis soluerit.

An aliquid pro consequendo beneficio Ecclesiastico.

Exhibeat probationem ad audiendas confessiones.

Si non est approbatus, & Ecclesiæ fructus suppetunt, dandus est ei Coadiutor, iuxta decreta Sacrosancti Conc. Trid. [b]

b Sess. 21. c. 6. de reform.

An iuxta Ecclesiam habitet, & an in domo Ecclesiæ.

An habitet ibi die, & nocte, an saltem in Parochia. Domi quos secum habeat viros, an mulieres, & an suspectos.

An habeat adiutorem ad certum tempus amouibilem, & perpetuũ.

An Clericum vnum, vel plures cum vestibus talaribus, superpelliciisque.

An Clerici sciant bene respondere, & an dicant in Missa, Suscipiat.

An habeat Cappellanos, quot, & quales.

An conductos mercede, an in Ecclesia beneficiatos.

An aliquod onus dictis Cappellanis incumbat, & an satisfaciant.

Vocentur, & interrogentur, vt supra in verbo Cappellani, vel infra in verbo Capitulum, & in verbo Sacerdotes.

An omnibus diebus festis in sua Ecclesia celebret.

An hora competenti, & populo commoda.

An præ-

An præter dies festos frequenter etiam celebret.
An saltem tribus diebus in hebdomada
Quot inhebdomada Missas sit obligatus dicere.
Quot in sua Ecclesia celebrari soleant.
An Missæ celebrentur simul in Altaribus oppositis.
An in Parochia sint oratoria, in quibus celebretur, & qualia.
An in Parochia pro mortuis celebret semel in hebdomada.
An sic ibi abusus vigeat, vt viduæ, vel aliæ non videant Missam. Moneat, vt veniant.
An illos, qui absque debita reuerentia rei sacræ intersunt, moneat.
In diebus festiuitatum suæ Parochiæ, quot Missas celebrari faciat, & an tum commessationes fiant, & quomodo.
Vbi plures Missæ celebrantur, an cum interuallo temporis vna post aliam.
An etiam in Altaribus ita dispositis, vt celebrantes se inuicem non impediant.
An celebrent ante, vel post meridiem.
An in dominicis, & maioribus festis Missam, ac vesperas cantet.
An rem sacram facturus ad Altare moretur alicuius expectandi gratia.
An, Missa inchoata, subsistat, & ab initio repetat.
An Missis celebrandis adhibeantur candelæ ex cera alba, vel flaua; quot, & cuius exiguitatis, magnitudinis ve, in ferijs, & festis diebus.
Quæ Missæ soleant celebrari, cum præfixo [a] num. Candelarum. Vbi ad hoc aduertitur,
An in altari extinguantur non finito Euangelio vltimo.
An, dum eleuatur Hostia, pulsetur campana, vt, qui in Ecclesia non sunt, cum signum audiunt, saltem genibus flexis, & capite detecto, mente adorent.

a Conc. Trid. sess. 21 decr. de obser. & euitan. in celebr. miss.

An eleemosynas expectet, alias non celebraturus.
An paruas pro Missis oblatas eleemosynas dedignetur.
An in Missa soleat intermiscere alias orationes, præter in Missali descriptas; puta, Nunc dimittis, De profundis, O sacrum conuiuium, & similia.
An habeat Missale, & Breuiarium nouum.
An rubricas obseruet, & experiatur.
An cærimonias deuoto, & decenti gestu exprimat.
An in Dominicis diebus confessionem generalem cum populo faciat.
An ad populum sermonem habeat lingua patria.
An quæstores eleemosynarios in Ecclesia admittat.

An, cum vacuus est, se se studijs occupet.
Quos libros habeat, quos legere soleat.
An habeat librum Rituum, an alios Parochiales, & quos.
An Canones sciat pænitentiales.
An ad lectionem casuum conscientiæ eat.
An habeat libellum Casuum reseruatorum.
An item Bullam in Cœna Domini.
An sciat, quæ ex Concilio publicare debeant.
An sciat declarare omnia prædicta, & patria lingua.
An sit de societate Clericorum, & an conueniat cum illis in diebus festis, & alijs constitutis.
An assiduus sit in confessionibus audiendis omni tempore.
An in priuatis ædibus Confessiones audiat, maxime mulierum. Caueat, necessitate excepta.
An etiam noctu cuiusquam Confessionem audiat, præterquam infirmorum. Similiter abstineat.
An subditis det licentiam confitendi in Pascha alibi, quàm in Parochia.
An tempore Confessionis, & Communionis, aliquid dari soleat, perquirat, ac se certiorem fieri curet.
An visitet Infirmos, & eos, vt confiteantur, & an non vocatus accedat.
An sciat, Medicos seruare decretum [a] super Infirmos. a c. cum infirmitas, de pæn. & remiss.
An moneat grauidas, vt confiteantur.
An rationem habeat venientium, & recedentium.
An tempore Paschæ requirat in hospitijs forenses, & aduenas.
An circa mendicantes, & an circa subditos sit accuratus.
An, cum peregrinantes in patriam redeunt, moneat, vt satisfaciant præcepto Ecclesiæ. [b] b c. omnis vtriusque sexus, de pœn. & remiss.
An moneat, ne ad vltimos Quadragesimæ dies Confessionem prorogent.
An tempore Paschæ communicantes dent schedulam, & eos describat.
An etiam separatim describat, ac notet non communicantes eo tempore.
An non communicantes, & non confessos post Pascha denunciet Ordinario suo.
An baptizatorum, & morientium, librum conficiat.
An sciat, qui confirmati sint, an non.
An, vt baptizatorum, sic etiam confirmatorum, librum habeat. Ostendat.

An libros annorum ſuperiorum conſeruet.

An horum exemplum, ſiue copiam det Vicario, in publico Archiuio recondendam.

An curet, vt Confirmationem omnes accipiant.

Placeret, Parochos, cum fit Confirmatio, accedere, & intereſſe. ac ſuos quemque ſcribere.

An moneat, vt faſciam cum goſſipio, ſiue bombyce vnctam ad Eccleſiam referant, vt in ſacrario exuſta proijciatur.

An moneat, quod leuando faſciam, aut alias res faciendo, nulla contrahitur cognatio ſpecialis, ſed tantum per manutentionem.

An doceat, quæ cognatio contrahitur per Confirmationem & Baptiſmum.

An moneat ſubditos de præparatione adultorum, & confeſſione permittenda ante Confirmationem.

An, vt diligentiam adhibeant, ne reiteretur Sacramentum.

An moneat de onere Compatrum, & de off. & impedimẽto ipſorũ.

An doceat, qui ſe ingerere ad ſuſcipiendum e ſacro Fonte, ſiue ſacra Vnctione, non debeant. puta, non legitimæ ætatis, neſcientes rudimenta fidei, Religioſos, & eos, qui nõ ſunt de volũtate parentũ baptizandorũ.

An doceat, quid Sacramentum Confirmationis importet.

An item omnes ad illud teneri, poſt diſcretionis annos.

a Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 7. de reformat. An pariter in reliquis Sacramentis populum inſtruat, [a] quare, quorſum, quomodo. Interrogetur quid ſoleat dicere.

An populo ſuo cum charitate Sacramenta adminiſtret.

An etiam diligenter, prompte, gratis, eo modo, quo debet.

An cum ſuperpellicio, & ſtola, præſertim Matrimonium.

b Seſs. 24. c. 1. An frequenter publicet decretum Concilij [b] de Matrimonio.

c ead. ſeſs. c. 10. An ſeruet tempus interdictum [c] nuptijs, & quod illud.

An ſine teſtibus, & fide, & licentia Vicarij vagantes in Matrimonium coniungat.

d ead. ſeſs. c. 1. circa princ. An denunciet Matrimonia, iuxta Concilium. [d]

An, ſi diuerſarum Parochiarum ſint contrahentes, in vtroque fiant monitiones, & fides habeatur.

An benedictiones extra Eccleſiam fiant, & an pro his aliquid exigatur.

An Matrimonia in Eccleſia duntaxat contrahantur.

An clam, vel ante Solis ortum, vel ſine præſentia teſtium, & cum irreuerentia aſtantium; & an aliquis abuſus, vel ſuperſtitio in ijs contrahendis irrepſerit.

An perſuadeat contrahentibus, vt prius confiteantur, & communicent.

An, ſi

An, si est idoneus, per aliquos dies ante habeat sermonem de vi, & effectu illius Sacramenti.

An sint in sua Parochia, qui benedictionem non acceperint, maxime post Concilium. Vtatur diligentia, & illos moneat.

An librum Matrimoniorum conficiat, & qua forma. Ostendat.

Quid seruet in secundis nuptijs.

An fiant consignationes Annuli, vel fileti ante denunciationem.

An coniuges in benedictione se osculentur, aut amplexentur in Ecclesia.

An sub Baldachino Sanctissimi Sacramenti. Ne fiat.

An sciat aliquam superstitionem ad vitandas fascinationes.

An propter dictas fascinationes aliqui separatim vitam agant.

An sint, qui vxores impie derelinquant, aut male tractent, & e conuerso.

An in sua Ecclesia per se, vel alium prædicet, & quando.

Dum prædicatur, si ei videbitur, poterit pannus extendi inter viros, & mulieres.

An in Parochia sint Oratoria, Societates, Monasteria monialium, Hospitalia.

Nomina, instituta, mores, redditus, fama singulorum exhibeatur.

An illis aliquis sine licentia prædicet.

An eius Parochia distincta sit ab alijs. An alterius membrum, aut ei annexa membra, & an ipse vtrobique curam exerceat.

An nimis numerosa sint membra Parochiæ vnienda, aut disunienda, segreganda ve.

An distantes domos habeat, & alteri Parochiæ viciniores.

An numerum familiarum in Parochia sua existentium sciat.

An omnium Parochianorum librum habeat. si non habeat, iubeat, vt illum conficiat alphabetico ordine.

An qualibet hebdomada totam Parochiam visitet.

An sciat populi sui necessitates temporales, & spirituales; & an eis consulat, vt potest.

An habeat curam mendicantium, & expositorum in sua Parochia.

An moneat mulieres, præsertim obstetrices, ne circa infirmitates infantium superstitiosa dicant, aut faciant.

An curet, vt in Parochia sua nulla sint vitia.

An sciat aliquos in Quadragesima carnes comedere, tam in Parochia sua, quam alibi, & ob quam causam, an infirmitatis.

An Apostatæ in Parochia aliqui sint, seu regulares, extra eorum Monasteria viuentes, & quomodo appellentur.

An intra,

An intra, vel extra Monasteria delinquentes, seu scandalosi, qui vocentur.

An comœdiæ, seu aliæ comicæ actiones, vel repræsentationes spirituales, & maxime cum fictione Sacramentorum, aut religiosorum, aut cum peruersione Scripturæ sacræ, aut alias fiant sine licentia.

An suspectæ lamiæ, vel striges.

An morbum hominum, uel animalium carminibus, & incantationibus curantes.

An diuinatores, an superstitiones, circa herbas colligendas, & dies Lunæ obseruandos.

Animaduertat Parochus, ne in Pane benedicto, aut similibus obrepat aliqua superstitio.

An in Parochia Clerici sine habitu, & censura incedant.

An perditæ vitæ, siue dissoluti, mali exempli, aut scandalosi sint.

An permittat meretrices publicas, concubinariosque eiusmodi.

An excommunicatos ab Ecclesia arceat.

An in Parochia sua peccata aliqua publica vigeant.

An domus suspectæ, an artes illicitæ.

An incogniti homines, vel circulatores.

An delatores, blaspemi, lenones, aut bonorum morum corruptores.

An dissidia, & inimicitiæ, & an eas pacificare curet.

An in omnibus curet, ne quod scandalum populo detur.

An in Parochia sint mulieres, quæ puellas doceant.

An ex legato, cappella, aut pictura, & quid aliud in Ecclesia fieri debeat.

An iocos, aut alia prohibenda in Ecclesia fieri permittat.

An oblatæ pro Missis eleemosynæ describantur, ac notentur.

An earum librum habeat, & eis satisfieri curet.

An sint aliqua legata pro Missis, officiis, seu luminaribus.

An, quæ legati vigore fieri debent, diligenter fiant.

An moneat subditos de legatis pijs seruandis.

de sepu. Caueat, ne per auaritiam persuadeat infirmis, vt relinquant aliquid Ecclesiæ, qui alias non essetrelicturi.

An in sepeliendis cadaueribus auaritiam vitet, & quid pro illis soluatur.

Quæ consuetudines sint circa illas, & an obseruentur.

An in sepulchris tantum, cœmeterijsque sepeliat.

An permittat Ecclesiam effodi pro sepulchris conficiendis.

An in Ecclesia extra monumenta sine licentia sepeliat, etiam lapide superimposito.

An

An discedat, antequam clausum sit sepulchrum.

An librum teneat redditunm, & expensarum Ecclesiæ.

An habeat Inuentarium omnium bonorum Ecclesiæ. Exhibeatur exemplum Visitatori.

Postremo interrogetur, si sunt plures Parochi in ciuitate, vel oppido insigni.

An alios Parochos noscat, an sciat aliquem ex illis male viuere, aut esse scandalosum, concubinarium, aut alios habere defectus?

Item, an Parochi se inuicem visitent, præsertim conuicini, in infirmitate, & vnus alium adiuuerit; & se ab ægrotante certiorem fieri curet de iuribus ad Parochiam spectantibus.

Eligendus esset Parochorum Præfectus in Ciuitate, vbi sunt plures Parochiæ, qui conuocaret alios ad Parochiam vacantem, vt celebrarent pro defuncto, & orarent pro bono successore, qui etiam acciperet omnes libros, & scripturas Parochiæ aliis presentibus

Visitetur domus Parochi, & videatur, an sarta tecta sint, & an aliqua ibi indecentia habeat.

Videantur libri omnes.

Vocandi sunt ad domum, & examinandi subditi aliqui melioris existimationis, & conscientiæ, de vita Parochi.

Item quęrendum, an subditi ad aliquid Parocho teneantur.

Item, an aliquid sint soliti dare tempore administrationis Sacramentorum Confessionis, Communionis, Baptismi.

An de die permittat Altaria esse sine ornamento, saltem maiora. Ne fiat.

An mane singulis diebus parentur.

An sint Altaria, quę non habeant dotem; & an parentur impensis Ecclesię, vel cuius.

An habeat Altare priuilegiatum.

An in eo aliquando pro defunctis celebret.

An teneat tabellam in Sacristia omnium Missarum, quę in quolibet die sunt celebrandę, & per quem, [a]

An notentur, qui non satisfaciunt muneri suo.

An sciat aliquos non satisfacere, & qui sint.

An doceat populum, quomodo sit honor, & reuerentia adhibenda reliquijs, & imaginibus Sanctorum.

Et quomodo sunt inuocandi Sancti, & quę veneratio eisdem debeatur, iuxta Sacrosanctum Concilium Tridentinum. [b]

An curet, vt lāpades semper ante S. Sacramentū Eucharistię ardeāt.

An curam diligenter habeat omnium presbyterorum, circa eorum vitas mores, & seruitia Ecclesię.

a Si ecclesia est in oppido insigni, offeret tabellam prout sup. & c. 52. & alia descripta in visitatione Sacristiæ.

b Sess. 25. decret. de inuocat. & ven.

Visitatio Primicerij, vel Cantoris. *Cap.* *LXXVII.*



ABSOLVTA Visitatione Archipresbyteri, Visitator debet visitare Cantorem, vel Primicerium, qui ijdem sunt, & si diuersis nominibus vocetur, à quibus ea, quæ in Visitatione Archidiaconi notata sunt, interroget, & ea, quæ ad Sacerdotem pertinent; & circa clericos, & circa laicos, vt supra. Et, quia eius officium est, habere curam Diaconorum, & Subdiaconorum in canendis lectionibus, & Choro etiam præesse, vt in Decretali, De offic. Primicer. habetur: animaduertat in hoc, quòd secundum consuetudinem locorum, variæ consuetudines obseruantur, ex quibus illa est attendenda, quæ bona, & laudabilis est. Ideo visitandus est Cantor, & interrogandus, vt supra; & etiam pro vt supra in Visitatione Magistri cærimoniarum, & Diaconi notatum fuit: & præter prædicta non solum perquirendum, an ipse bene canat, & intonet in Choro, & suum officium bene exerceat, sed etiam an sciat alios docere, & regere Chorum: quia citra hoc, vt plurimum versatur eius officium.

Interroget postea, an emiserit professionem fidei, prout etiam omnes Canonici tenentur facere, idque coram Episcopo, vel Vicario, vel coram Capitulo, iuxta decreta Sacrosancti Concilij Tridentini.[a]

Sess. 24. c. 1. [...] melius. 12. [...]e reform.

Et omnia, quæ ad eius officium pertinent, prout inuenerit, describi faciat in libro Visitationis per Notarium.

Item, an semper præsit in Choro in Diuinis Officijs.

An permittat canere in Choro vocibus disparibus, & dissonantibus.

An plures Missæ cantentur in vna Ecclesia eodem tempore.


An faciat tabellam ministrorum in festiuitatibus sollemnibus, maxime quando Episcopus Pontificaliter celebrat.

An in Choro silentium seruetur, & illud seruari curet.

Reliqua videat in Decret. eod. tit. per tot.

Visitatio

Visitatio Sacristæ, seu Custodis Sacrorum. Cap. LXXVIII.



OSTEA visitabit Custodem, seu Sacristam, qui est unus ex officialibus principalibus Ecclesiæ, licet officium hoc parui pendatur nostris temporibus in aliquibus Ecclesijs, & male. cum sacri Canones illud valde commendent; [a] dicantque, In his tribus Ecclesiæ columnis, Archidiacono, Archipresbytero, & Custode, seu Sacrista consistere debet alma mater Ecclesia. Propterea curabit, vt ad hoc ij potissimum eligantur, qui meliores, & sanctiores esse cæteris existimati fuerint: vt nulla negligentia in sancta Dei Ecclesia conspiciatur.

[a] In fin. de off. cust.

Quod si non inuenerit Sacristas tales, quales sacri Canones mandant, ipsos admoneat; & meliores, & bonæ opinionis, famæ, & conscientiæ, viros substituat. In Sacrista autem visitando hac methodo vtetur.

Primo describi curabit nomen, & cognomen, patriam, ætatem, & ordines illius.

Animaduertat, si est vnus tantum, qui sit Sacerdos; si sunt plures, possunt esse alij eius Coadiutores Diaconi, sed nequaquam Clerici.

Interroget postea eum, prout supra in Visitatione Archidiaconi, si est Presbyter, prout supra in verbo Sacerdotes. Si est Diaconus, pro vt supra in verbo Diaconi.

Deinde interroget, an bona Sacristiæ per inuentarium acceperit.

An cautionem dederit idoneam.

An omnia munda conseruet, & an diligens sit in ministerio suo.

An vllis Ecclesiæ ministris præsit, & quibus.

An Clericos, & Acolythos regat, & corrigat.

An male moratos, & perditis moribus præditos perferat.

An in Sacristia Laicos versari permittat.

An etiam mulieres.

An deambulationes tam in Sacristia, quam etiam in Ecclesia permittat fieri.


An pariter, risus, colloquia, tumultus, & similia.

O An fores

An fores Ecclesiæ opportune claudi curet, & aperiri.
An aquam benedictam singulis sabbathis renouet, & mutet.
An Officia, & Missas opportune significare curet.
An curet obseruari ea, ad quæ Cappellani, Clerici, & alij ministri tenentur; &, si defecerint, Episcopo, vel Vicario notum faciat.
a Sup.eo.c.47 An Sacristia habeat tabellas omnes, vt supra notatas in verbo Tabellæ [a] in visitatione Sacristiæ.
An in tabella Missarum ponatur, vbi, quæ & per quem sit Missa celebranda.
An in Ecclesia permittat eos celebrare, qui licentiam non habent.
An ornamenta sint omnia munda.
An male ordinata, & conscissa, vel diffuta.
An libenter præparet, & cum charitate ornamenta celebrantibus exteris, & aduenis.
An permittat aliquem celebrare ante auroram, vel post meridiem.
An studiose ornet Altaria.
An frequenter Altaris tobaleas mutet, & quando.
An diligenter custodiat Ecclesiam, & Sacristiam.
An in festiuitatibus maioribus, & Sancti Titularis Ecclesia ipsa paretur.
An Calices, Corporalia, Purificatoria, & alia decenter curet.
An curet luminaria, ceram, & oleum.
An paret hostias, vinum, aquam, & cereos, ad vsum rei sacræ, vt conuenit.
An omni Suo conatu curet in Ecclesia deuotionem, & cultum augeri Diuinum.
An discedat à Sacristia, donec est tempus celebrandi Missas, & alia Diuina Officia.
An habeat socium in Sacristia.
An habitet, & dormiat de nocte prope Sacristiam, vel vbi.
Interroget, an sciat conferre Sacramenta, si illa conferenda nocte contigerit; & quomodo; sin minus, instruatur.
An sit aliquis in dignitate constitutus, vel Canonicus, vel quis, qui præsit Sacristiæ, & videat sæpe vinum, an sit bonum, vel hostiæ an sint recentes, & bene purgatæ, & ornamenta an diffuta, an conscissa, & omnia alia, an sint munda, & nitida.
An sciat colores, quibus diuersis anni temporibus Sancta Ecclesia vtitur, vt dicant distincte, qui sint.
An in Sacristia sint ornamenta omnium prædictorum colorum.

Visitatio

Visitatio personalis Sacerdotum, Diaconorum, Subdiaconorum, & Clericorum, remissiue. Cap. LXXIX.



ISITATIS ijs, dignitatem, vel officium aliquod habentibus in Ecclesia, ac Canonicis, & Mansionarijs, eo ordine, quo diximus, deuenire debet Visitator, ordine seruato eorum promotionis, (si fieri potest) ad visitationem aliorum sigillatim, & in eorum visitatione eundem seruare ordinem, quē tradidimus in visitatione Archidiaconi, mutatis mutandis; & quemlibet eorum interrogare; vt ibi dicitur: & praeterea addet etiam, quae sequuntur; interrogabitque,

An habeat beneficia. declaret quae, & omnia describat; videat litteras collationis, & cognoscat.

An sit Canonice institutus.

An habeat plura beneficia.

An sint sub eodem tecto, vel alia incompatibilia.

An illis deseruiat, vel non. quia ex causis praedictis condemnari debet ad restitutionē fructuum. quòd si dictae litterae, quas exhibuit, sint bonae, adnotentur in libro Visitationis, hoc modo, Ostendit litteras expeditas à Sanctissimo D.N. Anno N. sub die N. Si non habet litteras, & ipsa beneficia possideat, absque Canonica institutione, scribat in ijsdem Actis; Non ostendit, & similiter tenetur ad restitutionem fructuum. postea interroget,

An sciat recitare horas Canonicas, diurnas, & nocturnas, & si eas recitat quotidie. alias tenetur ad restitutionum fructuum vigore Concilij Lateranensis sub Leone [a] X. & const. fel. recor. Pij. V. [b]

Videat pariter, an Sacerdotes bene, & distincte legant. a Sess.9.§. statuimus.

An frequenter, vel raro, vel quando celebrent. b Incipien.

An sciant bene, & explicite celebrare, & an caerimonias Missae teneant, vt in rubricis noui Missalis adnotantur. .n.sexpress

Interrogentur omnes sacros ordines habentes super doctrinam Sacramentorum Sanctae Romanae Ecclesiae, quae ad singula interrogata distincte, & explicite respondere teneantur.

Quod si bene responderint, scribat, Bene respondit. Sin minus, Competenter respondit.

Quod si omnia penitus ignorauit, scribat, Ignorauit, vel, Penitus omnia ignorauit, vel ipsius responsionem ad verbum scribat, ac notet.

Interrogētur pariter omnes Clerici super doctrinam Christianam, & scribat eorum responsiones: prout supra.

Postea ab omnibus indifferenter perquiret,

An habeant libros dignitati, officio, & ordini suo congruentes, & quos. dicant, & ostendant. & Visitatōr in capite libri cuuslibet sua manu propria nomen, & cognomen domini, cuius liber, erit, apponat: quod faciat etiam similiter in Missalibus, & Breuiarijs.

An habeant Constitutiones Prouinciales, vel Diœcesanas Synodos.

An habeant vestes sacras, superpellicium non conscissum, nec sordidum.

An incedant in habitu, & tonsura. Et omnia scribat, prout inuenerit.

Notandum etiam, quod Sacerdotes præter prædicta scire, & habere debent ea omnia, quæ notauimus: super quibus interrogandi

sunt, vt in verbo Cappellani, & Sacerdotes [a] celebrantes. ...p.eo.c.

Interroget etiam Diaconos, & Subdiaconos, prout supra in verbo

Diaconi, [b] & Subdiaconi notatum est. Videatque, ...p.

An habeant litteras ordinum. si non habent, detur terminus, vt saltem per testes doceant; alias suspendantur.

Similiter etiam Clericos debet interrogare, prout supra in verbo

Clerici. [c] ...p.eo.c.

Et, quos eorum aptos, & bene dispositos inuenerit, laudet eorum diligentiam, quia Virtus laudata crescit.

Quos vero desides, negligentes, & ignorantes, reperiet, arguat, increpet in omni patientia, & admoneat, vt filios, eisque præfigat terminum, vt discant, quæ scire teneantur, & apti fiant ad munus suum obeundum, &, quos perseuerantes in ignorantia inuenerit, & obstinatos, in fine Visitationis suspendat, & priuet, prout sibi de iure videbitur.

Quoniam huc vsque multa de Visitatione Ecclesiarum, & personali diximus, multaque adnotauimus, quibus opportuna sunt adhibenda remedia, postulat ordinis ratio, vt, quo pacto sint publicanda huiusmodi remedia, siue Decreta, demonstremus.

Decreta Visitationis Ecclesiarum, & Cappellarum, quomodo publicanda. Cap. LXXX.



OSTQVAM visitauerit Ecclesias, & Cappellas, eo ordine, quo docuimus, & Decreta, quæ necessaria uisa fuerint, interposuerit suis loco, & tempore, vt omnia debitæ excutioni demandentur, ne quisque i gnorantiæ clypeo se tutari possit, moneat in Ecclesia prius omnes, vt conueniant die N. festo. quibus sic congregatis, & ipso Visitatore sedente, in Choro, in sua Sede, ibidem præsentibus Assistentibus, & Clero, & Populo in vnum coacto, inter Missarum sollemnia, vel post, legantur Decreta in Visitationis serie interposita, per Notarium Visitationis, ex suggestu, ad hoc, vt omnibus, quæ prouisa, ac statuta fuerunt, innotescant, nec elapso termino in Decretis præfixo, se excusare possint, sed ea, prout decet, exequantur, prout supra late docuimus.

Decreta personalis Visitationis. Cap. LXXXI.



IMILITER expleta Visitatione personali, diligenter Visitator videat, inspiciat diligenter, ac scrutetur omnia huius personalis Visitationis acta, prout scilicet singuli interrogati responderint in suis Visitationibus; &, prout necessarium esse, ac conducere iudicauerit, ipsos moneat, corrigat, & castiget, ac puniat, vel suspendat; vt iuri consonum fuerit; hoc modo.

D. N. ob eius notabilem ignorantiam ab Altaris ministerio remotus fuit.

D.N. ob

D. N. ob eius in Sufficientiam fuit ſuſpenſus, quoad ſcierit ea, quæ ad ſuum ordinem exercendum. & ſic de ſingulis.

Quod ſi quem plura beneficia ſub eodem tecto tenentem inuenerit abſque Apoſtolica diſpenſatione; interponat decretum huiuſmodi.

D.N. inuentus eſt tenere, & poſſidere beneficium, ſeu capellam N. & aliud beneficium N. vel Ius patronatum intus, & ſub eodem tecto dictæ Eccleſiæ, quæ de iure abſque Canonica diſpenſatione teneri non poſſunt. Nos itaque, mitius cum eo agendo, aſſignauimus illi terminum duorum menſium peremproprie à publicatione præſentium numerandorum, infra quem obtinere debeat à Sancta Sede Apoſtolica, & huic Curiæ præſentare diſpenſationem obtentam. alias, termino prædicto elapſo, & non obtenta, & præſentata prædicta diſpenſatione, ex nunc, prout ex tunc, ipſo termino elapſo, prædictis omnibus beneficijs priuatus ſit, prout ex nunc, ſicut extunc, ipſis prædictis beneficijs priuatur, ita, vt termino prædicto elapſo. ſi de prædicta diſpenſatione non docuerit, poſſint dicta beneficia abſque alia declaratione alijs conferri.

D.N. Qui repertus concubinam, & filios habere, & in ipſo concubinatu incorrigibiliter perſeueraſſe, &c. extendat Viſitator decretum, prout ſibi videbitur, ſeruatis ſanctionibus Sacroſancti Concilij Tridentini, & Conſtitutionum Synodalium.[a]

[a] Seſſ. 24. c. 14. de refor.

Et ſic, prædicta methodo ſeruata, poteſt formare omnia alia decreta, ſeruatis ſeruandis, tum circa eos, qui incorrigibiles fuerint, concubinarijve, ſiue non recitantes horas Canonicas, & ijs ſimiles.

Et ſic per Viſitatorem decretis conſcriptis, & firmatis, omnes, & ſingulos monebit, vt die tali conueniant in Sacriſtia, vel in aula Reuerendiſſimi, vel in alio loco ſecreto, ne Laicis innoteſcant defectus, & imperfectiones Clericorum; ibique præſente ipſo Viſitatore, & ſedente, per Notarium legantur, & publicentur decreta Viſitationis perſonalis ipſis pœnitentibus, & audientibus.



Viſitatio

Visitatio orationis Quadraginta horarum. Cap. LXXXII.



EINDE interroget assistentes, & dignitates Ecclesiarum, ac Parochos, an, & quando, & quoties fiat oratio Quadraginta horarum.

Quod si ibi non sit in vsu, eam instituat, horteturque Clerum, & populum, ac societates, quod ad æmulationem in ea frequenter se exerceant. Quomodo autem sit facienda, quæ ve regulæ sint seruandæ, videantur Acta Ecclesiæ Mediolanensis sub hoc verbo. Præterea, quæ in calce hic ponentur. Quod si fiat, interroget,

An delicentia, & a quo facultas fiat.

An cum deuotione, & an sit Præfectus in tali opere, vt omnia ordinate fiant, & ad Diuini cultus dignitatem dirigantur.

An decenter, quot luminaribus, & expensis quorum.

Quas orationes faciant, & quis modus orandi.

Quomodo alijs subeuntibus locum cedant.

An hora prorogetur.

An de nocte fores claudantur.

An diuisis maribus à fœminis oretur.

An fœminæ de nocte. Nequaquamsed de die.

An cum deuotione, & processione portetur Sanctissimum Sacramentum ad locum deputatum.

An locus decenter ornatus sit, & aptus ad tales orationes.



Regula

Regula quomodo fieri debet oratio Quadraginta horarum, & quare sub hoc numero. *Cap. LXXXIII.*



SANCTOS Patres nostros legimus varijs modis orare solitos fuisse: sed semper valde laudata fuit, ac commendata oratio communis, & multorum. ad quod confirmandum varia exempla per eos adducuntur: quæ quoniam apud eos passim legi, ac videri possint, prætermittam, contentus hoc vnũ tamen adduxisse. nam sæpe vsu euenire solet, vt Dominus temporalis, vnius intuitu, ac precibus, nolit aliquam concedere gratiam; sed, postquam viderit totam ciuitatem acclamantem, seque enixius rogantem, flectitur tandem, nec potest denegare, quin concedat, quod tantorum precibus, ac supplicatione petitur. ita misericors, ac pius Deus, licet omnibus eum inuocantibus semper præsto sit, tamen multorum precibus, ac orationibus facilius eius gratiam impetrari censendum est. Scriptum est enim, Vbi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi in medio eorum esse Deum; & alibi dicitur, Multum valere orationem iusti assiduam. Et, quia hic numerus quadragenarius sacratus est, & valde commendatus in paginis veteris, & noui Testamenti, & Deus omnipotens per ipsum multa signa monstrauit, propterea sub hoc dierum numero potissimum hãc orationẽ faciendam à sanctis Patribus institutum est. nam 40.[a] Pluit Deus aquas diluuij. post 40.[b] dies Noe aperuit arcam. 40.[c] diebus Moyses fuit supra montem Synai, vt legem Domini mereretur accipere. Per 40.[d] mansiones Populus Israel venit in terram promissionis. 40.[e] annis dictus populus manna cibatus fuit à Deo in deserto. 40.[f] diebus ieiunauit Moyses, & [g] totidem Helias. 40.[h] diebus pænitentiam fecerunt Niniuitæ. 40. diebus dormiuit Ezechiel super latus suum dexterum. 40. annis desolatus fuit Aegyptus. 40. mensibus prædicauit Dominus noster Iesus Christus in hoc mundo. 40.[i] diebus ieiunauit in deserto. Quadragiuta horis Sanctissimum eius corpus fuit in Sepulchro. 40.[k] diebus in hoc mundo post Resurrectionem suam.

a Genes. c. 7. b Genes. c. 8. c Exod. c. 34. d Numer. c. 33. e Exod. c. 16. f Exod. c. 34. g Reg. 3. c. 19. h Ioan. c. 3. i Matth. c. 4. k Act. c. 1.

Et, licet omnibus, & cuilibet prædictorum actuum huius orationis series possetapplicari, nihilominus Patres sancti Primitiuæ Ec-

clesiæ

clesiæ prædictis quidem omnibus aptauerunt, sed præcipue 40. horis, quibus Corpus S. D.N.Iesu Christi fuit in sepulchro.& ideo hæc oratio debet fundari super passionem eius; quæ, vt pie ac sancte à Christi fidelibus fieri possit, has regulas subtexuimus in ea seruanda.

In primas, cum hæc oratio erit facienda, debet indicari, & publicari aliquot diebus ante, vt omnes se ad eam præparare possint.

Debet præparari locus ornatus, obscurus, ad modum Sepulchri D.N.Iesu Christi, prout feria V. in Cæna Domini construere consueuit Ecclesia.

Non adhibeantur ad illius ornatum panni lasciui, & picturæ inhonestæ, sed deuotæ.

Sint ad minus 13.lampades ardentes & candelæ mediocris magnitudinis, iuxta facultatem locorum, vel totidem, vel ad minus sex.

Sint Ministri, & custodes, qui illas subministrent, & custodiant.

Sanctissimum Sacramentum cum processione deuote portetur cum luminaribus, & ibi supra Altare collocetur in Tabernaculo ostensorio, vt ab orantibus videatur, superposito velo sericeo, & deaurato.

Homines orent, diurno, & nocturno tempore, sed feminę nunquam nocte sed de die tantum, & separatim a maribus.

Sit Pręfectus huic sancto operi,qui per aliquot dies antea distribuat horas quadraginta viris & feminis, qui sunt veluti duces, & ante signani aliorum.

Nunquam cesset oratio, sed continua sit.

Pręfectus constituat Sacerdotes, vel Clericos, qui ibidem semper in Ecclesia assistant, tenentes supra tabulam horam a renariam, & campanulam, qua finita detur signum cum campanula.

Primus, siue dux illorum, qui orauerunt, exeat primo capite detecto cum Crucifixo in manibus eleuato, & omnes bini sequantur, & ex loco orationis per Ecclesiam processionaliter ad Altare maius accedant.

Ibidem genuflexi inueniātur alij oraturi, & ibidem primus eorum, qui orauerunt, cum deuotione tradat Crucifixum Primo, siue Duci aliorum, qui ad orationem pergunt, qui eodem met ordine per Ecclesiam processionaliter ad Altare maius accedant, & deuote ingrediantur locum Oratorij.

Vbi commode id fieri potest, debet quidam Theologus, vel Parochus in principio orationis genuflexus capite decteto ad modum exhortationis proponere aliquid ex passione D.N. Iesu Christi meditandū,& pro quibus orandū docere,& pręcipue pro summo Romano Pōt. pro Rege, & Principibus Christianis,pro Prælato eius Ciuitatis, & pro oībus alijs Pręlatis S.Eccl.pro omni Clero,& Populo,pro virginibus,

P & viduis,


& viduis, & pro omnibus alijs, & in vniuersum pro omni statu Sanctæ Ecclesiæ, & Christianorum; eisque insinuabit, si quid à Præfecto mandatum fuerit.

Finita qualibet hora, post pulsationem campanulæ, cum campana maiore Ecclesię detur signum vnum in prima hora, duo in secunda, & sic in reliquis, vsque ad quadraginta horas.

Moneantur orantes, vt, antequam ad orandum intrent, confiteantur peccata sua; qui si communionem quoque sumpserint, melius erit, & facilius exaudientur eorum orationes.

Oratione durante de nocte, Ecclesiæ fores claudantur, & aperiantur pulsantibus.

Circa Laicos quomodo procedendum remissiue. Cap. LXXXIV.




VONIAM Visitator in Clericis visitandis, multa eos de Laicorum vita, & moribus interrogare debet, vt supra docuimus, facileque eueniet, vt ex eorum responsionibus Visitator colligat, multaque emendet, ne hac reformatione indigeant in Populo, cumque insuper Curati, & Parochi teneantur Visitatori nota facere publica Laicorum crimina, quæ corrigere, punire, ac multare ad forum Ecclesiasticum pertinet, de quibus etiam Visitator inibi à senioribus viris, & timore Dei plenis perquirere debet, eos hortando, vt ad Omnipotentis Dei gloriam, Populi reformationem, & salutem animarum, ad ipsum perferant; si quod sciant enorme crimen, aut publicum ibi vigere, ad eorum pœnam, ac multam debet Visitator, perfecta Visitatione, procedere. Quomodo autem hæc facienda sint, & quomodo contra ipsos sit agendum, dicemus infra, suo [a] loco, cum de visitatione Diœcesis agemus, quæ omnia huic loco accõmodari possunt, quæ etiam, quæcunque hic dicta sunt de visitatione Ciuitatis, inseruient visitationi Diœcesis peragendæ, demptis aliquibus, quæ sunt Ecclesiarum Cathedralium, Canonicorumque, & officialium, & ciuitatis præcipua, & particularia, de quibus à nobis supra sigillatim pertractatum est. Sed, ne hanc partem totam in visitatione Ciuitatis aut neglexisse, aut per ignorantiam, socordiam ve omisisse

[a] Part. 2. c. 10. & seq. & c. 14

omisisse videamur, nonnulla hic apposuimus, quæ per Visitatorem præstanda erunt, ad vitam, ac mores Populi corrigendos, ac reformandos, quæ inutilia fore non existimamus.

Quæ pertinent ad mores Populi corrigendos. *Cap. LXXXV.*



RIMO videat, an Parochus habet librum animarum populi, & an distinctè compositum, & digestum per Alphabetum exhibeat.

An in ipso sint notati, & descripti, qui illo anno confessi fuerunt, & communicati, & qui neutrum præstiterunt.

Si quos non inuenerit satisfecisse præcepto Sanctæ Ecclesiæ, corrigat, & pœnitentiam eis salutarem iniungat, contumaces excommunicet, corrigat, & castiget, prout animarum saluti expedire videbitur.

Videat posta, (referente Parocho, & viris probatis tum Clericis, tum Laicis locorum, vel Parochiæ) an sint abusus particulares inter Laicos: videlicet.

An aliqua festa ex præcepto Ecclesiæ sanctificanda violauerint, & quæ. tum, an consueuerint festa violare.

Animaduertant, an dicant festa violare non esse peccatum, quia sapit hæresim.

An sint aliqui blasphemi, & qui.

An aliqui, & qui sint concubinarij, & quanto tempore perseuerauerint.

An sint adulteri, & incestuosi.

Qui nam cohabitent cum mulierbus suspectis.

Curet, & diligentiam adhibeat circa meretrices, & lenones, & circa confessiones eorum, & perquirat, an communicent, & quando, & quomodo; ne in damnationem accipiant Sacramentum.

Choreæ ne fiant die festo, & cum lasciuia.

Prohibeat, ne sint loca destinata, vbi aleatores se congregent.

Videat, an sint mariti, & vxores non cohabitantes simul, vel diffidentes.

An ſint fœneratores, & vſurarij, publici venefici, & incantatores, ac ſimiles.

An ſint aliqui ſuſpecti in fide, vel hæretici: & in hoc maximam diligentiam adhibeat.

An ſint aliqui excommunicati, & qua excommunicatione, an ſint contumaces in eius curia, & in diſciplina Eccleſiaſtica.

Prohibeat falſos quæſtuarios, ac ipſos puniat.

Confraternitates, Sodalitates, & Scholas Laicorum videat, viſitet, & prouideat, vt infra dicetur.

Præcedentiam ipſorum determinet.

Demum videat, an ſint in ciuitate, oppido, vel Parochia homines rixoſi, & an inter eos vigeant rixæ, inimicitiæ, & ſimultates; fures autem, & latrones, & huiuſmodi, & omnes facinoroſos homines hortetur, vt viam ſuam malam deſerant, à malo perpetrando declinent, & ad diſciplinam Chriſtianam aggregentur; ac cum omnibus agat, vt bonum Paſtorem, & Patrem ſpiritualem decet.

Viſitatio cum examine pro approbandis confeſſoribus. Cap. LXXXVI.



Lauium poteſtatem à Domino Ieſu in Eccleſia relictam fuiſſe ad ſoluenda peccatorum vincula, & ad fores Cæli reſerandas, nemo verus Chriſti ſectator dubitabit, ac ſanctum Pænitentiæ ſacramentum ab
Ioan. c. 20. eodem inſtitutum, [a] vt lapſis, & peccati labe infectis eſſet remedium, & ad abluendas peccati ſordes, & ad ſummi Dei comparandam gratiam. proptereaq. & ſancti Patres, & Theologi omnes communi conſenſu dixerunt, Sanctum Pęnitentię Sacramentum eſſe ſecundam poſt naufragium tabulam. ex quo facilè apparet, quanta ſit huius Sacramenti neceſſitas. proptereaq. non parua eſt adhibenda diligentia, vt dignè, ac congruè miniſtretur. ideoq. ab inſtituto noſtro non alienum eſſe duximus, huic Directorio inſerere praxim examinandi Confeſſores. in qua diligens, & exquiſita ratio ſeruari debet, vt infra docebimus. quod examen etiam à Viſitatore fieri poterit in viſitatione; ſed, quando extra viſitationem fiet à Prælato, vel eius Vicario, fieri debet præſentibus ibidem examinatoribus Synodalibus: prout Sacroſanctum Conci-

Concilium Tridentinum [a] mandat. Et, quoniam totum hoc onus approbandi Confessores, eosq. ad audiendas pænitentium confessiones admittendi, examinatorum humeris incumbit, multa eos Visitator monebit, & hortabitur, vt hoc sibi iniunctum munus diligenter exequantur; ac omnia ad omnipotentis Dei gloriam, & honorem, atque ad animarum salutem dirigant.

[a] Sess. 24. c. 18. de reformat.

Conuocatis igitur examinatoribus omnibus, eos instruet, ac docebit, vt cognoscant, quanta sit commissi sibi muneris grauitas, quantum pondus eorum humeris incumbat: qui si negligenter, aut male, se vllo modo gesserint, Deo optimo primùm culpæ in eo munere admissæ exactam rationem se reddituros esse nouerint; postea verò hominibus, propter scandalum ignorantiæ eorum, quos approbauerint. Proptereaque eos monebit, hortabiturque, ne spe, ne ve metu, non prêmio, non personarum acceptione, nec aliquo affectu ducantur in eligendis ijs, qui pænitentium confessiones audire debent. nam, vbi affectus animi, ac perturbationes vigent, non facilè rectum, ac bonum dignoscitur.

Verùm, præposito sibi inprimis timore Dei, nequaquam, quem indignum norint, probent, aut, quem experimento, periculo de facto idoneum, dignumque compererint, ne reijciant; sed grauiter, maturè, prudenter, rectèque tam in probando, quam in reijciendo deliberent.

Et, priusquam examen incipiant, cum in vnum congregati fuerint, orationes & preces præscriptas [b] præmittant, ac Dei opem humiliter implorent, sine quo nouerint se nihil boni, nihil recti, vllo vnquam tempore posse facere, dicente Veritate: Sine me nihil potestis facere [c].

[b] sup. c. 56.

[c] Ioan. c. 13

Et sciant, quod quilibet ad confessiones audiendas admittendus, præter ea, quæ scire debeat, vti Clericus, Diaconus, Subdiaconus, & Sacerdos, vt supra notatum est suis locis [d], debet etiam interrogari, priusquam ad Confessarij onus approbetur, sigillatim de infrascriptis, super quibus benè respondere debet, aliàs non est approbandus.

[d] cap. supra c. 66. & 69.

Et primo de Sacramenti Pænitentiæ necessitate.

Quare institutum sit hoc Sacramentum, & à quo institutum.

Quæ huius Sacramenti materia }
Quæ forma } sit.
Qui illius effectus }
Qui minister }

Quæ condiciones in eo requirantur.

Quę regulę ad dignoscēdū, & distinguēdū peccatū mortale à veniali

Quæ Pænitentię partes sint.

Quę

Quæ earum partium ratio.
Quid Contritio sit.
Quæ ad veram Contritionem sint necessaria.
Qui Contritionis fructus, & vtilitas.
Qua quisque ratione se ad Contritionem exercere possit.
Quæ signa sint veræ Contritionis.
Perquiratur item, quæ Confessionis, quæ par Pœnitentiæ natura est, atque substantia.
An diligenter inquirere sciat, & peccatoris circumstantias, & peccati item.
Quæ mutent speciem peccati, & quæ in Confessione explicanda sint.
Quæ restitutionem postulent, quæ radices, causæue restitutionis.
An dubios, suspectos ve contractus norit, aut saltem de ijs dubitationes & quæstiones instituere, inire ve faciat.
Quibus criminibus annexæ sint censuræ.
An item illarum peritiam, & vim teneat.
An casus, in quibus irregularitatis macula contrahitur.
An saltem in ijs omnibus, & alijs, quæ ad verum, perfectum ve huius Sacramenti Pœnitentiæ ministrum pertinent, sciat dubitare, & nouerit consulere peritos, quomodo agendum sit id, quod in dubitationem adducit.
Qui item ritus, & sacræ cærimoniæ Confessionis.
Quæ condiciones ad Confessionem vere pœnitentis necessariæ.
Qui ordo confitendi, quando quis statim confiteri debeat, quomodo.
Item confessionem iterare.
An sciat condiciones Pęnitentiæ.
De Satisfactione, quæ tertia pars Pœnitentiæ est, quæratur.
Quæ Satisfactionis partes.
Qui Satisfactionis finis.
Qui fructus, quæ ve vtilitates Satisfactionis.
Quæ in Satisfactione requirantur.
Qualis, & quanta pœnitentia pœnitenti imponi debeat.
An salutares, & conuenientes satisfactiones pro grauitate criminũ, & pęnitentium facultate iniungere sciat.
An item ex Innocentij Tertij præscripto, more periti medici, sciat infundere vinum, & oleum vulneribus sauciati, ac quale debeat præbere remedium, aut consilium.
Dicat modum, quo vtitur examinando pœnitentes.
An sciat inducere pœnitentem ad contritionem, & quomodo.

An prę-

An preterea Canones Pænitentiales recte teneat.

Quæ differentia sit Satisfactionum, & Pęnitentiarum. &c.

De Absolutione indagetur.

Quę verborum formula requiratur.

Quę preces, quę ve orationes preterea adhibeantur.

Quis ordo seruandus in absoluendo, tam à peccatis, quam ab excommunicatione, suspensione ve.

De sigillo item Confessionis plura querantur; ac presertim, quę uis, & quanta sigilli.

Quæ sub illud cadunt.

An recte norit casus, & Sanctæ Sedis Apostolicę, & Ordinario reseruatos, & signanter in Bulla Cænę Domini.

Tandem, sit Confessor probatę, & exemplaris vitę, & doctrinę, bonorumque morum grauitate præditus, & ętate matura, maxime qui mulierum confessionem audit.

Visitatio cum examine pro approbandis Prædicatoribus. Cap. LXXXVII.



ON paruam quoque diligentiam, Visitatorem adhibere oportet, in visitandis, ac approbandis Pręedicatoribus. sunt. n. veluti morum magistri, ac totius Christianę Disciplinæ duces, & præceptores: cum Populus, quę ex ipsis audierit, veluti oracula quædam, & prudentum responsa sibi imitanda, exequenda ve proponat. Qua propter diligenter animaduertendum erit à Visitatore, vt ij Prędicatores potissimum eligantur, qui in Vinea Domini operentur, errores tollant, ac bonum semen serant, ne ve iam satis seminibus zizania in serant. Conuocatis igitur ijs, quibus concionandi onus incumbit, ac adhibitis Examinatoribus, multa ab ijs perquiret, ac præsertim super ijs, quæ sequuntur, diligenter eos interrogabit, qui examinandi, ac approbandi Prædicatores. Ordo ab Episcopo etiam seruari poterit, cum pro Quadragesimæ, Aduentusue tempore, Prædicatores examinabit, ac præuio examine approbabit, ac prædicandi facultatem eis gratis, iuxta, Sacrosancti Concilij Tridentini decreta,[a] impartietur.

a Sess. 5. c. 2. §. regulares.

Primo

Primo interrogabit, an dogmata omnia, ac articulos a SacroS. Trid. Conc. explicatos teneat, sciatque: super quibus sigillatim erit examinandus. Deinde,

An reliquos Theologiæ locos necessarios notos habeat.

Quos auctores potissimum sequatur in explicandis sacræ Scripturę locis; quem ex scholasticis præcipue familiarem habeat; tum, quem ex sanctis Patribus.

An sacros Bibiliorum libros sæpius cum glossa, vel alio interprete ita legerit, ac studiose euoluerit, vt locos inde prompte, & expedite in concionibus sumere possit.

An ex antecedentibus, consequentibusque verum sacræ Scripturæ sensum, & Euangelij elicere sciat. ac vno proposito exemplo fiat periculum.

An temere, & ad suam sententiam Scripturæ sanctæ sensum detorqueat: an tropologicos, morales ve sensus cum littera non cohærentes commentetur.

An in explicandis Parabolis, verum, germanumque sensum, iuxta sanctorum Patrum placita, sequatur, prætermissis ijs, quæ nihil ad rem faciunt.

An Apostolicas, Ecclesiasticasque traditiones, an sacrorum temporum, & rituum mysteria, tum an rerum in Ecclesia gestarum, Conciliorum pręsertim vniuersalium, cognitionem habeat.

An Sanctorum vitas, gesta, mores, actiones, historiasque teneat.

An summorum Pontificum Iura, & Constitutiones sciat. tum, an congruam saltem Iuris Canonici cognitionem habeat.

An in Casuum conscientiæ doctrina sit probe versatus.

An Mystica Theologię pręcepta, dogmataque probenorit, ad spiritualis vitæ instituta tradenda, ac sedandos animi affectus, ac hominem interius reformandum.

An morum, ac Christianę disciplinę locos ordine collectos recte notos habeat.

Quibus locis vtatur ad commouendos varios affectus in animis auditorum; cum eos, aut ad Diuinum amorem, aut ad cęlestis Patrię desiderium, aut ad virtutum studium accendit, vel ad detestanda propria scelera, vel ad misericordiam, ac cęteras animi affectiones inducit.

An concionem recte, ac concinne disponere sciat.

An concionis ingressum recta ratione faciat, vt vitia, quæ in eo committi solent, fugiat, vitetque.

An claram, dilucidam, ac distinctam rationem faciat.

An bene pronunciet.

An aliquos

An aliquos gestus indecoros manibus, vel oris, ac corporis dispositione committat.

An denique totam concionem apte, decore, & concinne, ad rei propositæ rationem recte accommodare sciat. Ac multa alia insuper perquiret, quæ locus, tempus, ac occasio Visitatori subministrabunt, suggerentque.

Visitatio quorumcunque Regularium. Cap. LXXXVIII.

ET, vt hæc nostra praxis visitandi omnibus prosit, prout est omnibus necessaria, nos non pigebit aliqua interrogatoria summatim scribere, quæ valde Visitatoribus, & officialibus regularium deseruient. Cum munus, & officium Visitatoris (prout supra diximus) in eo potissimum consistere dignoscatur. Quod si quæ vigent in Monasterio scandala, & dedecora, vel peccata, radicitus euellant, vt omnes in eo existentes munda omnipotenti Deo conscientia deseruiant. Nec tamē ad specialem inquisitionem alicuius certæ personæ deuenire debet, nisi aliquod crimen, priusquam illud manifestetur, aut innotescat, vel pro sceleris euidentia, aut per delationem aliorum in Visitatione facienda clarescat.

Nihilominus Visitator exactissimam debet adhibere curam, vt mala detegantur propter scandalum, ad hoc, vt opportunis iuris remedijs curari possint. Atque ita Visitator ex officio in Monasterio, seu Conuentu inquirere debet, An in eo delicta vigeant, & succrescant. Interroget tamen in communi de omnibus.

Sed, antequam Visitationem Monasterii, seu Conuentus faciat, primo visitabit Sanctissimum Sacramentum Eucharistiæ, Ecclesiam in eius corpore, Cappellas, & Altaria, & Sacristiam: in quibus visitandis poterit vti methodo, prout supra docuimus c. 9. & sequentibus.

Cum postea Visitator voluerit visitare monachos, seu fratres, singulis fratribus, siue monachis, qui sunt de corpore Monasterii, siue Conuentus, quem visitat, ad sonum campanæ, ac loco, & more solito congregatis, sermonem faciat eis congruentem, negotiumque Visitationis proponat.

Q Singulisq.


Singulisque de capitulo mandet in virtute sanctę obedientię, & sub excommunicationis pœna, vt ipsi, omni mendacio remoto, veritatem dicant de ijs, quę ab ipso interrogati erunt sigillatim in secreto.

Ipsi quoque fratres teneantur veritatem dicere tam in ijs, de quibus ab ipso Visitatore interrogati fuerint, quam in alijs, quę contra Deum Omnipotentem, contra eius Diuina præcepta, & contra regulam eorum, sub qua militantur, quę etiam contra doctrinam Euangelicam sciuerint à monacho, vel fratre aliquo fuisse commissa, & alia in detrimentum Diuini cultus Monasterij, & in candalum religionis.

Vt autem de omnibus in Visitatione perquirendis facilius elucescat, percunctetur Visitator ipse de omnibus Monacis, & fratribus illius Monasterij, in quo visitat, à tempore Capituli vsque tunc mutatis: quos etiam suo loco, & tempore de rebus illius Monasterij, & Conuentus tam in spiritualibus, quam in temporalibus examinare teneatur. Et, vt ad rem veniamus, postquam omnes congregatos fuerit allocutus, incipiat à minore, & à quo voluerit in secreto visitare, omnia describendo, Abbatem, Priorem, vel Guardianum in fine visitabit, ad hoc, vt per alios fratres intelligat, etiam vitam, & administrationem officialium.

Sanctissimi Sacramenti Eucharistiæ, & in Ecclesiis Sacristiæ visitatio fiat; vt supra diximus c. 9.





MONASTERII SEV CONVENTVS VISITATIO.



CAP. I.



RIMO videat claustra, an sint clausa ex omni parte; si completa, munda, & commoda.

An portę sint decentes, & clausę teneantur, cum portinario.

An ibi bene versetur à fratribus, & ab aliis.

An ibi mulieres versentur. Caueant, nisi in processionibus Rosarij, Conceptionis, & similium.

An ibidem in Claustro sint membra necessaria, vti Capitulum, & alia.



Dormitorium. *Cap. II.*



EINDE visitet Dormitorium, per ordinem, hoc modo videlicet.

An scalæ sint commodæ, lucidę, & an egeant refectione.

An in dormitorio in nocte semper lumen adsit.

An quęlibet cella habeat ianuã cum sera, & claue.

An cellæ possint aperiri communi claui à superiore, quoties ipsi placuerit.

An Monachi habeant in cellis capsas clausas.

An in cellis aliquid prohibitum, vt figurę lasciuæ, libri lasciui, an vœ citharas, & huius generis instrumenta detineant.

An sine necessitate, & licentia paramenta, apparatus, & alia in cellis retineant prohibita.

An aliquid contra eorum regulas, sub quibus militantur.

An aliquid proprium in cellis habeant.

An in cellis aliquid deficiat necessarium pro fratribus.

An in cellis fratres detineant (vt decet) Imaginem Crucifixi, Beatissimæ Mariæ Virginis, & aliorum Sanctorum.

Bibliotheca. *Cap. III.*



I in Monasterio, seu Conuentu adsit Bibliotheca pro communi fratrum studio, illam visitet hoc modo:

An libri sint ad sufficientiam pro studio.

An habeant Indicem librorum ipsorum. si non est, mandet, vt fiat.

An ibi sint libri prohibiti, seu profani, vel lasciui.

An debite custodiantur.

Videat, ne à muribus comedantur.

An à puluere, & araneis excutiantur.

Infirmaria.

Infirmaria. Cap. IV.

PROSEQVENDO Visitationem ipsam, conuenit vt Infirmaria visitetur, vbi est, & vbi non est; quomodo fratres infirmi tractentur, & gubernentur. & videat,

An cellę aptę pro infirmis sint, humidę vel frigidæ.

An fenestræ ipsarum vitreis, vel tela cera linita occludantur, ad arcendum frigus, & ventum.

An ibi sint cubicula apta, & salubria pro infirmis.

An ibi sint lecti ad sufficientiam cum culcitris, linteolis, & debitis tegmentis.

An linteola, & puluinaria sæpius mutentur munda.

An ibi sint vasa, ad Infirmorum curam sufficientia, & necessaria.

An sint in loco, qui curam infirmorum habeant.

An pro curandis ægrotis conductus sit Medicus.

An si ruppi, medicinæ, & reliqua ad Medicorum præceptum infirmis debitis temporibus ministrentur.

An cum charitate gubernentur, & ab omnibus fratribus visitentur.

An infirmorum cura habeatur, & omnia necessaria eis cum charitate ministrentur, & præcipue Sanctissimũ Sacramentum Eucharistię.

An agonizantes ab alijs fratribus adiuuentur ad bene moriendum.

Hospitium. Cap. V.

PROSEQVATVR Visitator Visitationem suam iam cœptam, & diligenter visitet Hospitium pro aduenis Fratribus, & alijs. Et videat primo,

An hospitium commodum sit.

An cellæ Hospitij habeant necessaria pro hospitandis hospitibus, & aduenis.

An ipsum Hospitium omnia habeat linteola necessaria.

An ipsũ Hospitiũ separatũ sit à dormitorio, & claustro Monasterij.

An


An omnibus hoſpitibus dent linteola linea munda, & alba, ad eorum vſum.

An ſit, qui curam habeat hoſpitum.

An cum charitate recipiantur, & tractentur.

An bene in ipſo ab Hoſpitibus verſetur.

Veſtiarium, ſiue Communitas. Cap. VI.



N in eo ſint veſtes ad ſufficientiam pro vſu fratrum.

An ipſæ veſtes bene conſeruentur.

An indumenta vetera ibidem conſeruentur, & cuſtodiantur.

An omnia, quę ibidem conſeruentur, ſint communia.

Mandet Viſitator, vt omnia ſupra dicta cnm inuentario aſſignationis alias iam factę Abbati, Priori, vel Guardiano conſeruentur; & ſic viſitentur,& ſucceſſoribus conſignentur;&, ſi non ſit inuentarium, mandet, vt fiat. & videat diligenter Viſitator, an deſit aliquid de aſſignatis. deficientia vero mandet fieri, & prouideri, & vetera, ſiue inutilia refici, & reſtaurari, mandato in ſcriptis facto.

Refectorium. Cap. VII.



N Refectorium ſit commodum pro fratribus.

An ſint menſę ſufficientes, & ſedilia commoda.

An ſit locus pro lectione legenda.

An ſit locus pro lotione manuum cum mappis mundis.


An menſę habeat mantilia, oriſtergia ſufficientia, quę poſſint munda, & alba mutari.

An ſint cyathi, & vrceoli ad ſuggerendum vinum, & aquam, ad ſufficientiam, & mundi.


An omnia hęc bene in eorũ locis conſeruẽtur,& cõmode detineãtur.

Coquina

Coquina. Cap. VIII.


N commoda sit, & ne fumo sit affecta.
An habeat sua supellectilia necessaria.
Videat, quę desunt, & prouideat.
An ligna necessaria.
An coquus aptus, & mundus in suo exercitio.
An vasa coquinaria munda conseruentur, & sana.

Cellarium, Promptuarium, & Horreum. Cap. IX.


N in Cellario sit vinum pro potu fratrum; & videat quantitatem, & qualitatem, & describat, & mandet prout sibi videbitur.

An locus sit aptus ad vinum, & dolia conseruanda.

An dolia, & vasa vinaria bene custodiantur.

An vinum inertia, & negligentia officialium sit corruptum. Prouideat, ne corrumpatur.

An in promptuario, siue caneua, vel vulgariter dicta dispensa, sint mantilia manus, & orislergia, mappę, & similia necessaria, & sufficientia pro mensa fratrum; & quod illa mutentur.

An munda ibidem, & in loco optimo conseruentur.

An ibi cyathi, vrceoli pro vino, & aqua, & similia sint sufficientia.

An istęc omnia munda conseruentur.

An in horreo sint frumenta sufficientia pro victu fratrum.

An bene, & optime ibi conseruentur.

An habeant notam qualitatis.

An bene ministretur, & dispensetur.

Videat, & sciat, quot modia sint, & an sint per annum sufficientia Monasterio, vel Conuentui.

Deinde

Deinde visitet omnia loca Monasterij, & videat ipsemet omnia sigillatim.
Cap. X.

AN sint ibi omnia pro qualitate loci necessaria & requisita.

An sint portę falsæ, (vt dicitur) per quas possint monachi, vel fratres, vel aliæ personæ intrare, & exire. Prohibeat omnino, ne sint; sed mandet, vt claudantur.

His peractis, ipse Visitator procedat ad singulorum fratrum examen, & visitationem, requirendo prius, & inspiciendo in communi ab omnibus.

An superfluas, vel splendidas habeant vestes, contra eorum regulam; & sint vniformiter vestiti.

Visitatio particularis cuiuscunque.
Cap. XI.


DEINDE Visitator ipse, in particulari, circa mores & vitam ipsorum, & cuiuslibet eorum, iuxta subsequentium Interrogatoriorum continentiam interroget,

An Diuinũ Officium deuote, & distincte, sine derisu, aut, iocis, & colloquio, & nõ cursim celebretur.

An omnes diu noctuque attendant in Ecclesia ad Officium dicendum; & qui sunt qui non surgunt, & quare.

An, qui Officium omittunt in Ecclesia, dicant seorsum.

An Officium in Ecclesia aliquod omittatur, tam Diuinum, quam Beatę Virginis, & sanctorum, & fidelium defunctorum.

An Offi-

An Officium debitis horis dicatur.

An quotidie Missæ in Ecclesia celebrentur, & quot.

An sæpius communicent, & peccata sua confiteantur.

An mortui ordine debito, & cum officio, & orationibus ab Ecclesia statutis sepelliantur.

An deuote Missas celebrent.

An celebrauerint vnquã, vel sciant aliquem celebrasse duas Missas, vel absque paramentis requisitis, vel non ieiunum, vel illotis manibus, vel non confessum, vel non dicto Officio.

An aliquam negligentiam, vel malitiam commiserint, seu negligentia, vel malitia aliquid omiserint in Missa.

An celebrauit coram excommunicatis scienter.

An in Ecclesia solitis, & consuetis cærimonijs vtantur.

An ipsorum aliquis excommunicatus, vel interdictus celebrauit.

An scienter dederit Eucharistiam alicui excommunicato.

An celebrauit in Altari non consecrato, vel cum Tabula non consecrata, vel totaliter fracta, vel in Calice non consecrato, & paramentis non benedictis.

An sciant Officium disponere, cantare, & legere, &c.

Quam ætatẽ habent ordinati, Diaconi, & Subdiaconi, & Sacerdotes.

Quandiu est, quod sunt ordinati.

A quo Episcopo sunt ordinati.

A quo licentiam habuerint ordines suscipiendi.

An ante legitimam ætatem, vel ab Episcopo excommunicato, vel interdicto fuerunt ordinati.

An in Monasterio sint confessores deputati, & quot, & qui sint illi: & de ipsis inquiratur, an sciant audire Confessiones, & quem ordinem seruant in eis audiendis; & dando pænitentiam, an sciant discernere inter peccatum mortale, & veniale; & quot sint Peccata mortalia, Præcepta Legis, Articuli Fidei, Sacramenta Ecclesiæ, Opera Misericordiæ, &c.

An omnes Breuiarium habeant.

An in Ecclesia pulsetur quotidie campana ad horas Canonicas dicendum, & Salutationem angelicam, de sero, & mane.

Quot item sint Clerici, & qui.

Quot item sint Conuersi.

Quot etiam fuerunt in præterito, & qui.

An ad Monasterium cum mandato fuerint transmissi.

An, mandato assignato, recto tramite ad Monasteriũ se trãstulerint.

An aliqui a Monasterio discesserint, seu mutati fuerint, & vbi in præsenti commorentur.

An Monaci omnes ipsius Monasterij sint professi regulam, sub qua militant.

An aliqui de nouo professi fuerint.

An aliqui de nouo ad congregationem sint recepti, & qui, & à quo; & de eorum ætate, sufficientia, & qualitatibus,

An nouitij similiter, & professi suum officium faciant.

An in Monasterio sit nouitiorum magister, & qui.

An nouitij regantur, & custodiantur in Dei timore, & regulæ obseruantia.

An cæteri fratres secundum regulam viuant.

An seruent silentium suo loco, & tempore.

An semper, & simul in Refectorio comedant, & cum lectione.

An omnes in dormitorio dormiant.

An bene, & semper gestent Monachalem habitum.

An obseruent ieiunia secundum Canones, & regularia instituta.

An ibi adsit aliquis vagabundus.

An in Monasterio fiant aliqua indebite, & contra regulam, sub qua militant.

An ibi fiant capitula frequenter; & quid in eis agatur,

An in mensa, vel dormitorio, vel vestitu, sit aliqua differentia, & acceptio inter eos.

An sit satisfactum monacis, vel fratribus de pannis debitis, & tempore debito.

An portæ Monasterij, seu Conuentus, & Ecclesiæ, debitis horis claudantur, & aperiantur.

An semel in mense cellæ visitentur ab Abbate, Priore, vel Guardiano.

An aliqui portent inter se odium, & qui.

An sint aliqui proprietarij.

An Abbas, Prior, vel Guardianus bene tractet suos subditos, opere, & sermone.

An subditi debitum obsequium, & obedientiam præstent suo Superiori.

An aliqui faciant sortilegia, vel incantationes.

An aliqui male sentiant de fide.

An fama volet, & vox contra aliquem de incontinentia, furto, praua conuersatione, inhonesta, ac turpi vita.

An omnes incedant cum decenti habitu, & tonsura sociati.

An personæ aliquæ suspectæ, vel contra honestatem religionis, Monasterium, seu Conuentum ingrediantur.

An sciant aliquem esse excommunicatum.

An aliquis

An aliquis eorum exerceat negotia sæcularia, vel mercaturam, vel vsuras, & alios contractus illicitos, vel exigat vectigalia, seu alia onera sæcularia.

An ibi sint aleatores, vel alicuius ludi prohibiti lusores.

An mechanicis artibus incumbant.

An aliquis soleat se vino, vel crapula ingurgitare.

An aliquis sit impudicus re, & verbis, vel consuetudinem habeat cum impudicis personis, vel cum scurris, grassatoribus, & his similibus.

An sint aliqui ex ipsis blasphemi, vel conspiratores.

An in Monasterio excipiantur banniti.

An admittantur, vel sint admissi aliqui conuersi, vel monaci, seu fratres, per simoniam, vel aliqua fiant, vel concedantur.

An aliquis sit concubinarius, vel habeat filios illegitimos.

An aliquis eorum frequentet Monasteria monialium.

An aliquis sit rixosus, vel contentiosus.

An aliquis sit contemptor regulæ, & institutorum nostrorum.

An in locis, vbi studia retinentur, sint studentes in numero sufficienti, an sint in lectionibus assidui, an sint nimis elati, vel superbi, an in horis, quibus tenentur, Officium, & Ecclesiam frequententent; an sit in Monasterio, seu Conuentu, Lector Catholicus, qui eis lectiones exponat, binas saltem singulis diebus, aut etiam ternas; & an sæpius in disputationibus cum studentibus se exerceat; & an monacis, seu fratribus, qui studentes non sunt, exponantur Casus conscientiæ, regulæ, & Patrum Congregationis,

An Prælatus vitam, & conuersationem honestam agat,

An, quæ ad obseruationem ordinis, & religionis pertinent, diligenter persequatur, & in exequenda regula, & statutis ordinis feruens conspiciatur.

An eandem regulam ad Christianam pietatem, & æquitatem pro ratione personarum, & aliarum circumstantiarum moderetur, vt semper primatum obtineat fraterna charitas, & magis spectetur in omni opere pietas, quam exercitatio corporalis.

Num sæpe ex Monasterio discedens alio proficiscatur, & extra illud habitationem suam constituat, vel diu commoretur.

An pacem, tranquillitatem, & concordiam inter omnes sibi subiectos nutriat, & conseruet.

An fratres ad studia sacrarum litterarum, & meditationes inuitet.

An communiter conuiuant cum fratribus, seu monacis in mensa communi.

Num superfluos, & vanos faciat sumptus.

R 2 An fami-

An familiam superfluam, vel equos ad fastum, & pompam Principum more nutriat.

An sua negligentia fratres, vel monaci vitam laxiorem ducant.

An sæpius, quam expediat, exeundi monacis, vel fratribus licentiam concedat.

An vitia intrepide, & amice corrigat. sine personarum delectu.

An instrumenta, & iura, & priuilegia conseruet.

Quot, & quæ officia sint in Monasterio, & qui sint officiales, & de ipsorum sufficientia, condicionibus, vita, & moribus, & conuersatione.

An sint officiales omnes secundum cõstitutiones, & reformationes.

An Monasterium, seu Conuentus magno ære alieno sit obstrictum & cui, vel quibus, in qua summa; & de causis eorundum debitorum.

An aliqua bona Monasterij, seu conuentus, & Ecclesiæ, seu etiam Sacristiæ, mobilia, vel immobilia, vel sese mouentia sint pignorata, vel alienata, & cui, & pro quanto, & à quibus, & qua de causa.

An locationes domorum, terrarum &c. fiant fideliter, sine fraude, & damno Ecclesiæ.

An Abbas, Prior, vel Guardianus manuteneat, & conseruet bene Monasterij, seu Conuentus.

An studeat processiones fieri, vt decet.

An Abbas, Prior, vel Guardianus bene defendat iura Monasterij, seu Conuentus.

An prouentus conuertatur in vsum, & necessitates Monasterij, seu Conuentus, & vtilitatem monacorum, vel fratrum.

Ad quam summam ascendant prouentus Monasterii, seu Conuẽtus Quot personæ possint ex illis ali, si recte administrentur.

An eleemosyne iuxta Monasteri, seu Conuentus facultatem pauperibus erogentur.

An maior numerus monacorum, vel fratrum posset esse, & commode viuere in Monasterio, seu Conuentu, secundum facultates.

An in aliquo anno supersint aliqui redditus, & quid fiat de illis.

An aliqua cognoscant reformanda, & corrigenda esse in temporalibus pro conseruatione bonorum, & vtilitate Monasterij, seu Conuentus.

Post hæc inspiciant libros computorum tam in introitu, quam in exitu, earumque depositiones diligenter examinent, & attendant, an deficiant in introitu, & an superfluæ sint in exitu.

Postquã Visitator in visitatione secreta singulorum audierit eorum depositiones, & scripta viderit, & bene viderit, & considerauerit pro imponendis singulis pænitentijs; si sibi videbitur, & placuerit, seruare

seruare poterit methodum per nos supra traditam,[a] vel secundum eorum constitutiones, & consuetudines, & ex dictis fratrum, vel monacorum audiet vitam, & bonum regimen, vel malum superiorum, vel officialium Monasterij, & Conuentus; vt possit Canonice prouidere. a c.81.

Animaduertat etiam Visitator, quod, si monaci, vel fratres, sic & etiam Moniales habuerint Ecclesiam aliquam curatam, tenentur curatum, siue regularem, siue secularem presentare Episcopo, in cuius Diœcesi Ecclesia fuerit: qui antequam instituatur, debet ab Episcopo examinari, & institui, à quo etiam, si regularis fuerit, poterit corrigi, visitari, & puniri, tanquam Sedis Apostolicæ delegato, iuxta decreta Sacrosancti[b] Concilij Tridētini.in quibus casibus dicta decreta sunt seruanda: &, quando Episcopus dictos Parochos regulares visitare voluerit, ipsos interroget, prout supra docuimus in visitatione Archipresbyteri,[c] vel Parochi.

b Sess.7.c.14 & sess.25.c.11

c c.27.

Visitatio Monasterij Sancti monialium. Cap. LXXXIX.



BI maius vertitur periculum,[d] ibi cautius est agendum. & quid charius, & acceptius Deo esse potest, quam virginitas, eo magis, quando cum humilitate annexa est? & propterea Sancta Mater Ecclesia virginitatem cum humilitate admiratur: & quotidie in Ecclesia legitur de beata Virgine, Quia respexit humilitatem ancillę[e] suæ. Spōsæ.n. Iesu Christi Domini nostri sunt, quæ sponsum suum sequuntur, quocunque ierit, cum hymnis, laudibus maximis, & canticis. Ideo Episcopus cum maxima cautela agere debet in hac Sancta Visitatione sponsarum Christi:& diligenti perscrutatione inquirendum est, an quid inductum sit in earum disciplinam, quod non pium, & Sacrosanctū videatur, & dicatur, & sit, cum Deo vero, & nō hominibus desponsatæ sint; & ideo nihil eis proponi, & dici debet, nisi quomodo Deo earum sponso placere possint.

d c. vbi de lect. lib. 66.

e Cant. Beat. Virg. Mariæ.

Primum Visitator animaduertat, & diligenter videat clausuram Monasterij, curetq. vt sit iuxta decreta Sacros. C. T. etiā si Monasteria

sint

ſint exempta etiam regularium. nam quoad clauſuram ſunt ſubdita
.25.c.5 Ordinarijs locorum virtute decretorum dicti Sacroſancti Concilij Tridentini, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatis. Mandetque, quod nemini liceat Moniales alloqui abſque licentia Epiſcopi, vel eius Vicarij in ſcriptis obtenta, curetque, quando extranei, citra patrem, matrem, fratres, & ſorores, illas alloquantur, vt ſit cum præſentia Confeſſoris, ſiue Cappellani, ab extra, & intus cum præſentia auſcultatricis; prout honorifice, & bene hoc obſeruari facimus in noſtro Monaſterio Andrienſi.

Deinde Viſitationem proſequendo, ſi neceſſarium eſſe iudicauerit; conferat ſe ad Eccleſiam vnà cum collegis, procuratoribus, Confeſſore Monaſterij, & Notario; & facta oratione more ſolito, celebret ipſe Viſitator, vel Miſſam audiat; poſtea viſitet primum Eccleſiam Monaſterij, & Cappellas ipſius, vt ſupra dictum eſt in viſitatione
cap. Eccleſiarum [b]. In quo animaduertat, ne Moniales Sanctiſſimum Sacramentum Euchariſtiæ in choro ſeruent, vbi Diuinis Officijs vacant, ſed in Eccleſia ſuper Altare maius: quod etiam viſitabit, prout ſupra di-
ccap. ctum [c] eſt.

Sacriſtia, ſi eſt in Eccleſia, pariter & paramenta Eccleſiæ, eo ordi-
cap. ne, quo ſupra [d] docuimus, erunt viſitanda. Si autem Sacriſtia eſt intra ſepta, & clauſuram Monaſterij, ipſam viſitabit, quando clauſuram ingreſſus fuerit.

Deinde, Eccleſiæ viſitatione peracta, cùm ſe viſitationi Monaſterij, Abbatiſſæ, & Monialium accinget, Monaſterij clauſuram intrabit ipſe Viſitator, & ſecum ducet duos coaſſumptos ſeniores, & probatiſſimæ vitę, & earundem Monialium Confeſſorem, & Notarium, &, quanto citius poterit, ſe expediat, nec ibi diutius commorabitur.

Cum verò clauſura ipſa aperta fuerit in ingreſſu Viſitatoris, intus ianuam ibi inueniet Abbatiſſam, & Moniales, quæ reuerenter ipſum recipient, cum reuerentia, capitis inclinatione; & poſtea Crucem præcedentem ſecundum eorum gradus, ipſæ ſubſequentes, proceſſionaliter Viſitatorem deducunt in dormitorio earum, vel refectorio; vbi commodius poterunt permanere, cantando, vel legendo hymnũ, Veni creator ſpiritus.

Ibidem, ſi Altare, & Imago Crucifixi, vel aliorum Sanctorum in capite dormitorij fuerint, facta oratione, audita Abbatiſſa, & omnibus, quibus Monaſterium eget, incipiet cum omni celeritate viſitare Monaſterium, & omnia eius membra; prout ſupra docuimus in viſitatione regularium, cap. 88.

Atque, cùm primum Viſitator membra omnia Monaſterij viſitauerit, Abbatiſſa det illico indicem, ſeu notam omnium Monialium, in

qua

qua scribantur, ac notentur diligenter nomina, cognomina, & ætates omnium, ac quę professæ, quæ ve non professæ fuerint; quin etiam aliarum virginum, quæ ibidem sunt pro earum seruitio, notam sibi exhibendam ab eadem Abbatissa curabit Visitator.

Det etiam Abbatissa notam Visitatori aliquarum sororum insignis virtutis, vel prerogatiuę in Monasterio, vt eas debito honore afficere possit, ac earum exemplo reliquas ad virtutem inflammare; delicta quoque, & crimina, si qua ibi vigent, insinuet, ac detegat; & tandem omnium bonorum, vel malorum morum, qui ibidem obseruantur, eum certiorem faciat; vt singulis opportuna remedia adhibere possit.

Interroget Abbatissam, an habeat extra Monasterium aliquas conuersas, vt vacent pro seruitijs, vel quæstuationibus Monialium, & det notam illarum.

Det etiam notam Presbyterorum, virorum, & officialium, qui dicto Monasterio ab extra inseruiunt, & eorum, qui curā habeant clausurę, Confessariorum, Cappellanorum, Medicorum, & similium; quos omnes videat, ac curet Visitator, vt viri boni sint, & vitę integritate, & morum suauitate cæteris antecellant.

Videat etiam, quibus ex causis, & quando liceat eis ingredi septa Monasterij, iuxta decreta Sacrosancti Concilij Trident. sess. 25. c. pręallegato, & per totam sess.

Perquirat, quomodo, & quo ordine puellas admittat, & an habeat statuta, & constitutiones particulares ipsius Monasterij, quas sibi exhibendas curabit; videbitque diligenter, an sint sanctę, & iustę, & secundum decreta Patrum.

Videat etiam Visitator, & perquirat, an Moniales e Monasterio exeant, vel exire cupiant; & in hoc obseruentur Constitutiones felic. recordation. Pij V. & Gregorij xiij.

Perquirat, an obseruetur regula, sub qua militant.

An viuant in communi, & in vna mensa. quod fieri, & obseruari præcipiat.

An omnes Moniales in vno dormitorio dormiant, an solæ; nec permittat duas, aut plures simul in eodem lectulo permanere, sed separatim singulas in suo lectulo quiescere iubeat, & in vno, eodemque dormitorio, lampadibus semper accensis de nocte, vel saltem vna non deficiat.

An sit Infirmaria, & qualis debeat esse. Videat supra in Visitatione regularium.

An sit locus nouitiarum separatus à professis. si non sit, iubeat fieri.

Quæ sint inter eas rixosæ, & inobedientes.

An

An sciant bene legere, & recitare horas Canonicas.

Si die, vel nocte communi orationi mentali vacent.

An bene in Choro versentur.

An commode ibi maneant, & an habeant libros necessarios.

Quot, & quæ sint professæ, & velatæ.

Et quę sunt habētes debitam ętatem, videlicet professionis 16. annorum, & velationis 25. quæ aptę, & idoneæ sunt, profiteantur, & velentur.

a Sess. 25. c. 15. An in professione facienda obseruentur decreta Sacrosancti Concilij Tridentini, & eorum constitutiones.

An in Monasterio sit carcer pro criminibus sororum multandis. si non sit, fiat.

An Monasterium habeat omnia membra, & requisita, & commoda. & super hoc bene aduertat.

An sæpe confiteantur, & sumant Sanctissimum Sacramentum Eucharistiæ.

An sint in Monasterio sorores, quæ habeant curam Rotæ, Portæ, Chori, Sacristiæ, & similium. si non sint, curet Visitator, vt omnino instituantur.

An sint aliqui, qui habeant facultatem a Sancta Sede Apostolica ingrediendi Monasterium. exhibeant. Si habent, admittant: cæteris omnibus prohibeat, necessitate excepta.

Quæ dos soluatur à Moniali ingrediente Monasterium.

b Sess. 25. ca. 17. An, priusquam puellæ ingrediantur, exploretur earum voluntas ab Episcopo, vel Generali Vicario, iuxta decreta Sacrosancti [b] Concilij Tridentini.

An pecunia dotis bene applicatur in beneficium Monasterij, & tuto seruetur, vel erogetur.

Det Abbatissa inuentarium bonorum omnium, & actionum, rerum mobilium, & stabilium ipsius Monasterij.

Videat, an bene census, siue introitus ministretur.

An fideliter, & cum integritate a Procuratoribus tractetur.

An reddant Procuratores, & Rectores quolibet anno rationem administrationis suæ. si non reddant, compellantur ad id præstandum.

An habeat alias portas extra ordinariam. mandet, vt claudantur lapidibus, & cæmentis, nec fenestellam aliquam permittat apertam.

An sit in Monasterio ludi magistra, seu scholæ pręfecta, quæ Latine in rudimentis Gramatices, instituat iuniores virgines, & an educat eas ad pietatem, & religionem, & quæ nam rudimenta tradat, & quos libellos pios rudioribus virginibus perlegat, & exponat.

An etiam

An etiam in Vigilijs dierum festorum, & in ipsis diebus festis exponat suis virginibus hymnos, sequentiam Epistolam,& Euangelium Dei,& an ad literam saltem sciat exponere Psalterium.

Quibus libellis vel ad proficiendum in spiritu, vel ad precandum Deum virgines vtantur, qui sunt inspiciendi simul cum libris, quibus vtuntur in Diuinis Officijs.

An habeant concionatorem aliquem, virum grauem, Catholicum, à quo audiant verbum Dei in diebus saltem festis.

Et an idem, vel alius non minori grauitate, integritate, & prudentia audiat eorum Confessiones.

An is ex iusta virginibus petentibus causa concedat, vt alicui alij prudenti, & pio Sacerdoti confiteri peccata sua possint.

An suis temporibus, iuxta regulę præscriptum, communicent.

Quærendum de Ecclesijs incorporatis, si quas habeant.

An pateant virorum conspectui, seu permittant illos Monasterium ingredi, dempta ineuitabili necessitatis causa.

An habeant picturas non honestas in suis cubiculis, & sæcularibus potius conuenientes.

An conuersationem aliquam suspectam habeant cum externis.

An permittatur eis literas accipere, vel dare extra Monasterium, quas non prius legat Abbatissa, vel illa, cui regimen Monasterij incumbit.

An illis permittatur cum extraneis priuata colloquia habere, & suis vti diuerticulis.

Quibus artificiolis tempus, quod superest à sacris lectionibus, precibus, & contemplationibus Diuinis, impendant.

An sint aliquę, quæ dissidia, rixas, & contentiones excitent, an sint iracundæ, inuidæ, odij tenaces, contumeliosæ, & dicaces, seu mēdaces.

Interrogandum est, vt supra de Monacis dictum est, de obedientia, & paupertate; an quid proprium possideant, & de cōtinentiæ custodia.

De mensa communi, quis, aequalis victus singulis quibusque tēporibus præbeatur; & an propter hoc versentur querimonię inter ipsas.

An sint, quæ stultam aliquam superstitionem teneant. quibus eripiendus est hic error; inflammandæque sunt aduersum Dei cultum, ac ipsius charitatem.

An habitus nouitiarum, & professarum sit distinctus.

An nutriant canes, vel aues.

An fiant ieiunia debitis temporibus à Sancta Ecclesia statutis.

An sit aliqua, quę Musicis instrumentis vtatur.

Videat, quod fenestella cum crate ferrea, quæ est in Parlatorio vulgariter dicto, ex parte interiori sit tela nigra apposita, quod Moniales

les nō videāt ipsas alloquētes, vel lamina perforata, vt vox audiatur, & facies nō videatur sic etiā apponatur tela ī Cācellis Chori, seu zelosijs.

Et, quando fit hæc visitatio prædicta à Visitatore, sint omnes Moniales in refectorio, vel alio loco publico, & commode congregatæ in vnum, quæ stent cum omni humilitate, honestate, ac debita reuerentia, vt Virgines, & Christi sponsas decet.

Deinde, his omnibus peractis, & toto Monasterio, & eius membris bene visis, & lustratis, ibidem astantibus omnibus Coassumptis, Confessore, Notario, Abbatissa, & Monialibus, ipso Visitatore in eodem loco conspicuo sed segregato ab ipsis, taliter, quod videantur, & non possint audiri, sedente, accedentes; & singulæ Moniales, vna post vnam, incipiendo a minore vsque ad maiorem, & in fine Officiales, & postremo Abbatissa, quæ, facta reuerentia Altari, si ibidem erit, uel Imagini, & postea Visitatori, & osculata eius manu, (si fuerit Episcopus) dicat quælibet, quidquid ei occurrat in secreto, dicto Visitatori, ascultanti; qui, faciem eius auertens ab ea, audiet quidquid dixerit de Abbatissa, de Officialibus, Monialibus, Confessore, Procuratoribus, & quidquid pro beneficio Monasterii, & salute animarum, & suis particularibus necessitatibus occurrerit; &, si habuerit aliquem casum reseruatum, poterit obtinere absolutionem; & ipse Visitator ab vnaquaque perquiret, quomodo se gerant Abbatissa, & aliæ Officiales sorores, circa earum officium. sic etiam Procuratores, Confessores, & Cappellani, & alij Officiales externi circa administrationem bonorum ipsius Monasterij, & ipse Visitator omnia notabit, vt possit omnibus prouidere. Ex quibus omnibus ipse Visitator bene informatus erit, vt possit in fine de omnibus prædictis interrogare, & corrigere Abbatissam in secreto, vt supra, & alias Officiales, & prouidere per decreta proferenda, prout sibi iustum videbitur.

Quibus peractis, & omnibus bene ab ipso, & Notario notatis, ipse Visitator prædictas Moniales grauibus verbis alloquatur, eas ad bene, pie, sanctèque viuendum exhortans, vt Sponsas Iesu Christi decet, & prout Spiritus sanctus ipsum docuerit.

Facta eis benedictione, faciat omnes, quos ipse introduxit, præcedere: ipse, & Confessor subsequantur eos, & vltimus ipse Visitator exeat, & mandet clausuram claudi, & ab extra, & ab intus. Aduertens, quod in clausura sint ad minus ab extra duæ claues à probatis viris detentæ, & vna ab intus, quæ ab Abbatissa teneatur. Postea eius decreta, quæ proferri debent in Visitatione prædicti Monasterij, in libro Visitationis describere faciat à Notario, & proferat, ac ipsis Abbatissæ, & Monialibus eorum copiam transmittat, ad hoc, vt sciant, quid ab eis, & procuratoribus earum pro Diuino cultu, & Dei seruitio, ac Monasterij

nasterij beneficio, & necessitatibus exequendum erit. quę omnia diligenter exequi mandabit.

Et, quia in ciuitate Andriæ erat cœptum ædificari Monasterium Monialium, quod viginti annorum spatio non potuerat perfici, tandemq; Deo adiuuante ad optatum finem primo Episcopatus nostri anno fæliciter perductum fuit: Nos, vt Diuinus in eo cultus rite ageretur, ac vt Monasterij illius vtilitati consuleremus, quasdam Constitutiones, & ordinationes patria lingua pro Monialium intelligentia cōscriptas, ab eiusdem Monasterij Abbatissa, & Monialibus, Confessore, Cappellano, & Procuratoribus seruandas præscripsimus, ac addidimus. Quæ quoniam Visitatori, & Ordinarijs locorum plurimum vtilitatis afferre possunt, vt ex illarum met serie quilibet perspicere poterit, non inutile fore ex istimauimus, nec ab instituto nostro alienum, eas hic subtexere, ac huic nostro Operi inserere: videlicet.




S 2 ORDI-

ORDINATIONI, ET CONSTITVTIONI fatte, et ordinate dal molto Ill.mo et Reu. Luc'Antonio Resta, Vescouo della Città d'Andria, da osseruarsi inuiolabilmente dalla R. Abbadessa, et Monache, nel nuouo Monasterio dell'ord. di S. Benedetto, fondato in questa Città, sotto il nome, et inuocatione della S. Trinità et S. Ricardo; et così anco da tutti & qual si voglia ministri di detto Monasterio, & altre persone, li quali ci haueranno che fare, & trattare, vt infra.

Cap. XC.

Del Diuin'Officio. Cap. I.



ORDINIAMO, che tutte le Suore interuengano in Choro al Diuin' Officio così di giorno, com'anco di notte, fatto il primo segno; & la Badessa habbia diligentissima cura, che detto Officio si reciti ad agio, con deuotione, ad hore, & tempi deputati, & ciascheduna Suora sia obligata leuarsi, & andare al Matutino, & a tutte l'hore Canoniche, se già non fosse inferma, ò legitimamente impedita, ouero, che fosse d'età di sessant'anni, & in tal caso ci rimettiamo alla conscienza di essa Badessa, dandole auttorità, che possia con tali dispensare. Et, chi sarà

negli-

negligente al Diuin'Officio, per la prima volta dirà in refettorio cinque Pater noster & cinque Aue Marie. Per la seconda farà la disciplina in communità. Per la terza starà senza pietanza. & per tutte l'altre, che sarà consuetudinaria, per ciascheduna mangierà in terra in refettorio.

2 Non ardirà Suor'alcuna, mentre si dice il Diuino Officio, ò s'ascolta la Messa; ragionare, ridere, & burlare, ò far'altre cose inconuenienti; & niuna si partirà dal Diuin'Officio, ò Messa, se non per vrgentissima causa, & con licenza della Badessa, essendo presente, &, quando non vi fosse, della Vicaria, ò di chi precede in Choro.

3 Et ciascheduna senza replica farà l'Officio in Choro, che le sarà imposto da chi particolare haurà questa cura, & nissuna si ritiri à dietro, con dire, Non tocca à me; e, chi contrafarà à quanto si è detto, dirà per ogni volta la colpa in publico refettorio.

4 Siano sollecite le Suore vn'hora almeno in far oratione, & spendasi ogni giorno da ciascuna delle Suore vn'hora almeno in far oratione mentale chi saprà farla, ò almeno vocale, dicendo Corona, ò Rosario, ò Salterio, ò Sette Salmi, ò Officio di Morti, secondo la deuotione di ciascuna, nell'hora della mattina inanzi l'hore Canoniche del Choro, ò dopò dette hore, non potendosi prima; & per vn quarto auanti di andare à letto si soni la campanella all'esame della conscienza, che si habbia à fare da tutte nel dormitorio, ciascuna auanti l'Imagine posta presso al suo letto.

5 Il Canto del Choro hà da esser semplice, & vniforme, & vnisono, distintamente, & con deuotione detto; & nissuna impari di cantare canto fermo, ne figurato; ne si vsi canto fermo, ne figurato senza licenza.

Della Confessione, & Communione. Cap. II.



1 ORDINIAMO, che tutte le Suore debbano confessarsi, & communicarsi ogni Domenica, & non lascino di confessarsi, & communicarsi nelli giorni, ch'ordina la lor Regola, & di S. Benedetto.

2 Commandiamo anco, che in quei giorni, che si farà la Communione, niuna delle Suore priuate s'accosti à parlare con niuna


niuna persona secolare à crata, ò ruota, se non dopò il vespero, & questo per vrgente causa, sotto pena, se andassero in detti giorni a parlare nell'hore, & tempi vietati, d'esser priue per un mese d'accostarsi à crata, ò ruota, & le Ruotaie, che le chiamassero, d'esser priue di lor officij, & la Badessa, che lo permettesse, d'esser dal suo officio sospesa ad arbitrio nostro,

3 Debbano le Badesse, tutte volte, che non sarà assegnato loro il Cõfessore straordinario, chiederlo da loro, due, ò tre volte l'anno, secondo l'ordine del Concilio di Trento; [a] & tutte le Suore siano tenute andar da detto Confessore straordinario, etiam quelle, che non si volessero confessare; & le Badesse, ò Vicarie saranno sempre le prime, per dar animo à tutte l'altre. Et in quel tempo, che detti Confessori straordinarij v'anderanno; gli ordinarij Confessori per modo alcuno non si accosteranno al Monasterio; & il Confessore straordinario hà da esser vn Padre della compagnia del Giesù, potendosi hauere da Bari, ò dalla Cirignola, ò almeno alcuno delli Preti ben'instrutti di Bisceglia, ò, non potendosi, qualch'altro Padre di buona qualità, ad arbitrio dell'Ordinario.

a Sess. 25. c. 10

4 E, s'alcuna Suora nostra in articolo di morte dimanderà altro Cõfessore, ordiniamo gli sia concesso, pur che quello, che chiederà, sia stato altre volte Confessore d'alcun Monasterio, ò almeno sia frate graue, e maturo, alquale per la presente Constitutione gli sia concesso co'l Confessore ordinario, ò co'l compagno, entrare à confessarla, &, incontinente, che l'harà confessata in loco patente, & honesto, talmente, che possa esser veduto dal compagno, & da due Suore vecchie, se ne vscirà dal Monasterio.

Dell'officio, & auctorità della Badessa. Cap. III.



ORDINIAMO, & commandiamo, che la creatione, & elettione della Badessa si faccia ogn'anno, secondo l'ordine di Nicolò Quinto Pontefice, ilqual vuol, che subito finito, & compito l'anno, sia tenuta la Badessa sotto pena di scommunica Papale, da incorrersi in quell'instante, di renonciare il suo Officio; & detta elettione si farà alle

crate,

etate, come vuole il Concilio Tridentino,[a] per scrutinio & voci secrete; & non potrà esser'eletta alcuna di menor'età di quarant'anni, & che otto anni sia stata professa nella sua regola co'l timor di Dio. potrà detta Badessa, dopò finito il primo anno, & rassegnato l'Vfficio, di nuouo esser rielетta, & così per lo secondo per scrutinio, come di sopra, talmente, che non procederà oltre di tre anni, nè potrà di nouo esser rieletta, se non dopò d'vna elettione, almeno d'vn'altra. a Sess. 25. c. 7.

2 Non mancherà la Badessa, come Madre commune, mandare le cose vguali, però con religiosa discretione, considerando il bisogno delle persone particolari, trattando, in quel che concerne l'vfficio suo, tutte le Suore ad vn modo, secondo la giustitia, & egualità frà di loro, ne perseguitando più vna che vn'altra per sue passioni, ò particolar affettione, sotto pena d'esser sospessa dall'Vfficio.

3 In oltre, ordiniamo, che detta Badessa conuenga continuamente al Choro, & al refettorio, se ella non fosse inferma, come vuole la sua professione. sia nel commandare benigna, nel riprender, sollecita, & zelante, nel penitentiare le sue figliuole giusta, & seuera, & nel prouedere à bisogni, & occorrenze del Monasterio diligente.

Della Vicaria. Cap. IV.


PERCHE suole spesse volte accadere, che la Badessa per le cotidiane, & continue occupationi, che occorrono nel gouerno, ò per la grau'età, ò infermità non possa conuenire, & esser sollecita in attendere, che le Suore viuano con quell'osseruanze, che deuono; ordiniamo, che in ogni Monasterio, dopò l'elettione della Badessa, debbasi eleggere con l'istesso modo per voti secreti vna Vicaria, delle più zelanti, & diligenti, dal Monasterio, & potrà anco lei continuare nel suo Vfficio per tre anni, come si è detto della Badessa.

2 L'Vfficio della Vicaria è d'interuenire, & di trouarsi sempre in Choro, & in refettorio con le Suore, & far l'officio proprio della Badessa, quando essa però fosse assente, o inferma; & vogliamo, che sia obedita, & reuerita, la prima dopò detta Badessa, alla quale s'è dato questo aiuto della Vicaria, non per far due capi, ma perch'ella sop-

plisca

plisca a tutto quel, che la Badessa non potesse; & questo, acciò che vna di loro almeno sopplisca sempre, & si troui presente.

Delle Discrete. Cap. V.


CCIO che il gouerno del Monasterio proceda regolatamente, & con ordine, commandiamo, che capitolarmẽte si eleggano ogni anno per seruitio secreto, come si e detto della Vicaria, quattro, ouero più Suore, secondo la consuetudine di ciaschedun Monasterio, le quali debbano essere delle più diligẽti & zelanti dell'honor di Dio. queste Madri, & Suore, si chiameranno Discrete; & senza l'interuento loro, la Superiore non potrà fare cosa alcuna d'importanza pertinente al Monasterio, & alla dispositione del viuer commune, & laudabile consuetudine; & non si farà mai contratto di compra, ò vendita, di locationi, & liberationi, ò altro d'importanza, oltre il conseglio delle dette discrete, senza il consenso, & voto di due terzi del Monasterio, & assenso, & beneplacito nostro.

2 Et, perche spesse volte dalli Capi procedono i beni, & i mali, acciò che la Badessa, & Vicaria, & altre Officiali siano sempre Canonicamente elette, commandiamo, che in simil'elettione niuna Suora habbia ardire di far prattiche, nè fauorire per amicitia, ò parentela, ò commodo particolare, più vna, che vn'altra, nè vsar fraude, ò particolarità nell'eleggere, sotto pena di priuatione di voce attiua, & passiua per tre anni.



Delle

Delle Portinaie, & Ruotaie. Cap. VI.

PERCHE molti ſcandali naſcono ne'Monaſterij, per molti ciarlamenti, & nouelle, che per lettere, & ambaſciate eſcono, ò entrano nel Monaſterio, & per vani ragionamenti, che ſi fanno, con cagione di molti mali, oltre la perdita del tempo, che ſi fà, ordiniamo, ch'ogn'anno ſi debbano eleggere tre, ouero più ò meno, ſecondo il coſtume de i Monaſterij, le quali ſaranno chiamate Ruotaie, ò Portinaie, & à tali ſi ſpetterà riſpondere à chi viene per parlare alle Suore. Et prima, chi vorrà parlare con qualche Suora, lo interrogheranno con qual Suora egli voglia parlare, & non faranno mai ambaſciata à Suora alcuna, ne gli porteranno lettere, che prima non lo dicano alla Badeſſa, &c., ottenuta licenza da lei, le Monache, che ſono chiamate, potranno parlare con chi l'haurà fatto dimandare, &c. non altrimenti, ſotto pena d'eſſer priue delli loro officij.

2 Ordiniamo in oltre, che ſi debbano anco eleggere alcune Suore per aſſiſtere à quelle, che alle ruote, ò alle porte ſaranno dimandate, il numero delle quali ſarà ſecondo la conſuetudine de'Monaſterij, & queſte tali ſi chiameranno Aſcoltatrici, & ſenza la preſenza almeno d'vna di loro non poſſa Suor'alcuna ragionare à ruote, ne à crate, & non permetteranno dette Aſcoltatrici, che alcuna Suora poſſa ſtare alle crate, ò altroue à ragionare con huomini per lungo tempo, ancorche foſſero ſtretti parenti, ſotto pena alle Aſcoltatrici, che aſſentiſſero à molto lunghi ragionamenti, di priuatione di voce attiua, & paſſiua per vn'anno. Et le Suore, che voranno parlare à crate ò ruote, con ſecolari, non haranno ardire, & poteſtà di chiamar ſeco qualunque Aſcoltatrice, che vorranno, ma quella, che ſarà loro aſſegnata determinatamente dalla Badeſſa, ò dalla loro Vicaria; & quell'Aſcoltatrice, che non vorrà aſſentire à quanto gli ſarà ordinato dalle Superiori, per penitenza ciaſcheduna volta farà la diſciplina in Refettorio.

T *Della*

Della vita commune, & pouertà. Cap. VII.


1 PERCHE non è cosa, laquale sia più commandata dalle regole, & dalli Monasterij ben disciplinati, quanto l'osseruanza della vita commune trà le Suore, com'hanno promesso per solenne voto osseruare, commandiamo, che tutte debbano viuere in commune ad vna medesima mensa d'vn medesimo pane, vino, & pietanza. Prouederà pero la Badessa, secondo la facoltà del Monasterio, ben commensurata alli bisogni delle Suore, cō discretione, & carità circa il vitto, & altre cose necessarie, facendo, come Madre prouida di famiglia, ante uedendo nel principio dell'anno l'occorrenti necessità del Monasterio, & l'entrate con le solite elemosine, per poter prouedere à quanto sarà bisogno: & sarà diligente, & verso tutte vguale, acciò che le Suore, lasciata la cura di queste cose terrene, siano più ferventi nelle cose spirituali, in tanto, che nissuna sappia alcuna cosa esser sua, non hauendo in loro libertà il volere, ò non volere, ma harāno l'vso di tutte le cose à libero beneplacito della Badessa, perche, altrimente facendo, sariano proprietarie, & non serverebbono il voto della pouertà, ch'è non solo non hauer cosa alcuna propria, ma ne anco desiderare d'hauerla. onde, acciò che questo habbia effetto, commandiamo, che niuna Suora in suo nome proprio possa tenere beni mobili, & immobili, nè in qual si voglia modo acquistati, ne anco danari, ma debbano quanto prima notificare quanto hanno alla Badessa, acciò che sia palese, & manifesto tutto quello, che possederanno per loro vso; & amino tutte inuiolabilmente la santa pouertà, come muro della Religione: & ciascuna sappia, & intenda, niuna cosa benche minima esser sua, ne poterne disporre in modo alcuno come propria, ma con licenza della Badessa, & in casi necessarij, ò molto conuenienti, poiche non è in loro libertà, ne hanno volere, ò non volere; ma intendano, il voto della pouertà consistere non solamēte in non hauer dominio, ò proprietà di cosa alcuna, ma ne vsufrutto, ne vso, che si debba per via di ragione, ma solamente vso di fatto condecente, & nuda tenuta ad arbitrio della Superiore.

Et perciò

2 Et perciò ſappia ciaſcuna, che non può donare, ne dare preſenti, ne riceuere, nè può vendere, ne locare, ò fare altri contratti, eccetto la Badeſſa, & Monaſterio in commune, & quel che le ſarà conceſſo tenere, ò pigliare con licenza, non lo può ſpendere in vſi profani, ò vanità, ò in coſe ſouerchie, & inconuenienti.

3 Intenda ancora la Badeſſa, & ciaſcuna Monaca, che non ſolo è peccato di proprietà tenere alcuna coſa di danari, ò d'altri in ſuo potere, ò d'altri, ſenza licẽza, ne ſaputa della Superiore, diſponẽdone à ſuo proprio arbitrio, ma ancora è proprietaria quella Religioſa profeſſa, che, tenẽdo alcune coſe con licenza, ne diſponeſſe in vſi profani, & diſutili, ò donaſſe à parenti, ò ad altri per complimenti vani, ancorche lo faceſſe con licenza della Badeſſa, poiche li Superiori non hanno poteſtà di diſſipare le coſe del Monaſterio, ma carico di conſeruarle; & la licenza data in vſi diſutili non vale; & pecca la Badeſſa, & la Suddita; & guardinſi di non tener coſa alcuna occolta, & ſecreta, che non lo ſappia la Badeſſa. chi contra farà, come proprietaria, ſia carcerata per otto giorni.


Del modo vguale de' veſtimenti. *Cap. VIII.*



TVTTE le Suore ſi veſtiranno d'vna medeſima ſorte di panno, & ſiano li habiti d'vna medeſima fattione, & ſenza curioſità, & il colore ſia ſecondo che ricerca l'ordine di S. Benedetto, & ſecondo la laudabile conſuetudine antica della Religione, ſotto pena alla Badeſſa, che altrimente permetteſſe, d'eſſer ſoſpeſa dal ſuo Officio, & le Suore, che tali panni disforniti vſaſſero, d'eſſer priue, ſenz'alcuna remiſſione, di detti panni.



Delle spoglie delle Suore defonte. Cap. IX.


RDINIAMO, che, quando occorrerà morire alcuna Suora, niuna discepola, Badessa, Sorella, Zia, nepote, parente, ò qualunque altra Suora priuata possa attribuirsi, ne appropriarsi spoglia alcuna di detta defonta, ma tutto quel, ch'era ad vso di detta morta, si consegni fedelmente alla Badessa, & seruirà per vso cõmune, & beneficio del Monasterio.

2 Potranno però la Badessa, Vicaria, & discrete, se vedranno il bisogno, dispensare tali robbe alle Suore più bisognose. & se alcuna Suora occoltasse, tenesse, ò spendesse à suo gusto spoglie d'alcuna defonta, non possa essere assoluta, se non da noi, fatta però prima la restitutione.

Dell'Obedienza. Cap. X.


ESIDERANDO, che'l voto dell'Obbedienza al tutto sia osseruato in quel che non è contrario alla salute dell'anime, & alla professione: Ordiniamo, che ciascheduna Suora obbedisca alla Vicaria, & a tutte le altre Officiali, respettiuamente in quel che cõcerne l'officio loro; & quelle, che saranno penitentiate, esseguiscano dette penitenze senza replica, quando saranno loro imposte alla colpa, ò altroue, per le transgressioni della loro regola, & di queste nostre ordinationi; & la Badessa non mancherà, secondo la consuetudine del Monasterio, ascoltare la colpa, vna, ò più volte la settimana; & riprenderà tutte le delinquenti, secondo la qualità, & quantità de' difetti, oue però non saranno determinate le penitenze in queste nostre Ordinationi. Ma, doue sono espresse semplicemente, siano esseguite, & per niun modo rilassate; & quando s'ascol-

s'ascolterà la colpa alle professe, non vogliamo, che siano presenti le nouitie; & nissuna presuma rispondere alla colpa, difendere, ò scusare alcuna, che fosse ripresa, sotto pena d'vna disciplina publica in refettorio; ma, quando ragioneuolmente apparesse, che si facesse ingiustitia ad alcuna, à lei sola con ogni modestia, & humiltà separatamente potrà dir'il suo parere.

E, quando la Badessa commanderà cosa alcuna per santa obbedienza, mostrando voler esser obbedita, come verbi grátia se ella commandasse più volte, che vna tacesse, quando nascesse alteratione frà le Suore, ouero, che non si riuelino cose, dalle quali ne potesse nascere scandalo, ouero odio, tutte le volte, che non si osseruerà tal'obbedienza, quella tale, che sarà disobbediente, sarà tenuta mangiare in terra pane, & acqua, senza niente in testa. & se occorresse, che alcuna Suora non solo rispondesse arditamente alla Badessa, ma ancora (che Iddio non voglia) con parole ingiuriose d'infamia insurgesse contra di lei, commandiamo, che quella, come disobbediente, e ribella, sia incarcerata, & stia in prigione per quindici giorni: &, chi dicesse tal'ingiurie all'altre Suore, sia incarcerata per tre dì, & nissuna ardisca rinfacciare difetto alcuno passato, & innouar le piaghe passate corrette, & castigate; &, chi contrafarà, mangierà vna volta in terra co'l capo scoperto in refettorio; &, se alcuna infamerà in cosa graue la sua Sorella, non vogliamo, che possa esser' assoluta, se non da noi, fatta però la restitutione della fama, & pacificata che sarà con lei.

Della Clausura. Cap. XI.



OICHE il Sacro Concilio di Trento, a tanto seueramente ordina, sotto l'attestationi del Diuin Giudicio, & minaccie della maledittion'eterna, à tutti li Superiori, l'osseruanza della clausura de' Monasterij, acciò che questo si osserui inuiolabilmente, commandiamo per santa obbedienza, che niuna Badessa, ò qualunque altra Suora, ardisca intrometter dentro alle prime porte del Monasterio, che saranno quelle oltre la casa del Parlatorio, & Ruota, ne Huomini, ne Donne di qual si uoglia condicione, ò per qual si uoglia causa, se non vedrà prima la licēza in scritto del Superiore, sotto pena della scōmunica Papale, da incorrersi in quello istāte, & priuatione dell'vfficio che hauessero, & inhabilità in perpetuo à qualūque potessero hauere, oltre della pena della carcere

a Sess. 25. c. 5

carcere per dieci giorni la prima volta, & per la seconda vn mese. Et il Sacro Concilio Tridentino, & Constitutioni di N.S. Gregorio XIII. sotto grauissime pene commandano, che si osserui la clausura, & non si possa entrare, ne vscire extra septa Monasterij.

Ne presumino mai Confessori entrare nella clausura, se non per cagione d'amministatione li Santissimi Sacramenti à inferme, racomandar l'anima, & far l'Officio alle defunte; &, tuttevolte ch'entreranno, entrino con la cotta, & stola, si come vuole la Regola delle Monache velate.

Dichiaramo etiam, & commandiamo alli Confessori, che non ardiscano andar mai à celebrar Messa in tempo alcuno nella Chiesa di dentro d'esse Suore; & siano certi, che, entrandoui, fuor di tal necessità, come habbiamo detto di sopra, incorreranno nella scommunica ipso fatto, & priuationi di loro officij; &, tutte volte, che per tal necessità v'entreranno, subito che da quelli negotij saranno spediti, se ne vsciranno fuora, & sempre il compagno sarà con essi loro, entrando, stando, & vscendo. Non permetteranno, che, mentre essi confessano, uadano li compagni per il Monasterio, mà staranno talmente disposti insieme, che vno vegga l'altro.

Auuertiranno le Badesse, che, quando sarà necessario, che alcuni entrino dentro la clausura, come il Confessore, il Medico, Chirurgico, ò altri, per portar dentro grano, vino, oglio, legne, farina, e simili, habbiano questi tali sempre la licenza in scriptis da Superiori, & sempre siano accompagnati da quattro Suore in ciò deputate, & si dia segno con vna campanella, che tutte le Suore, lequali fossero sparse per il Monasterio, si ritirino nelle loro camere per non esser viste; & nissuna delle Officiali, fuor che nelle cose appartenenti nelli loro officii, ardisca di parlare con quelli tali, sotto pena della priuatione di voce attiua, & passiua per vn'anno.

Commandiamo ancora espressamente, che nissuna Suora possa stare alla porta, lasciandosi vedere, ò guardando altri, ò ragionando cō qual si voglia persona, sotto pena d'vno mese di carcere; & ordiniamo, che niuna intrometta per la porta, ò per la ruota, fanciulli, ò putti maschi, ò femine, di qual si voglia picciola età, & che non si possano tener dentro il Monasterio, per imparare, giouane, & iui custodirle, ne altre donne ammettere, se non per monacarsi senza licenza del Sommo Pontefice commessa all'Ordinario, il quale harà da vedere, se sia vera, ò sorrettitia.

Del.

Del riceuer delli presenti.
Cap. XII.



COMMANDIAMO ancora espressamente à tutte le Suore, che, tutte le volte, che sarà loro data alcuna cosa da mangiare, la debbano consegnare alla Badessa, la quale (essendo la cosa donata in quantità) debba farla dispensare in seruitio commune dell'altre: però à quella, che sarà stata donata, se le ne potrà dare vna parte maggiore. ma, essendo li presenti di cosa minima, si consegnino alla Badessa, da distribuirsi à chi in Domino le parerà, come ad indisposte, ò conualescenti, se non sarà cosa da poter si dare in commune.

Non vogliamo, che per l'auenire alcuna possa accettare presenti, quantunque minimi, da qual si voglia persona, senza espressa licenza della Badessa, Vicaria, ouero di allun'altra madre zelante, alla quale ciò fosse commesso: &, essendo esse occupate, questa tale intenderà bene, chi lo manda, & chi lo porta, & che interesse hà la Suora presentata con quella persona, chè dona; &, conoscendo, che vengono da parenti, ò da persone timorate di Dio, & non sospette, vogliamo possa dar licenza, che si accettino; ma, dubitando, ò sospettando altrimenti, debba riuocarli, & riprender chi li porta.


Commandiamo ancora, che niuna possa mandar fuora presenti à qual si voglia persona, ancorche fossero parenti stretti, se prima non mostra il tutto alla Badessa, & glie ne chieda licenza, laquale consideri bene, chi sia la persona, alla quale si presenta, se è persona bene merita del Monasterio, (che il donare à tali persone, sarebbe atto di gratitudine, & caritatiua remuneratione) & che cosa gli manda, & di che importanza, & donde si può muouere à fargli simile presente: &, conoscendo la persona sospetta, ò il presente di valuta, ò l'occasione scandalosa, non gli darà licenza in modo alcuno, sotto pena di sospensione del suo Officio: & quella, che senza tal licenza presentasse, resti priua di voce attiua, & passiua per vn'anno.

Ne manco sotto pretesto di seruigio alcuno, Suora alcuna darà pane, vino, ò qual si voglia altra cosa del Monasterio, à donne, ò ad altri,

che

che facessero seruitij, senza licenza della Badessa, ò Vicaria, le quali essortiamo che debbano esser nō meno discrete, & prudenti, che amoreuoli, & caritatiue.

Dello scriuere, & riceuere lettere. *Cap. XIII.*



LE lettere non si' scriuano senza prima dimandar licenza all'a Badessa, à cui si dirà, à chi, & che cosa s'haurà da scriuere, & non si mandino, se prima non saranno viste, & lette dall'istessa Badessa, à cui starà il mandarle, ò nò, & non si riceuano lettere, ne polize, se non per la Portinaia, ò Ruotaia.

Delle Crati, & Ruote. *Cap. XIV.*

ORDINIAMO, che le rote habbiano di dentro le porte serrate con serrature, & chiaui, & parimente le crati; & le ruotaie hauranno diligente cura per tempo la sera serrare dette ruote, & la mattina non l'apriranno auanti il leuar del Sole, se non fosse per causa d'importanza, & con licenza della Badessa. Le crati poi siano doppie, & discoste almeno vn palmo l'vna dall'altra, doue però nou sono le lamine perforate, & piastre, perche, doue fossero, basterebbe vna crate sola; & habbiano dette crati i telari di tela nera dentro, & che si serrino à chiaue, & tal chiaue la terrà sempre presso di se, etiam quella della crate della Sacristia, & del sportellino della Communione, la Badessa, la quale non conceda à Suora alcuna per potersi mostrare ad huomini, eccetto, che se fossero parenti molto stretti, & alle donne, purche siano parenti, se ben non tanto strette. Ne si potranno le Suore mostrare à detti parenti loro, più di tre volte l'anno, senza licenza nostra.

Comman-

Commandiamo ancora alle Ascoltatrici, che non si discostino mai dalle Suore, che ragionano, ne permettano, ch'alcuna ragioni di secreto, ouero di cose inconuenienti.

Commandiamo etiamdio à tutte le Suore, che non tengano amicicie di Preti, ò Frati della loro, ò altra religione, ò di secolari, che non siano parenti, sotto pena della priuatione di voce attiua, & passiua, & inhabilità in perpetuo ad ogni vfficio; & la Badessa, sotto pena di priuatione del suo Vfficio, non permetterà, ch'alcuna ragioni con alcun Frate di qual conditione si sia, se prima non si farà presentare la licenza hauuta da noi in scriptis, & tal licenza la riterrà presso di se, senza mai renderla al Frate, perche detta licenza non valerà per più d'vna volta.

Del refettorio. Cap. XV.

TVTTE le Suore non mancheranno di conuenire in refettorio fatto il primo segno, & ritrouarsi presenti alla benedittione della mensa, eccettuate l'inferme, & entrino tutte insieme à tauola, & nessuna si parta, sino che non saranno rese le gratie, se non fosse per cosa d'importanza, & questo con licenza di quella, che precederà in refettorio; &, mentre si mangia, vna continuamente leggerà; & tutte l'altre attenderanno non solamente à cibar' il corpo, ma ancora l'anima con qualche deuota, & spiritual lettione, & ciascheduna sederà nel suo luogo, secondo l'ordine, & antichità; & continuamente s'osseruerà il silentio, & non sarà lecito ad alcuna parlare, se non per caso d'importanza, & con bassissima voce, ne si dispenserà il silentio dalla Presidente, se non rarissime volte, & nel tempo di tal dispensattione le Suore staranno con modestia, & discretione, si come conuiene alle vere serue di Christo.



Del riceuere, & spendere l'entrate del Monasterio. Cap. XVI.

PER leuar via totalmẽte la proprietà, & per vtilità commune, ordiniamo, che tutti li danari, che vengono nel Monasterio, ò siano d'entrate di possessioni, & d'altre cose spettãti à quello, come d'affitti, doti, legati, elemosine, certe, & incerte, che peruenissero al Monasterio, ò fossero lasciate in particolare à qualche Suora, si debbano riceuere dalla Badessa, & si scriuerãno tutte in vn libro da vna Suora, la quale in alcuni Monasterij si chiama Camerlinga; & si metterãno tutti li detti danari insieme in vna cassa, la quale habbia due chiaui differenti, delle quali vna ne terrà la Badessa, & l'altra quella Suora, c'harà cura di scriuerli.

Questa tale spenderà, quando sarà'l bisogno, però con interuento, & licenza della Badessa, & subito scriuerà partita per partita nell'istesso libro, tanto la spesa, come l'entrata del Monasterio; & nell'istessa cassa terrà ciascheduna Suora li danari, che le saranno concessi per vso particolare: douendo la Badessa, & Camerlinga poi dare in ogni quattro mesi conto all'Ordinario, & deputati per l'Vniuersità, dalli quali dipenda la significatoria in assoluere, & condennare secondo la qualità delli conti, che si daranno: dichiarando, che li danari, & robbe donate, ò lasciate ad alcuna Suora particolare si hanno da mettere in commune per li bisogni del Monasterio, & non s'hanno da riserbare per darli alli particolari, ne ci hà da essere altra cassa da rimettersi danari per vso particolare, ma solo la cassa commune.



Del

Del riceuere le nouitie. Cap. XVII.



ON si possa accettare alcuna persona minore di dodici anni compiti. come vuole il Concilio di Trento [a], col consenso di due terzi del Monasterio, & licenza nostra; & non s'accetterà à viua voce, & publica, ma per voti secreti, accioche si leuino tutti i sospetti, che potessero nascere. Auertiranno però le Suore, quando hanno da dar voto ad alcuna per esser Monaca, che tale sia ben nata, di parenti di buona fama, & di buona, & santa mente, sana di corpo, & atta à fare gli essercitij communi del Monasterio. Auertiranno in oltre le Badesse, insieme con le Vicarie, ch'auanti, ch'introducano alcuna dentro per monacarsi, che se le faccia sapere tutta la regola, l'asperità del viuere, del vestire, delle vigilie, de'digiuni, dell'orationi, & d'ogn'altra asprezza del viuer loro; non permettendo, ch'alcuna Suora particolare si pigli, & alleui alcuna discepola, etiam che le fosse parente, perche si fanno poi com'vn'Idolo di quella, & cercano di lasciarla herede delli loro oratorij, ò celle, & delle spoglie, che non sono loro, ma del Monasterio, auezzandole ad esser proprietarie, & sensuali. Onde, per estirpare questa mala consuetudine, commandiamo espressamente, che per Scrutinio secreto s'elegga vna Suora delle più discrete, & zelanti, la quale sarà detta Maestra delle nouitie, & haurà cura di loro, & insegnerà ad esse il modo di viuere, & le cirimonie della Religione, l'Officio Diuino, & l'osseruanza della loro regola; & niuna sarà ammessa alla professione, se non haurà finito il sesto decimo anno co'l voto delle Suore, & licenza nostra. Detta Maestra haurà cura di esse non solo nell'anno del nouitiato, ma ancora due anni seguẽti, che sarãno professe, che stiano seco, ne vadano vagãdo per il Monasterio cõ le Suore professe, ma sempre acõpagnate da lei, ò d'alcun'altra da lei deputata, & le alleuerà nel timor di Dio; &, insino che non sarà compito il terzo anno, dette giouani professe non harãnno voto nell'elettione della Badessa, quantunque fatta la professione possano in tutte l'altre elettioni hauer voto.

[a] Sess. 25. c. 17.

Del numero delle Suore. Cap. XVIII.

PERCHE per esperienza vediamo, ch'è molto meglio esser poche, & buone, ch'assai, & inutili, acciò che non sia maggior il numero di quanto siano basteuoli l'entrate, & l'elemosine cotidiane, & che, mancando la sostanza corporale, non si perda l'osseruanza regolare, secondo, che vuole il Sacro Concilio di Trento [a], & secondo la Constitutione di N. S. Gregorio xiij. il quale vuole, che non possa esser maggior'il numero delle Suore di quanto comporta l'entrata del Monasterio: Per questo si faccia il conto, quanto si può spendere l'anno per vitto, & vestito di ciascuna; &, conforme à questo esito, & all'entrate del Monasterio, & alla dote, che si darà, habbia da esser il numero delle Suore,

a Sess. 25. c. 3.

Di non reuelare i difetti del Monasterio fuora, & l'imperfettioni delle Suore. Cap. XIX.

CONSIDERANDO il grã scandalo, che nasce spesse volte ne'Monasterij per riuelarsi i difetti delle Suore fuori del Monasterio à secolari, à quali nõ si deue, & nõ senza ammiratione di loro; per dar rimedio à tali diffetti, Commandiamo sotto pena di scommunica, & maledittione del Beato Santo Benedetto, & nostra, che niuna riueli i difetti della Religione, ò del suo Monasterio, à qual si voglia persona fuora del Monasterio, saluo, che à suoi Superiori, & suoi legitimi Prelati per rimediaruici: &, chi contrafacesse à questo, che Iddio non voglia, oltre alle pene arbitriarie cõforme al delitto, non potrà esser assoluta senon da noi.

De

De' tempi, quando questi nostri Statuti, & ordinationi si deuono leggere. Cap. XX.



Cciò che questa fatica non sia frustatoria, & vana, & li buoni ordini, che si fanno, non vengano in dispregio, vogliamo, che tutte le sopradette ordinationi da tutte le Suore, tanto superiori, quanto suddite, siano osseruate intieramente; & quando le superiori saranno negligenti in osseruarle, & farle osseruare, saranno seueramente penitentiate da noi, con la priuatione, ouero sospensione de' loro vfficij. Ordiniamo ancora, che, dopo che sarãno le presenti ordinationi così fatte, ogni Badessa, che pro tempore sarà, sia obligata hauerle nel Monesterio, & almeno ogni due mesi vna volta le faccia leggere in Refettorio, acciò che niuna sia scusata per l'ignoranza; &, dopò, che saranno lette, si conserueranno; & gli Ordinarij, che saranno nelle loro Visitationi, così paternali, come giudiciali, trouando le Suore difettose, & non osseruanti di dette ordinationi, le castigheranno seueramente; altrimente aggrauiamo le conscienze loro, che nel giorno del Giudicio ne habbiano à render conto strettamente auanti il Tribunal di Christo Signor Nostro, al quale sia honor, & gloria adesso, & sempre. Amen.

Lucas Ant. Resta, Epus Andrien.

Locus sigilli.



ALIAE

ALIAE CONSTITVTIONES ET ORDINATIONES EXCEPTAE EX REGVLIS EARVM MONIALIVM ET EX SACRIS CONCILIIS ADDITAE

Per ipsum Illustriss. & Reuerendiss. D. Episcopum, pro bono regimine ipsius Monasterij, post alias Constitutiones, de quibus supra, traditas.
Cap. XCI.

De Confessione Monialium. *Cap. I.*



ONFESSORES Monialium, qui eligantur graues, & maturi, tùm ætate, tum moribus, non possint ingredi Monasteria earum, nisi instante infirmarum, & conferendorum Sacramentorum necessitate, & semper cum socio sibi deputato.

Et, vt, iuxta Apostoli sententiam, omnia honestè, & secundum ordinem fiant in nobis, & quia his, qui in Christo piè viuunt, non malum tantùm, sed etiam mali quoque suspectio cauenda est: statuimus, vt socius Confessoris Monialium, quantũ fieri poterit, ab ipsius latere non recedat, & pro amborum custodia semper alter alterum videat.

Cùm

Cùm verò pro audienda confessione, aut aliquo Sacramento conferendo ingreditur, vadat semper superpellicio, & stola indutus; exceptis verò his casibus, nullo modo ingredi possit, nisi de speciali licentia Prælati sui, ob aliquam causam, si iusta, & necessaria iudicata fuerit.

Socij verò Confessorum cum aliqua Monialium loqui non præsumant absque licentia Confessoris: contrafacientes autem, toties in pane, & aqua ieiunent, quoties contrafecerint, nec à quoquam dispensari possint, nisi pœnitentiam fecerint.

Nec petant ipsi Confessores, nec socij, aut accipiant, siue dent aliquid Monialibus, sine expressa licentia Prælati sui.

Communio autem ipsarum, quæ saltem semel in singulis mensibus fieri debet, fiat semper ad fenestram ad hoc deputatam, excepta feria V maioris hebdomadæ, & sollemnitate Corporis Christi, propter processiones, & cærimonias illarum dierum. Exhibeatur quoque à Prælato Confessor extraordinarius, bis, aut ter in anno, qui omnium confessiones audire debeat, sicuti præcepit Tridentina Synodus [a]. a Sess. 25. c. 10

De acceptandis Monialibus.
Cap. II.



N accipiendis puellis tum ad habitum, tùm ad professionem, illa omnia sunt executioni mandanda, quæ Tridentina Synodus [b] præscripsit: inter quæ id præcipuè aduertendum, quòd professio fieri non potest, aut debet ante sextum decimum annum expletum: ad quam nulla admittenda, quæ minori tẽpore, quàm per annum, in probatione extiterit. b Ses. 25. c. 17

Nulla autem possit in Capitulo proponi, nisi de consensu Prælati, si præsens fuerit: aliter omnia pro infectis habeantur: si quæ autem reiecta fuerit, non possit proponi amplius, nisi maior pars Capituli, præsente Prælato, consenserit. quo facto, possit denuo proponi, attento, quod, si quæ Moniales præsentes non fuerint acta in Capitulo tàm in his, quàm in cæteris actibus, committere, nec etiam ipsi Abbatissæ debet; Sed Prælatus sic absentium pro infirmitate vota requirat, denturq; vota per calculos, aut fabas, & non per voces.

Quando

Quando autem erunt vestiendæ puellæ habitu sanctæ Religionis, ad euitandum tumultum, & conseruandam illarum deuotionem, ipsæ, pro sumendo habitu nouitiatus, vespere introducantur in monasteriũ, & manè secreto induantur habitu sanctæ Religionis in interiori Ecclesia; & hoc fiat absque sæculari pompa.

Caueatur autem, ne multiplicentur nouitiæ, vltra numerum, quæ vel ex redditibus proprijs Monasterij, vel ex consuetis eleemosynis commodè non possint sustentari; vt decreuit Sancta Tridentina [a] Synodus: nec eleemosynæ pro receptione nouitiarum acceptæ, ab Abbatissis, absque interuentu Prælati, & Monasterij discretarum, expendantur.

a Sess. 25. c. 3

Aduertatur præterea, ne, ante emissam professionem, excepto victu, & vestitu, quo tempore in probatione est nouitia, quocunque prætextu à parentibus, vel propinquis, aut curatoribus eius, Monasterio aliquid ex bonis eiusdẽ tribuatur; ne hac occasione discedere nequeat, quòd totam, vel maiorem partem substantiæ suæ Monasterium possideat; nec facilè, si discesserit, id recuperare potest; quin potius præcipit Sancta Tridentina [b] Synodus, sub anathematis pœna, tàm dantibus, quàm recipientibus, nec hoc vllo modo fiat.

b Sess. 25. c. 19.

Abbatissa, & Moniales nullam amodo in Monialem recipiant, nisi Chrismatis charactere insignitam; ne tali occasione cogantur introducere Episcopos, & aperire Monasteria sæcularibus.

Nulla etiam mulier, cuiuscunque conditionis, vel ætatis existat, pro quacunque causa proponi possit in Monasterijs, nisi seruatis ordinibus Illustrissimæ Congregationis, & diplomatibus, siue priuilegijs Summi Pontificis, obtentaqna licentia etiam à nobis in scriptis, excepta tamen causa vrgentissima, videlicet, tempore belli, & huiusmodi.

Statuimus etiam, vt insuper Moniales nostræ subditæ, omnino abstineant a colloquijs personarum laicarum vtriusque sexus, etiam cõsanguineorum, omnibus diebus Quadragesimæ, & Aduentus Domini, & in quibus facta fuerit Sanctissima Communio, ob reuerentiam talium dierum, & vt contemplationi rerum Diuinarũ vacare possint.

Nulla autem Monialis, nec etiam Abbatissa præsumat introducere alios medicos, præter ordinarios Monasterij, sine licentia Prælati, quiquidem non facile licentiam huiusmodi impartiatur, sed omnino aduertat, vt in hoc seruentur decreta Sacrosancti Concilij Tridentini, & Constitutiones Apostolicæ Fel. Record. Pij V. & Gregorij XIII.

c Sess. 25. c. 5

De

De litteris, & munusculis non mittendis, neque recipiendis. Cap. III.



RDINAMVS, vt Moniales a modo non præsumant mittere sine nostra licentia munuscula, tàm generaliter, quàm particulariter.

Volumus etiam, & ordinamus, ad euitandum proprietatis vitium, furta, & inobedientias, & alia inconuenientia, quòd nulla Monialium donare aliquid possit vlli Confessorum, aut aliorum ex nostris, vel cuilibet, neque etiam de speciali licentia Abbatissę.

Contrafacientes verò, tam Moniales, quàm alij, cuiuscunque gradus existant, ieiunent ter in pane, & aqua, intra quindecim, aut viginti ad summum dies, & Abbatissę recepta restituant. super quo à nemine dispensari valeant.

Ordinamus etiam, quòd Moniales scribentes, vel mittentes litteras sine facultate, pro qualibet vice comedant in terra in refectorio, in pane, & aqua, & genuflexæ maneant ad Refectorij portam transeunte conuentu, cum Zona ad collum.

Si contigerit in hoc Monasterio esse plures sorores germanas, si earum vna Monasterio prefigatur, & Abbatissa creetur, alias sorores mandamus omnibus officiis carere, & vitam ibi priuatam agere.

Quæ electę fuerint, vti earum obedientia postulat, officia suspiciãt, & munera sibi iniuncta sine recusatione humiliter exequantur. Quę aliter fecerint, absque iusta causa, quæ vel ab Abbatissa, vel Ordinario Superiore probata sit, & admissa, careant voce actiua, & passiua.

Abbatissa, vel eius Vicaria, & omnes etiam in simul curent, vt pax, & concordia Sororum conseruetur, sublatis, quantum fieri poterit, omnibus dissidijs, & discordiæ causis, vt (quem admodum debent) vnum corpus, & vnus spiritus fiant in earum Sponso Iesu Christo, perfectoque charitatis vinculo ei colligentur.

Studeat etiam Abbatissa, vt singulæ Sorores suo munere rectè fungantur;

gantur; neque vlla alterius officium occupet, nisi auxilij causa; idque ipsius nutu. Et, vt omnia recto ordine perficiantur, mandatur, vt silentium locis, ac horis præscriptis seruetur. si verò alicuius improbitas, vel importunitas, vel verbo, Sororum, pace turbata, charitatem violauerit, acerrime ab Abbatissa, vel Vicaria, & (si opus fuerit) à Superiore puniatur; vt eius animi elatio dometur.

Demum prędicta Abbatissa, tanquam communis omnium mater, ipsarum & corporis, & animæ saluti diligentissimè consulat, easque studiosè admoneat, vt puro corde sint, integritatem seruent, & ad perfectionem virtutum omnium contendant; si quidem, quæ religionem sumpserunt, nisi ad summum illum gradum pro viribus peruenire conentur, minus sanè efficiunt, quàm debent, prouitæ, & ordinationis instituto, quod profitentur. Meminerit autem Abbatissa, sibi reddendam esse rationem iustissimo iudici erratorum, quæcunque Moniales eius negligentia, aut culpa admiserint.


Lucas Ant. Resta, Epus Andrien.

Locus sigilli.



Visita-

Visitatio Ecclesiarum, & Cappellarum, intus, & extra Ciuitatem.
Cap. XCII.



ET sic, Cathedrali Ecclesia, Clericis, Laicis, Religiosis, & Monialibus visitatis, modo prædicto, debet Visitator visitationem iam cœptam prosequi, ordine prædicto semper seruato in omnibus Ecclesijs, & cappellis, quæ sunt intra, & extra ciuitatem; accedendo personaliter cum Notario, & Coassumptis, notando omnia, prout supra dictum est. Ordinarius tamen sciat, ad se hoc munus pertinere [a]: vt visitet omnes Ecclesias suę Diœcesis, Monasteria, & xenodochia etiam heremitarū, & quorumcunque locorum piorum; vt sacri Canones tradunt, in quibus dicitur, quòd Episcopus quascunque Ecclesias suæ Diœcesis circundare, & inuisere debet, an refectione, & alijs necessarijs egeant; & præcipue illas Ecclesias, & pia loca visitare debet, quę auctoritate ordinaria fundata sunt. Quin etiam communiter tenetur, quòd Ordinarius potiorem, ac specialem iurisdictionem habeat visitandi hospitalia, & loca pia [b], sic constituta per Diœcesim; sciscicteturque a Coassumptis, tàm in ciuitate, quam etiam extra, & similiter in oppidis Diœcesis, an sint aliæ Ecclesię, oratoria, & cappellę, tàm intus, quàm extra ciuitatem. quas Ecclesias personaliter accedendo visitare debet modo prędicto. Et, vt facilius omnia exequi possit, visum est etiam infrascripta interrogatoria subtexere, pro recentiori memoria Visitatoris; quibus vti poterit, addendo, vel diminuendo, prout sibi videbitur.

[a] c. Romana. de cen lib. vj. c. Episcopum x. 91. 5. c. 7. sess. 6. c. 4.

[b] [illegible]

Primò, notanda curet nomen, cognomen, Rectoris, possessoris, dotem Ecclesię, seu cappellæ, & patronum, si ius patronatus erit; sin autem, scribat, de iure ordinario.

Nocet etiam locum, distantiam, ædificium, altitudinem, altare, scabellum, Iconam, Crucem, picturas, sculpturas, & ornamenra, pro vt supra in Visitatione Cathedralis explicitè docuimus.

Altare firmum lapideum, integrum, consecratum, portatile, am-

plum, bene ſigillatum ſit, lapidem ſacratum æqualiter Altari infixum habeat, Baldachinumque, ſiue vmbellam amplam deſuper appenſam.

Spatium hinc inde amplum ſeruitio neceſſarium ſit.

Feneſtellę conuenientes pro bacili, & vrceolis conſeruandis.

Calicem, corporalia, purificatoria, veſtes ſacras benè diſpoſitas, nec immundas, nec confractas, & ſciſſas habeant.

Miſſale, candelabra, campanam, &
campanulam, cancella, ſcabellum } habeant.

Videat, an munda omnia ſint, & decenter ornata.

Videatur poſtea, an noua conſtituta aliqua ſint, aut vetera demolita ſine licentia, vel aliqua reformanda, vel demolienda, vel ędificanda, vel transferenda, vel reparanda ſint.

Item, an aliqua ſint cum propria ſepultura, & quid pro ea ſoluatur, & cui.

Item, an aliqua legata pia, aut relicta pia perpetua.

Item, an bona vſurpata, à quo, & quanto tempore.

An aliqua bona vnita Eccleſię, vel Capitulo, & quæ.

An remittant Cappellani caducitates.

Vocentur Cappellani, & poſſeſſores ad Epiſcopale Palatium, & omnes adſint cum litteris ordinum, & beneficiorum.

Mandet illis, vt dent inuentarium ſtabilium cum finibus nouis noſtri temporis intra terminum; citentur Patroni, & alij, ad quos pertinet oſtendere fundationes, vniones, iura, priuilegia.

Seſs. 25. c. de refor. Requirantur, & videantur priuilegia; & prout de iure, & de diſpoſitione Sacroſancti Concilij Tridentini prouideatur.

Si altaria ad ius patronatus ſpectantia non ſunt depicta, hortandi ſunt Patroni, vt pingenda, & ornanda curent.

Sed, ſi non habent Patronum, vel nolint, & aliqua difficultas oritur, cõſulat Sanctiſsimam Congregationem, & iuxta eius Decreta exequatur; ſin autem, ipſe, prout ſibi de iure videbitur, decidat.


Videat, ſi Eccleſia non ſit conſecrata, vt conſecretur.

In Eccleſijs Collegiatis ſtatuendum eſt, vt ex fructibus plurium cappellarum conſtituatur merces, ſiue ſalarium alicui Clerico, vt inſeruiat, ſi opus eſt, & ſcribat, notetque eos, qui celebrant, vel non.



De

De xenodochiorum, siue hospitalium visitatione. Cap. XCIII.



Voniam Ordinarius parens est, & dispensator pauperum; æquum est, ac rationi consentaneum, vt per se, vel, si impeditus fuerit, per Vicarium suum reformationi, ac bono regimini hospitalium, ac reliquorum piorum locorum incumbat, iuxta sacrorum Canonum [a] regulas, ac Sacrosancti Tridentini [b] Concilij decreta, quibus omnia impedimenta, ac difficultates tolluntur, ac remouentur. Qua propter, confecta prædicta visitatione, ac opportunis, necessarijsque adhibitis remedijs, sciscitabitur, ac diligenter perquiret, an in illa ciuitate, vel oppido reperiatur aliquod xenodochium, &, si reperitur, an sit sub alicuius Iurepatronatus necne; &, conuocatis Patronis, ac alijs viris ad illius regimen deputatis, ac electis, personaliter se conferet ad inuisendum huiusmodi xenodochium; & in primis libros Visitationum aliàs in eodem loco factarum sibi tradi postulabit: quòd si nullus reperiatur, nouum statim faciendum curabit. Deinde perquiret, quot, & quantæ, sint opes, qui census illius xenodochij, cùm ad loci ipsius dignitatem retinendam, tùm ad pauperes alendos, ac subleuandos.

a De xenodochiis de relig. dom. clē. quia contigit eod. tit. doce. in c. si Romana de cens. lib. 6.

b Sess. 25. c. 8. de refor. & sess. 7. c. 15. & sess. 22. c. 8.

Preterea, si nullum sit opum, ac census illius inuentarium, siuè index libellus, nouum faciendum statim curabit, in quo totius census rationes, & prædia, cum suis finibus, ac terminis, reliquisque condicionibus, describentur, ea ratione, ac methodo, quę supra in visitatione Ecclesiarum, & beneficiorum tradita est. Si quid autem, quod ad illius xenodochij iura pertineat, ab aliquo vsurpatum, vel male alienatum repererit, quamprimum recuperari mandabit.

Prętérea, rerum mobilium inuentarium, siuè indicē libellum confici imperabit; in quo lectulorum, & omnium, quæ ad peregrinorum, & ægrotantium vsum pertinent, numerus, ac qualitates diligenter adnotentur, ac conscribantur. quod quidem inuentarium xenodochij administratori, vel ei, cui illius administrationis onus demandatum est, tradet.

Perquirat etiam, an xenodochij magister, siue minister sit affabilis, pius in recipiendis pauperibus; & diligenter eis in necessitatibus inser-

uiat;

uiat; an à fordibus, tàm lectulos, quàm ipſoſmet infirmos abluat ſę-pè, ac magna adhibita diligentia. An mulieres in lectulis proprijs ſeorſum à viris iaceant. An ibi ſit aliquod cubiculum remotius, ſiuè conclaue aliquod, in quo Presbyteri, monachi, & nobiliores aliquæ perſonę collocari poſſint; ſi fortè illis ibi, vel ob malam valetudinem, vel ob aliquam aliam cauſam, & ſuperuenientem neceſſitatem immorandũ eſſet. Quod ad infirmos attinet, interroget, an eis Confeſſio, & alia Sacramenta ſubminiſtrentur.

Quod ſi aliquod ibi hoſpitale ſit, in quo pauperibus infirmis, vulgò, ac ordinariè medicamenta adhibeantur; videat, ac diligenter ſcrutetur, an ibi ſit aliquod Sacellum, ſiuè Oratorium, in quo ſacrum Miſſæ peragi poſſit. Interroget etiam, quomodo xenodochij opes, ac cenſus expendantur, ac in quo potiſſimum erogentur. & in hoc, an fundatorum, & eorum, qui huiuſmodi loca dotarunt, voluntas adimpleatur. Inſuper, ſi quæ erunt ſcripturę, vel publicę vel priuatæ, vt diligenter, ac cautè cuſtodiantur, imperabit. Illud quoque perquiret, an omnium bonorum, quę tam ex prędijs, quàm ex alijs locis percipiuntur, à miniſtris ratio reddatur ſingulis annis, dominis, vel alijs, cui id oneris demandatum fuerit, ac commiſſum; rationeſque huiuſmodi, & cõputa ipſe per ſe quoque percurret, ac diligentius conſiderabit; vt ſupra dictum eſt, cùm de Eccleſiarum rationibus, ac cenſu ageretur. Tãdem omnibus prouidebit, ac opportuna remedia adhibebit; prout magis ei expedire videbitur, & ad Dei omnipotentis cultum, & ad xenodochij illius regimen bonum. Et, vt facilius omnia memorię mandari poſsint, poterit Viſitator de omnibus xenodochijs patronos, ac rectores, modo, ac ordine, qui ſequitur, interrogare: videlicet:

Gubernia, & adminiſtrationes, quę, & qualia ſint, & quomodo fiant.

Miniſtri qui, & quales ſint, & an perpetui.

Temporales quomodo deputentur, & eligantur.

An ipſi ſint debitores hoſpitalis.

An actu hoſpitalitatem exerceant, & quomodo.

An quolibet anno rationem adminiſtrationis Ordinario reddant.

Officiales, qui, & quales ſint.

Quomodo conſtituantur, & quando per annum.

Quàm benè ſuo munere fungantur.

Quot miniſtri ſint in hoſpitali.

An piè viuant, & diligenter ſuum officium exerceant.

De diligentia in recipiendis hoſpitibus.

De charitate in ijs recipiendis, & tractandis.

Quot in hoſpitali nunc ſuſtineantur hoſpites.

Quot

Quot lectuli sint, & qui describantur; & detur inuentarium tam illorum, quàm rerum mobilium omnium.

An diligentes sint in perquirendis eleemosynis.

An alijs pijs locis respondeant.

An mares cum fęminis versentur, an separati maneant.

An hospites piè viuant.

An, cum hospitale ingrediuntur curandi gratia, confiteantur, & communicent.

An etiam postea frequenter.

An Missa celebretur pro infirmis, qui in lecto iacent.

Quot cappellani sint.

An habeant in Ecclesia sepulchra pro mortuis sepeliendis, & quot.

Quę adhibeantur in ipsis sepeliendis.

Si mortui habent supellectilem, cui applicetur.

An, quando ad hospitale curandi gratia veniunt, per inuentarium recipiantur eorum bona, quę secum habent, & etiam pecunię. Omnia hospitali applicentur, si mori contigerit.

An alienata sint aliqua bona.

An sine consensu Ordinarij.

An per aliquot dies pręconizentur in locis publicis.

An subhastentur, & plus offerenti liberentur.

An reparatione vlla indigeant.

An aliqua sint membra annexa.

An habeant Ecclesias, seu cappellas.

Fundationes, instituta, priuilegia, exhibeantur.

Videat iura omnia, & redditus, onera, & expensas.


Rationes de pręterito, & statum presentem.

Inuentarium bonorum omnium hospitalis, & an singulis annis innouetur.



Visitatio

Visitatio Confraternitatum, Scholarum, & Societatum. Cap. XCIV.



Voniam, quę religionis, ac pietatis causa instituta sunt, contingit aliquando ab humanę salutis perpetuo hoste deprauari: propterea Visitator diligenti indagine perquirere debet, ac scrutari, quę ad Societates, & Confraternitates, aut Scholas huiusmodi in populis sub pietatis nomine institutas spectant; Sacri Concilij Tridentini Decretis inhærendo.

In primisque, qui fundatores, quę origines earum, examinabit, ac considerabit; seque de omnibus institutis, legibus, ac ordinationibus informari, ac certiorem fieri curabit: in quo hęc potissimùm exquiret: an huiusmodi instituta, bona, & honesta sint, & ad sanctum finem directa. an aliquam in se superstitionem, an res vanas, & scandalis obnoxias contineant. atque eas solas sua auctoritate confirmabit, quas iustas, rectas, & honestas, ac super vera charitate, quę totius Christianę legis finis est, fundatas esse deprehendet; contraque illas destruet, & è medio tollet, quas tales esse minimè reperiet: nec vllo modo permittet, hunc in eis abusum irrepere, ac longa consuetudine corroborari, vt Dominicis diebus, vel in fignioribus Sanctę Ecclesię sollemnitatibus, ad audiendas Missas votiuas, vel pro defunctis congregentur, prętermissa interim rei sacrę auditione, quam Sancta Mater Ecclesia eo die Dominico, vel in honorem illius Sancti celebrare consueuit: ad quam etiam audiendam omnes Christi fideles, eiusdem Ecclesię pręcepto, sub mortalis peccati pœna, tenentur[b]. Interrogabit etiam, an habeant sacella, siue oratoria particularia, in quibus Fratres diebus Festis sacris de more induci ad celebrandum Beatissimę Virginis Marię Officium, conueniant. Illud quoque obseruatum est, in huiusmodi Societatibus, siuè Scholis, hanc legem, plerúnque apud eos inuiolabiliter seruari, vt certum, ac statum Fratrum numerum pręteriri, ac trascendi nolint, nullúque in eis conscribi, ac admitti, nisi ex certa aliqua particulari familia originem ducat, ac quibusdam qualitatibus sit insignitus. Hos igitur omnis abusus, & ijs similes Visitator tollendos quamprimum curabit. Exquiret etiam, qui, & quantus

b c. missas de consecrat. di stinct. 2.

& quantus sit census illarum, quomodo illum fuerint adepti, & qua ratione expendatur, an in sacrificijs, cera, eleemosynis, & Ecclesiæ reparatione. Nec permittat in commessationibus, peregrinationibus, ac votis consumi.

Interrogabit etiam, an ornamenta cultui Diuino apta, & necessaria habeant.

An vltimas voluntates eorum, qui res sacras fieri, & alia pia opera exerceri reliquerunt, re ipsa comprobent, ac impleant.

Videbit etiam, an ministri singulis annis rationem reddant: & huiusmodi rationes, & computa ipse quoque per se considerabit, ac diligenter examinabit, ac omnium ornamentorum, census, & prædiorum cum suis terminis, ac finibus inuentarium, siue indicem libellum confici mandabit: & , vt vnico verbo vniuersa concludam, omnibus opportuna remedia adhibebit: pro vt ei magis expedire videbitur. ac, finita Visitatione, omnia, quæcunque ordinauerit, ac statuerit, in Actis referri imperabit.

In primis autem Præsul, siue Visitator in omni Ecclesia, Monasterio, Hospitali, Societate, siue Confraternitate, & Heremo, ac omnibus alijs locis pijs, quos inuiset, ordinabit, vt libri particulares fiant, ac diligenter conseruentur, in quibus eo modo, quo diximus, huiusmodi Visitationis acta conscribantur: quorum etiam duo exemplaria conficienda curabit, ad verbum inuicem collata: quorum alterum ibi relinquet, alterum vero per Notarium suum in publico Archiuio conseruari mandabit, vt, si forte alterum amitti contingeret possint Visitationum acta describi ex altero. quod etiam in cæterarum Ecclesiarum visitationibus obseruandum est. &, pro faciliori instructione, cum Visitatoris ipsius, tum eorum, qui visitantur, poterit Visitator, eo, qui sequitur examine, vti: videlicet.

In primis habeat, & videat omnia nomina, & cognomina confratrum, fundationes, instituta, priuilegia, constitutiones, modum orandi, & gubernandi.

An habeant libros prædictorum omnium, & archiuium, sin minus, tent.

Recognoscat redditus, expensas, & onera.

Quot cappellanos habent pro oneribus soluendis.

Administratores quomodo constituantur.

Quomodo administratores, & confratres communionem frequentent.

An perpetui, an temporales, an debitores sint ministri.

An habeant vestes, & cuius coloris, & signi, quot omnes numero sint, quas habent.

Quo modo adminiſtrent, an adminiſtrationis rationem, Ordinario, quolibet anno reddant.

Videat computa de præterito, & ſtatus præſens notetur.

An omnes confratres habeant in eorum cappellis ſepulturas.

An ibidem omnes ſepeliantur.

An omnes cum veſtibus, ſeu ſaccis ſepeliantur.

An omnes confratres adſint.

Inuentarium bonorum omnium, & an innouetur.

Exemplum omnium ad verbum deſcriptum detur Viſitatori, & in libro Viſitationis deſcribatur.

Viſitatio Seminarij, ac Congregationis adoleſcentium. Cap. XCV.



VM Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſimi Sacri Concilij Tridentini Patres pro Cleri reformatione ſtatuerint, ac decreuerint, [a] vt Epiſcopi in ſuis diœceſibus
[a] c. vult. ſeſſ. 23. adoleſcẽtium congregationem in loco apto, & particulari inſtituant, adhibitis pręceptoribus, ac rectoribus, per quos & bene cuſtodiantur, & in bonis litteris, ac morum elegantia, ſuauitateq. inſtruantur, eo conſilio, ac ea ratione, vt nouum in Eccleſia Dei Seminarium fiat; quibus adoleſcentibus, ſic inſtitutis, ſuis loco, & tempore animarum cura demandaretur; cumque ſanctum hoc inſtitutum multi Præſules in ſuis Diœceſibus executi fuerint; Viſitatores, poſtquam omnes Eccleſias, ac Monaſteria, quarum illis cura connexa eſt, viſitauerint, ad hæc Collegia, ſiue Seminaria viſitanda ſe conferent.

Vbi, perfecta, & conſiderata loci diſpoſitione, an ſit aptus, commodus, in loco honeſto, boni aeris, ac ſitus, perquiret, qui ſint electores, & primates illius Collegij, ſiue Seminarij, quibus onus recipiendi, & approbandi huiuſmodi adoleſcentulos incumbit, qui ad minus quatuor ſint.

An huiuſmodi Electores in recipiendis, & probandis adoleſcentibus

bus rationem habeant natalium vniuſcuiuſque, & vt corpore integri ſint, abſque vlla deformitate, & ad diſcendas virtutes propenſi, vt ſint manſueti, nec iræ valde obnoxij, & in primis ad diſciplinam, & obedientiam bene diſpoſiti.

Interroget etiam, an in huiuſmodi approbatione conſiderent ingenij acumen, ac bonam indolem; & videat diligenter, ne bono publico, & ſpiritali, animarumque neceſſitati, potentium, & aliorum commendationes, & propriam ſuam vtilitatem præponant, non nullos approbando, ac recipiendo, qui prædictis qualitatibus carent, vt vel ab ijs, qui eos commendarunt, gratiam ineant, vel ſuis commoditatibus inſeruiant, vel, quod longe turpius, & deteſtabilius eſſet, aliquid inde lucrum, & emolumentum percipiant.

Exquiret etiam Viſitator, an, præmiſſis prædictis condicionibus recipiendorum, approbatio fiat ſecrete; &, qui recipitur, debet ſaltem tribus votis, ac ſuffragijs quatuor Electorum, quos ſupra diximus, approbari.

Perquiret etiam, an verus in eo Seminario, ſiue Collegio ſit Rector, & gubernator, qui toti illi Congregationi præſit; & an is diligenter in primis, & moderate ſuo munere fungatur; prouidendo tam ijs, qui interius animæ regimen, Omnipotentis Dei timorem, ſtudia, & bonos mores concernunt, quàm ijs, quæ ad exteriorem rerum familiæ, & opum adminiſtrationem pertinent.

Videbit etiam, an, cum adoleſcentulos recipiunt, in primis curent, vt, præmiſſa peccatorum ſuorum confeſſione, Deo reconcilientur, eosque admoneant, quid agendum, quid obſeruandum, quid cauendum, quid denique præſtandum ſit.

Et, cum Rectori præſentantur, an faciant eos genuflectere ante Altare, ibi cum luminibus, & ornamentis præparato; atque ad obedientiam, & reliquas virtutes amplectendas hortentur; atque, his peractis, Hymnus, *Te deum laudamus*, totus ſubmiſſa voce cantetur: quo finito, verſiculus, & rationes Sanctiſſimæ Trinitatis recitentur; deinde verſiculus, & oratio Beatæ Virginis Mariæ, cum Pſalmo, *Magnificat*, & commemoratione Sanctorum Petri, & Pauli, & Sancti illius Seminarij, ſiue Domus Patroni, iuxta ritum, quo Sancta Romana Eccleſia vtitur.

Atque, his peractis, perſonas viſitare incipiet, quas ſimul in vnum locum ad id aptum congregari, ac conuenire curabit; quos etiam omnes oratione ad id accōmodata hortabitur ad præſtandum ſedulo

munus suum, incipiens à Rectoribus, præceptoribus, & ministris; postmodum verò, ad adolescentes, qui ibi educantur, sermonem conuertendo, eos ad pietatem colendam, ac litterarum studia amplectenda inflammabit; vt conceptæ de se opinioni respondere possint; &, si quos ibi defectus repererit, eos omnes condemnabit.

Lectulos etiam diligenter visitabit, considerando, an sint benè, & concinnè dispositi; atque iuxta loci amplitudinem, in debita proportione distent inuicem, ita tamen, vt omnes à Rectore siue Præfecto conspici possint: qui & ipse quoque in eodem cubiculo dormiet.

Videbit etiam, an singuli pro se separatim dormiant; & an somnus septimam horam excedat; & nocte semper in medio cubiculi lampas ardeat.

Illud quoque disquiret, an adolescentes Rectori, veluti suo superiori, obediant.

An manè, cum excitati à somno surgunt, ac alijs horis ad id potissimè constitutis, omnes simul orationi vacent.

An studijs nauiter dent operam, & quo modo, & ordine, quas lectiones, & quorum auctorum libros præceptores interpretentur, & quid legant, aut in quo se exerceant illis horis, quibus à studijs, ac lectionibus sunt liberi, ac soluti.

An, dum comedunt, aliquis eorum sacram aliquam lectionem alta voce legat, & cuius auctoris; vt simul cum corpore animus quoque pascatur; idque singulis hebdomadis singuli pręstare debent.

Interroget etiam, quo pacto tempus distribuant, tam hiemali, quàm ęstiuo tempore.

Requiret etiam, an nocte locum, in quo adolescentes dormiunt, & reliqua loca communia Rector inuisat; &, si vnus quisque in ea domo, vel Collegio, suo munere fungatur, diligenter obseruet.

An inferiores ministri suis præpositis obediant.

Videbit etiam, quæ sit ratio, qui modus in victu, & vestitu: & de omnibus bonis, tàm mobilibus, quàm immobilibus, quæ quouis modo ad Seminarij iura pertinent, nec non de censu, & opibus indicem libellum, siuè inuentarium conficiendum curabit.

In primis autem in huiusmodi locorum visitatione hoc animaduertet Visitator, vt diligentissimè perquirat, quo pacto illi in communi consuetudine viuant, quam curam, & diligentiam adhibeant Rectores, vt castè, pudicè, & honestè viuatur; quod est veluti basis quædam, & fundamentum, cui huiusmodi Seminaria, & Congregationes innituntur, vt ex D. Pauli verbis ad Timotheum conijcere licet: cuius

cuius verba sunt [a]: *Te ipsum castum custodi*, & alibi [b], *Esto exemplum fidelium in conuersatione, in castitate*.

a Paulus primæ ad Tim. c.4.
b Idem primæ ad Tim. c.5.

Exquiret etiam, qui modus in correptionibus, & pænitentijs iniungendis obseruetur; qua methodo in cõfessionibus vtatur; an sępius confiteãtur. quibus omnibus sic diligẽter perspectis, & cognitis, omnes tollet defectus, emẽdabitque, & singulis opportuna remedia adhibebit.

Denium Visitator mandabit Præfecto, & Rectori Seminarij, vt hic mos perpetuo obseruetur ab ipsis: videlicet, quòd Catechismus Romanus pueris, & adolescentibus, semper prelegatur, & quàm diligentissimè explicetur, ita, vt nulla eius pars prætermittatur, eiusque doctrina eorum animi imbuantur, quam fieri potest, omni maximo studio.

Similiter, quòd magistri animaduertant semper legere lectiones morales, nec vnquam lasciuas, & profanas; & auctores non probatos reijcere.

Et, quando id commodè fieri potest, præter cætera, quibus ad pietatis exercitationem, & ad litterarum doctrinam adolescentium animi erudiuntur, studio etiam sacrorum rituum, historiaque omnis Ecclesiastica, certis statis diebus instituantur: quæ clericalis ordinis hominibus maxime accommodata sunt, & ad optimam religiosæ disciplinę rationem necessaria.

Visitatio Montis Pietatis. Cap. XCVI.

TANDEM, vt finem huic primę parti nostræ Praxis demus, Visitator, volens Montem Pietatis visitare, diligenter aduertat, vt bona dicti Montis bene, debitè, & diligenter conseruentur, & vt illa in pauperum, ac miserabilium personarum detrimentum non pereant, sed potius augeantur. Et, ne à nostro principio operis aberremus, hæc, quę sequuntur, ab omnibus administratoribus dicti Montis seruanda curabit.

Primo,

Primo, mandabit, ne pecunia dicti Montis alicui detur, nisi super pignoribus maioris valoris vltra dimidium pecunię mutuatę.

Mandabit etiam officialibus dicti Montis, vt curent, quòd pignora singulo quoque mense, & sæpissime à puluere, & immunditijs purgentur: quia facile aliter corrumperētur: &, si, culpa illorum, pignora perierint, vel deteriora fierent, quòd de proprio, Montis satisfaciant.

Pecuniæ non dentur pro rebus publicis, quia difficilis erit exactio: & contrafacientes, de proprio, Monti satisfaciant.

Pręfiget summam pecuniæ mutuandę Visitator, secundum quantitatem, quā Mons possidet, ad hoc, vt omnes pauperes, & egentes sentiant iuuamen dicti Montis.

Prohibeat etiam Visitator, ne officiales arma, & libros pro pignoribus recipiant; quia nec illa domini redimere curant, nec, qui illa emant, inuenietur. Si secus officiales fecerint, pignora pro se recipiant, & de propria pecunia Monti satisfaciant.

Sex mensibus elapsis, si pignora à proprijs dominis non fuerint exacta, mandabit, quòd vendantur, ad hoc, vt alij etiam egentes possint cum pecunijs prędictis, suis necessitatibus consulere. Quæ omnia si officiales exequi non curauerint, successores non teneantur recipere dicta pignora, sed priores officiales, de proprio satisfaciant Monti.

Si quis diuersas quantitates pecuniarum, relictis varijs pignoribus, à Monte receperit, meliora pignora, peioribus relictis, releuare non permittant.

Et, ne fraus aliqua committatur, prohibeat, ne Montis pręfecti permittant pignora iam tradita mutare, & alia ipsorum loco tradere.

Et, si aliquod legatum pium fuerit Monti relictum pro expressa voluntate testatoris adimplenda, in certum opus pręfixum, vt in nostra Ciuitate Andriæ reperitur, quòd testatores relinquunt certam pecuniarum quantitatem Monti Pietatis pro pauperibus vestiendis, & maritandis, &c. voluntas testatoris seruetur, & omnia cum pręsentia, seu consensu Ordinarij dispensentur: prout ita per S. Congregationem, contradicentibus administratoribus, fuit decisum, per litteras nobis directas.

Magistri, & administratores, seu officiales Montis, non per substitutos, sed per se ipsos officium exerceant: quia, si in aliquo pręmissorum errauerint, non valeant excusationem allegare.

Et, vt Montis prædicti indemnitati consulatur, mandet, quòd officiales prædicti in fine cuiuslibet anni rationem exactissimam eorum admini-

administrationis reddant coram loci Ordinario, cum pręſentia ſucceſſorum in officio prędicto.

Et, ne bona ſtabilia dicti Montis pereant, ſed potius augeantur, mandet, vt fiat inuentarium, iuxta pręſcriptam formam cuiuslibet diœcesis.

Curabit etiam, & expreſſe mandabit Viſitator officialibus prędictis, vt libros bene diſpoſitos habeant, in quibus pignora, quę recipiuntur, & redduntur, deſcribantur; vt quòd bene conſeruentur, vt non pereant.



DIRECTORII VISITATORVM, AC VISITANDORVM,


Cum Formula, & Praxi Generalis Visitationis, Reuerendissimi Patris

D. LVCÆ ANTONII RESTÆ, Episcopi Andriensis,

PARS SECVNDA.


In qua tractatur

DE VISITATIONE ECCLESIARVM, Locorumq. omnium Diœcesis, & personarum; cum quibusdam alijs formis, & modis pro visitandis personis quibusdam; cum solutionibus multorum dubiorum.



INSIGNIA REVERENDISSIMI AVCTORIS.

PRAEFATIO.



QVONIAM in superiori parte actum est de Visitatione Cathedralis Ecclesiæ, & aliarum Ecclesiarum, piorumq. locorum Ciuitatis, in qua methodum, ac praxim tradidimus, qua Episcopus, siue Visitator vti debet tam in visitanda eademmet Cathedrali Ecclesia, quàm alijs Ecclesijs, & locis pijs, quæ in Ciuitate sunt: reliquum est modo, vt vna cum eodem Episcopo, siue Visitatore, extra Ciuitatis mœnia egrediētes, quo pacto Diœcesis sit visitanda, doceamus: illud tamen lectorem interim admonentes, eam esse huius Visitationis seriem, eum ordinem, vt omnia mutua quadam habitudine, sibi inuicem respondeant. Qua propter, quæ in priori parte dicta sunt de Visitatione Cathedralis Ecclesiæ, mirum in modum Diœcesanæ visitationi inseruiunt. Nam, quæcumque suæ Diœcesis loca Visitator inuiset, in ijs principalem Ecclesiam esse omnes norunt, quæ Cathedralis ibi Ecclesiæ locum retinet. Hanc ergo eo ordine, eaque ratione visitabit Episcopus, qua suam Cathedralem visitauit. Idemq. de Hospitalibus, Confraternitatibus, & reliquis locis pijs censendum est. Quæcumque autem de Diœcesis visitatione dicturi sumus, ex earūmet serie vnusquisque facile colligere poterit, ea quoque ad perficiendam Cathedralis Ecclesiæ visitationem conducere, ac vtilia, & quodammodo necessaria esse. Sed, ne tempus frustra teramus, iam ad rem ipsam accedamus: hinc exordium sumentes.

Visitator aduentum suum in vnamquamque Ciuitatem, oppidum, ac alium locum suæ Diœcesis, quò se confert, prius indicare debet: idq. qua ratione sit præstandum. Cap. I.



QVEMADMODVM Christus Dominus Saluator noster, cum templum Domini in Hierusalem visitare vellet, duos ex discipulis suis præmisit,[a] qui aduentum eius prænunciarent: ita Præsul, siue Visitator in omnem ciuitatem, oppidum, & locum, quò erit ipse venturus, nuncium cum literis Pastoralibus ac mandato, manu Chirographi sui, ac notarij, quem secum ad visitationem peragendam ducet, subscriptis mittat oportet; vt sex, aut octo diebus saltem, plus minus ve, de aduentu suo subditi visitandi certiores fiant; vt se ad visitationem recipiendam congrue iuxta status sui condicionem præparare possint, ac diligentius, quid vnicuique eorum ex officio præstandum sit, considerare, ac præmeditari, ne imparatos eos offendat Visitator. Et Clerus quidem in ijs, quæ ad eum pertinent, Sacrorum vero præfectus, siue Sacrista circa ornamenta, & alia, quæ in Ecclesia ad Dei cultum adhibentur; Procuratores vero, & Priores, siue fabricæ præfecti in ordinandis suis computis, tam quo ad censum, quàm quoad impensas, sedulam operam nauare possint. Tum vero, si qui in ijs locis aliquo excommunicationis vinculo fuerint irretiti, si quod testamentum, siue legatum pium re ipsa non fuerit executioni demandatum, si quæ restitutio facienda erit, si eorum filij sacro chrismatis charactere non fuerint insigniti, præsertim si Episcopus per se visitationem peraget, si qua tandem alia publici, ac enormis delicti specie fuerint detenti, omnibus prænunciandum aduentum suum Visitator consulit. Ita enim fiet, vt recta via errantes resipiscant, & ad Dominum conuertantur; & vnusquisque diligentius, vigilantiusque munus suum impleat. Huiusmodi

a Matth. c. 21.

autem Pastorales literæ, siue mandatum, quæ præmittenda monuimus, eo, quo sequitur, modo poterunt fieri, mutatis aliquibus, siue demptis, vel additis, prout loci, temporis, ac rei occasio, & opportunitas postulare videbitur, seruataque interim gradus sui dignitate, prout Archiepiscopus, Episcopus, siue eius Vicarius, vel Locum tenens erit is, qui visitabit: sed, si simpliciter per literas moniti fuerint, infrascriptæ monitiones in principio Visitationis in Ecclesia per notarium publicentur, ad hoc, vt omnibus innotescant; prout seruaui ego, cum Prouinciam Sabinen. visitaui ex delegatione Illustrissimi & Reuerendissimi D. mei Innici Auali Cardinalis de Aragona, tunc Episcopi Sabinen. prout infra eo c.4. continetur, ibi, N. Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus.

N. Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus, vel Episcopus huius, vel illius ciuitatis. vel N. Visitator Generalis, & Vicarius huius, vel illius Ciuitatis, & Episcopatus pro Illustri, & Reuerendissimo N. Episcopo eiusdem Ciuitatis &c. Vobis, omnibus, & singulis Reuerendo Capitulo, & Clero, nec non magnificis Gubernatoribus, Syndicis, Electis, & Procuratoribus, Prioribus, & hominibus, ac Vniuersitati Ecclesiarum, Monasteriorum, Hospitalium, Montis Pietatis, Confraternitatum, ac cæterorum piorum locorum in ista ciuitate, oppido, siue loco Deo dicatorum, salutem in Domino. Noueritis, quod nos die N. post meridiem Deo adiuuante istuc venire cogitamus ad visitandam Ecclesiam, siue Ecclesias, populum, ac viros ipsius ciuitatis, oppidi, siue loci. Qua propter hortamur vos, ac in virtute sanctæ obedientiæ, vobis committimus, & mandamus, vt vos ad sanctum Visitationis officium peragendum præparetis; (vt bonum Christi gregem, ac obsequentes, obedientesque filios decet) inobedientes vero, ac rebelles omnes, & singulos excommunicationis pœna multamus. Datum, &c.

Nuncius vero, ac Tabellarius, qui huiusmodi ordinis, & decreti literas, siue mandatum perferet, hospitium in ea ciuitate, oppido, siue locum præparandum curabit, vbi Visitator commode cum suis commorari possit, ac reliqua ad uictum necessaria, & opportuna præparabit: id quod æquum, ac rationi consonum esse supra demonstratum est. [a] qua in eum adhibebit modum, ut se semper ad laudabilem ipsius loci, ac populi consuetudinem accommodet.

Quomodo

Quomodo Prælatus, siuè Visitator, cùm ad uisitandum venerit, sit recipiendus prima vice. *Cap. II.*

QVEMADMODVM Redemptori nostro, cùm ad inuisendum Dominicum templum in Hierusalē proficisceretur, populus iubilans occurrit, ac eum, gaudens, & Osanna benedictus, qui venit in nomine Domini, cauendo[a], sollemnique pompa vestes, ac varios arborum ramos ad leuandum itineris laborem prosternendo excepit: ita aduenientе Visitatore Apostolico, vel Episcopo prima vice ad aliquam ciuitatem, vel oppidum, siuè locum, si fuerit Episcopus, debet eum Clerus omnis, ac populus, Cruce præcunte, & pulsu sonantibus campanis honorificè excipere, ac honoris gracia cantando extra Ecclesiam, quantum pro loci, ac personæ dignitate decere videbitur, obuiam ei prodire. Prẹlatus verò sub Baldachino incedens ad illius Ecclesię portā in loco ad id potissimùm prẹparato, ac congruè ornato, ante Crucem, siuè sanctorum reliquias genuflectat, quas etiam sibi porrectas deosculabitur: postea, ministrante ei aquam benedictam digniore illius Ecclesię Præfecto, astantes asperget, ac incenso per Episcopum benedicto, ac in Thuribulum infuso, ab eodem met illius Ecclesię digniore Prẹfecto Episcopus incensabitur, ac Sacrum Iesu Christi Euangelium sibi per eundem oblatum deosculabitur. Quibus omnibus sic peractis, duo ex dignioribus illius Ecclesię medium Visitatorem sumentes, atque hinc inde vnus à dextris, & alter à sinistris incedentes in Ecclesiam ducent, reliquis interim conuenienti ordine partim prẹcedentibus, partim verò subsequentibus. Cumque ad Altare maius ventum fuerit, dum Episcopus ante ipsum genuflexus, ac prosternatus orabit, interim Clerus sequens responsorium cantabit.

[a] Matth. c. 21

Sacerdos, & Pontifex, & virtutum opifex, Pastor bone in populo, sic placuisti Domino, intercede pro nobis; aut aliquod aliud simile, prout magis ei videbitur.

V. Protector noster, Aspice Deus.
R. Et respice in faciem Christi tui.

V. Domi-

℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo. Oremus.

DEus, humilium visitator, qui nos paterna visitatione, & dilectione consolaris, ostende Societati nostræ gratiam tuam; vt per eos, in quibus habitas, tuum in nobis sentiamus aduentum. Per Dominum nostrum.

Quibus actis, Visitator surgit, & pluuiali violaceo, & mitra simplici induitur, &, habito sermone ad populum, vel ab ipso, vel ab alio, vnà cum clero, & populo, fit processio per Ecclesiam, & cœmeterium, cum suffragijs ad absoluendas animas defunctorum, prout habetur in Pontificali sub eadem hac rubrica, & supra in prima parte dictum fuit [a].

art. prima 4.

Postea, si Visitator is erit, cui benedictio competat, stans sollemniter astantibus benedicet, ac indulgentias publicabit; ac postremò, comitantibus omnibus, eodem, quo ventum est, ordine domum redit, ac interim, quæ ad perficiendam visitationem necessaria sunt, disponit. Animaduertendum tamen est, hos omnes ritus, & cęrimonias, quas commemorauimus, tunc obseruari solum, cùm Visitator Episcopus fuerit. Quòd si eius Vicarius, vel alius quiuis locum tenens fuerit, prętermittantur cęrimonię prædictę, ac sollemnitates; satisque erit eum mediocri sollemnitate, ac pompa excipere; quæ maior, minorne adhiberi poterit, prout Visitantis qualitas, ac dignitas postulare videbitur. Sed nos interim ad rem nostram redeamus.

Vespere eiusdem diei Visitator ad Ecclesiam inuisendam, ac perlustrandam se conferet, illiusque dispositionem ædificij, defectus, si qui sint, ac reparatione, ac restauratione indigeat, inspiciet, ac diligenter omnia considerabit. An iuxta ritum Sanctæ Romanę Ecclesiæ huiusmodi Ecclesia sit consecrata, perquiret. An cœmeterium habeat, quod quadraginta passibus intendatur, iuxta sacrorum [b] Canonum constitutiones. An benè distinctum sit, & segregatum; nec à rebus profanis occupatum; prouidebitque, ne quouis modo immunditiæ prope cœmeterium inijciantur. Id enim prȩterquã quod requirit honor, ac reuerentia, qua loca omnia sacra prosequi tenemur, vel hac vna ratione tamen præsertim prȩstandum est, quia ibidem plerunque contingit processiones fieri, vel in honorem Sanctissimæ Eucharistię Sacramenti, vel pro suffragijs defunctorum iuxta landabiles, ac optimas vniuscuiusque Ecclesiæ consuetudines, ac ritus, &, vt vnico verbo vniuersa concludam, seruetur in hoc, quicquid per sacros Canones statutum est. Illud interim monentes, in Cappellis, & Ecclesijs, quæ nec Cathedrales,

7. q. 4. c. antiqui-


drales, nec parochiales sunt, tantum cœmeterij spatium non requiri. quamuis nullo pacto sit concedendum, domos laicorum quouis quęsito colore cœmeterijs adhærere: eademque prorsus est eis adhibenda reuerentia, quam paulo ante diximus. Curabit etiam Visitator, antequam domum reuertatur, vt per iuratos, vel Tubicines illius Ciuitatis, vel oppidi, in locis publicis indicetur, vt crastina die, lætitię, & sollemnitatis signa edant. nec abre esset in ijs locis, in quibus homines, passim extra ciuitates, siue oppida degunt, Visitationem die Dominico auspicari, ac incipere, aut aliquo die sollemni, quo diem Festum celebrare omnes Ecclesię præcepto tenerentur; statuendo, & ordinando, vt omnes, qui duodecimum ætatis annum excesserint, ad signum campanæ ad audienda Diuina Officia conuenire ad Ecclesiam tenerentur, sub pœna excommunicationis, vel quauis alia eius arbitrio imponenda, aut infligenda, quam restaurandæ illius Ecclesiæ, quam visitabit, applicare poterit; ac contumaces punire in omnibus illis, quę ad suum spectant officium, iuxta sacrorum Canonum [a] decreta, ac doctorum placita [b]: alioquin Visitatoris iurisdictio [c], ridicula prorsus, ac nullius esset auctoritatis. cui enim committitur principale, & accessorium quoque committi videtur: vt ex sacrorum Canonum [d] auctoritate colligere licet. Postremò Sacristę imperabit, vt, cum vesperi ad Salutationem Angelicam pulsatum fuerit, omnes campanas sollemniter pulsandas curet, prout in diebus festis, siue vigilijs magnarum Ecclesię sollennitatum, ac sollemnium Ecclesię festorū consueuit fieri; vt Christi fideles ad conueniendum, alacriori animo incitentur, & ad præstandum, quod publicè indictum fuerit, promptiores reddantur.

a c. Romana. de panis. in 6.


b Archid. Io. And. Ber. Innoc. & Hostien.

c 1 c. ex literis de offic. iu dic. deleg.

d c. de causis c. prudent. §. si vero de off. deleg.



Quando, cum aliquò Visitator iam peruenerit, Ecclesiæ visitationem debeat incipere: tum de Sanctißimi Eucharistiæ Sacramenti visitatione. Cap. III.



QVAMVIS tota, quę per Episcopum, vel eius Vicarium fit visitatio, tribus potissimùm partibus absoluatur, nempè Ecclesia, Clero, Populo visitandis: tamen ea est earum natura partium, vt nulla earũ tam distinctè fieri possit, quin simul omnes aliqua in re concurrant. quod etiã temporis breuitati plurimum oonducit, cùm pręsertim fit visitatio locorum Diœcesis, & pręcipue si sint oppida, ad minuendos sumptus, & nõ nunquam etiam, vt officij sui dignitatem retineat Visitator; vt infra docebimus, cum de methodo, ac forma, quibus illi in huiusmodi Visitatione vtendum erit, verba faciemus; pręter ea, quæ superius dicta sunt de Cathedralis Ecclesię visitatione. Proxima igitur sequenti die, sine vlla, nec minima quidem, temporis iactura, cùm campanę sono dato signo populus frequens ad Ecclesiam conuenerit, sicut in sollemnibus Ecclesię festis diebus fieri solet, Prelatus, siuè Visitator, cum duobus ad minus Coassumptis, ad Ecclesiam se conferet; ibique vel ipse rem sacram peraget, vel ab alio Sacerdote sollemni ritu factam audiet: qua finita, nisi forte ipse celebrasset, stola, ac pluuiali super rocchetum indutus cum mitra pretiosa, si sit Episcopus, sin minus, cum superpellicio, & stola, comitantibns Sacerdotibus, & Clericis omnibus, ac tot luminibus adhibitis, quot iuxta loci illius facultatem sufficere sibi videbuntur, ac sumpto Thuribulo, processionaliter ad visitandum eum locum pergit, vbi Sanctissimum Eucharistię Sacramentum conseruatur, ac custoditur; ibique genuflectentibus omnibus, Visitator, si fuerit Episcopus, mitra deposita, dicit:

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cælum, & terram.
℣. Sit nomen Domini benedictum.
R. Ex hoc nunc, & vsque in sæculum.

Postea

Postea Visitator incipit Psalmum:

Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cælis. Quem alternatim cum ministris, & astantibus ad finem vsque complet.

Deinde dicat: V. Emitte spiritum tuum,& creabuntur.

R. Et renouabis faciem terræ.

V. Memento Domine in beneplacito populi tui.

R. Visita nos in salutari tuo.

V. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Dominus vobiscum. R. Et cum spiritu tuo. Oremus.

DEus, qui corda fidelium, sancti Spiritus illustratione docuisti; da nobis in eodem Spiritu recta sapere,& de eius semper consolatione gaudere. Per Dominum nostrum Iesum Christum. Deinde:

COnscientias nostras, quæsumus, Domine, visitando purifica, vt veniens Dominus noster Iesus Christus paratam in nobis inueniat mansionem. Qui viuis, &c. Deinde dicat orationem illius Sancti, & Sanctæ, in cuius honorem Ecclesia illa Deo dicata fuerit: & in fine addat, Per Christum Dominum nostrum. R. Amen.

Quibus peractis, surgunt omnes, & Visitator ad visitandum Sanctissimum Sacramentum Eucharistię accedit, &, sumpta claui, locum, vbi custoditur, aperit, illudq; ea, qua decet, reuerentia inde educit: & vel ipse per se, vel cantores canunt: *Tantum* [a] *ergo Sacramentum Veneremur cernui*: & hymnum ad finem vsque canendo perducunt. Interimque Visitator, sumpto thuribulo, à Thuriferario sibi oblato, genibus flexis Sanctissimum Sacramentum incensat. Deinde, adhibita omni reuerentia in visitando Sanctissimum Sacramentum, hæc potissimùm considerabit: nempe, loci, in quo illud conseruatur, ac custoditur, dispositionem, ac aptitudinem; modum custodiendi perquiret; videbitque, an species, (quod absit) siuè accidentia sint corrupta; an particulæ sint rotundæ, vel alterius qualitatis; an paucæ, vel multę, iuxta loci, ac Parochiæ indigentiam, ac necessitatem infirmorum, prout anni tempus refert, conseruentur. Curabitque corporalia ipsa, super qubus Sanctissimum Sacramentum conseruatur, adhibita patena, euacuari, & diligenter considerari; vt videri possit, an ibi sint reliquię aliquę, vel fragmenta: exquiret etiam, visis tamen prius palla, & corporali, an ab omni immunditie illęsa, & recentia, ac munda conseruentur, & an ipsa, omnia q; alia ad Diuinũ cultum necessaria per Sacerdotem super sacrarium lauentur ac mundentur. Illud etiam interrogabit, an Sanctiss. Sacramentũ quindecim dierũ spatio, & hieme singulis quibusque duabus, vel tribus hebdomadis, plùs, minusve, innouetur; & tũc, an particulę sint recẽtes, eodẽ met die, an pauloante confectę. Tandẽ, vt breuiter omnia cõcludam,

[a] Sic supra p. p. 1. a 5. vide as ibi.

cludã, in visitãdo Sanct. Sacr, sacris oleis, fonte baptismali, sanctorũ reliquijs, ac reliquis, quæ ibi erunt, vtetur Visitator eadem prorsus methodo, ac praxi, [a] quam supra tradidimus, cum de Cathedralis Ecclesiæ visitatione ageremus, interrogatoria ibi posita, vel omnia, vel ex parte adhibendo, prout magis ei expedire videbitur.

[a] ...rt. prima & seq.


Tandemque Visitator, ad augendam Christi fidelium pietatem, ac religionem sollemniter ibi, si ita videbitur, benedicet, canentibus interim cantoribus partem illius hymni, *Genitori genitoque, &c.*

Cumque ad illud verbum peruentum fuerit, *Sit & benedictio*, tunc Sacramentum manibus tenens benedicet populo. Hisque ita peractis, Sanctissimum Sacramentum reponet: deinde dicet:

V. Saluos fac seruos tuos.
R. Deus meus sperantes inte.
V. Mitte eis Domine auxilium de sancto.
R. Et De Syon tuere eos.
V. Domine exaudi orationem meam,
R. Et clamor meus ad te veniat.
V. Dominus vobiscum.
R. Et cum Spiritu tuo. Oremus.

Prætende, Domine, misericordiam tuam famulis, & famulabus tuis, dexteramque cælestis auxilij, vt te toto corde perquirant, & quæ digne postulant, consequantur. Per Christum Dominum nostrum. R. Amen.

Qua methodo intendum sit in peragenda generali personarum visitatione in Diœcesi. *Cap. IV.*



VISITATIS ea ratione, ac praxi, quam supra tradidimus, Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, Sanctorum reliquijs, fonte baptismali, sacrisque oleis, ac reliquis in Ecclesia, sacrario, cappelisque vt dictum est, [b] cum de visitatione Cathedralis Ecclesiæ tractaretur; Visitator ipse, siue sit Prælatus, siue eius Vicarius, secedens in locum remotum eiusdem Ecclesiæ, si tamen oppidum erit paruum, & incolæ,

[b] ...r. part. ...a c.4. & ...ea.

colæ, tam clerici, quam laici pauci erunt; si autem locus sit magnus, & amplus, & incolarum numerus frequens, domi hæc peraget, vbi concionem conuocandam curabit, ibique diligentius considerata temporum qualitate, ac moribus, ingenijsque illius populi, perquiret, quibus potissimum vitijs ciues, & incolæ loci illius passim detineantur, eosque, conuocata concione, breuiter hortabitur, ac monebit, vt munus suum implere, quantum in ipsis est, satagant; quod facere tenentur, re ipsa præstent; quæ fugienda sunt, caueant, ac vitent; prout Sacrorum [a] Canonum decreto sancitum est: eosque reprehendet, & exhortabitur plus minus ve, pro vt Dominus Deus os, & sapientiam illi ad id agendum præbebit. Et, quoniam Prælatus visitās, siue eius Vicarius debet præcipue reformandæ, ac innouandæ hominum vitæ vacare; cum certum sit, omnium animas, iuxta eorum opera, quæ in corpore egerunt, vel æterna vita donandas esse, vel supplicijs æternis addicendas [b], propterea Visitator, vt facilius scire possit, ac cognoscere publica crimina, quæ in eo loco vigent, quem inuisit, ac cætera, quæ ad perficiendum sanctæ Visitationis opus necessaria sunt, exequi, litteras per generale edictum decernet, quas etiam publice per Notarium, cuius opera in Visitatione vtitur, legendas curabit, ac populo insinuandas. Harum autem litterarum, siue edicti series ad subsequentis exemplar, ac normam confici poterit: mutatis tamen interim nonnullis, & adiectis, demptis ve, prout ciuitatis illius, oppidi, siue loci necessitas, qualitasue postulare videbitur.

a c. Romana de cens. in 6. §. fene.

b Io. cap. 5. & Matth. c. 25.

Monitiones generales sunt præmittendæ, prout supra docuimus in prima parte, cap. vij. fol. 15.

Visitatio prædicorum, fabricæ, accensus Ecclesiæ. Cap. V.



ILLVD etiam Visitatorem perquirere æquum est: An scilicet fabricę, & ędificijs Ecclesię aliquis cēsus sit proprius, & cui potissimū incumbat onus reparationis, conseruationis, & constructionis eiusdē Ecclesiæ, curabit se certiorē fieri. Quòd si cōpererit aliqua prædia fabricę applicata, perquiret, an à quoquā occupentur, & an diligenter ea colant, omnibusque, prout opportunum videbitur, prouidebit, ac de omnibus

indicem libellum, siue inuentarium faciendum mandabit, in quo distincte, ac congruo ordine, prædia, vineas, domos, vna cum suis limitibus, ac terminis, mensurisque, ac reliquis, nec non & census rationem, ac omnia alia bona, tam stabilia, quam mobilia, quouis modo ad dictam Ecclesiam, fabricam ve pertinentia, redigi curabit: sin autem nulla sint prædia certa, nullus certus census, sed fabricæ expensas Episcopus, Canonici, & beneficiati subministrare teneantur, illius vtilitati consulet, prout tunc magis ei expedire videbitur. Et, quoniam longa dies multa solet afferre incommoda, tempore omnia consumente, poterit Visitator aliquam census partem congruam, & honestam pro Ecclesiæ reparatione assignare, habita ratione qualitatis, ac quantitatis illius census, & illius Ecclesiæ dispositionis. sępius enim compertum est, Ecclesias, hac vna ratione, quia scilicet proprium cēsum non habēt, nunquam reparari, ac resarciri, donec ita corruant, ac desolentur, vt ad eas resarciendas multorum annorum census postea non sufficiat.

Quomodo Ministri administrati census Ecclesiæ rationem reddentes sint audiendi.
Cap. VI.



OSTQVAM Visitator, omnium, quæ ab Ecclesijs possidentur, indicem libellum, siue inuentarium faciendum curauerit, ornamentaque, ac scripturas, ad Ecclesiarum iura pertinētes, inuiserit, à ministris perquiret, vt administrati census Ecclesię, ac fructuum perceptorum rationem reddant, iuxta laudabilem illius loci consuetudinem. & Sacrosancti Tridētini [a] Concilij decretum, per quod omnia, quæ incidere possent, impedimenta tolluntur. Pro cuius rei executione, œconomum, vel Priorem, siue Thesaurariū illius Ecclesiæ, pręsentibus ibidem Pręsbyteris prædictæ Ecclesię, & aliquibus laicis ex senioribus, & prudentioribus, ac cæteris omnibus, qui interesse volent, in locum publicum, & patentem venire curabit; &, delato iuramento illi primum, cui rationis reddendæ onus incumbit, (quod sine fuco, & fallacia præstabit) deinde nonnullis ex astantibus

[a] de ref. 2.

tibus ad id potissimum conuocatis, quòd vera dicent in his omnibus, quæ illi Ecclesiæ vtilia esse cognoscent, nec vllo pacto fraudi vlli consentient, Notarius, computa, & rationes in libro Visitationis, eo, qui sequitur, modo adnotabit.

Primo ponet rubricam hoc modo: Computa, & rationes per N. œconomum, siue Priorem, vel Thesaurarium Ecclesiæ N. reddita hoc anno tali præsenti N. episcopo, vel Visitatori, Visitationis munus continuanti, & præsentibus ibidem N.N. vocatis, & deputatis, vt interessent, ac assisterent præuio iuramento. Deinde sequetur: Episcopus, siue Visitator ab eodem N. œconomo, siue Priore, vel Thesaurario intellexit, ac cerior factus est, fundum oliuarum hoc anno dedisse centum &c. valoris tot ducatorum; vt puta, non gentorum aureorum.

Item, ex eleemosynis tot, verbi gratia trecentos aureos habitos fuisse, & sic in singulis, ex quibus fructus aliquis percipitur, procedendo, visis, ac percursis omnibus, in fine epilogabit: Totus supra dictus huius Ecclesiæ census, ascendit ad summam valoris scutorum tot: vt, exempli gratia, mille nongentorum &c. Subiunget postea immediate totius exitus rationem, omnes expensas factas computando, illas expensas admittendo, quæ admitti de iure debent; & inutiles, ac factas absque ordine Superioris, & quę non deberent fieri, non admittet. Quibus demptis, summam faciet totius iusti exitus. In calce quorum subiunget: Qua propter, viso omni censu Ecclesiæ, visis, ac consideratis expensis, siue exitu, repertum est, Dominum N. esse debitorem in summa, & quantitate scutorum tot. quam quidem summam committimus, & mandamus, vt tot dierum spatio eidem Ecclesiæ, vel ei, qui illius nomine recipiet, persoluere, ac reipsa dare sine vlla retentione teneatur, sub pœna &c. Sin autem reperiet exitum, siue expensas, census rationem excedere, œconomo, siue Priori, vel Thesaurario futuro imperabit, vt ex redditibus illius Ecclesiæ soluat illi, quicquid amplius in sua administratione pro Ecclesiæ vtilitate, atque honore de suo erogauerit.


Qua Visitatione sic peracta, nouem œconomum, siue Priorem, vel Thesaurarium, iuxta laudabilem illius loci consuetudinem, instituet, re prius cum illis, ad quos id spectat, maturius collata, & habitis illorum votis: idque, si huiusmodi Visitatio in tempora, quibus mutari solent ministri, incideret, eosque ad prestandum iuramentum, quòd fideliter officio suo fungentur, impellet, ac ad satisdandum, nisi pro se ad cautionem idonei sint, coget. Sin autem Thesaurarius, Prior ve, siue œconomus, qui tunc temporis rationem reddet, nondum administra-

ministrationis suę statum tempus percurrerit, sed medium plus, minúsue residuum sit, tunc Visitator ei imperabit, vt tam illius anni, quàm præteritorum annorum, & residui rationes, & computa successori suo tradat.

Cumque hoc modo cẽsus totius rationem confecerit, ac œconomo, vel Priori, siue Thesaurario tradiderit, vel is sit, quem tunc ipse instituit, ac creauit; vel is, quem in huiusmodi administratione, siue officio repererit, ac confirmauerit, tunc expresse Visitator ei imperabit, ne sine Prælati sui licentia censum, ac prædia illius Ecclesię alicui de nouo locet; nec quouis alio modo, siuè ad certum tempus, siuè perpetuo, alienet; ac alia exequetur, quę sub titulo de rebus Ecclesiæ non alienandis continentur: cui etiam Sacrosancta Tridentina [a] Synodus adstipulatur, ac alibi Summorum Pontificum decreta consentiunt. Locationes autem, quæ inposterum fient, sub hasta, & ad lumen candelæ fieri curabit. Quòd si vineę, vel fundi oliuarum erunt locandi, condiciones in locationibus apponet, quæ in illis colendis seruandæ erunt ab ijs, quibus locantur. Sin vero prædia erunt; ne locatio secundum, vel tertium annum ad summum excedat, [c] cauendum erit. In primis autẽ obligentur, & teneantur ij, quibus Ecclesiæ bona locabuntur, limites ac terminos custodire; &, si a quopiam immutentur, rumpantur ve, aut si quę arbores, prædij ve pars occupetur, ad dictam Ecclesiam, siue illius ministros statim de ferre teneantur.

5. ca. ... auag. ... ssi pa- ... eod. ... extr. ... e reb. ... aliẽ.

Pręterea, si quando Visitator reperit à ministris redditam esse rationem Archipresbytero, vel alicui alteri Visitatori, consuetudinis, aut priuilegij alicuius virtute, rationes illas omnes, & computa publice coram Clero, ac populo diligenter considerabit, ac percurret. si bene redditas rationes, si nullam fraudem commissam reperiet, ea auctoritate sua comprobabit, & debita pœna illius negligent jam multabit, qui huiusmodi rationes, & computa admiserit, ac probauerit.



Visita-

Visitatio beneficiorum, ac prædiorum Ecclesiæ. Cap. VII.



EXPEDITA rerum omnium, quas supra commemorauimus, visitatione, si generaliter, quod sequitur, præstare volet, ac se quam primum expedire, prout loci, rei, ac temporis opportunitas postulabit, omissis rebus particularibus, quas supra iam diximus, perquiret, quot beneficia, & dignitates, quot Canonicatus, & præbendæ in illa Ecclesia sint, qui numerus eorum, (si qui sunt,) qui mensæ communis participes sunt; titulos, ac institutiones diligenter perscrutando, ac discutiendo. qui dignitates huiusmodi, & beneficia in titulum, & possessionem tenent, an resideant. Quòd si quos forte ob aliquam causam ibi non residentes repererit, [a] videat, an beneficium illius huiusmodi sit, vt per Vicarium, seu substitutum regi possit, ac gubernari. huiusmodi etiã Vicarium ibi residentem, aptum, idoneum, ac sufficientem ad illud onus subeundum esse oportet. Quòd Visitator considerabit, videbitque & an ibi habita à Prælato suo licentia maneat, iuxta Sacrorum [b] Canonum præcepta. Quòd si Ecclesia ex ijs erit, quibus animarum cura commissa est, curabit, vt Tridentini Concilij decretum [c] inuiolabiliter seruetur. cuius etiã dispositionem, ac leges, in omnibus sibi præ oculis ponet, ac seruandas omnino proponet, ac imperabit, siue Cathedralis Ecclesia, [d] collegiata ve fuerit, siue parochialis, [e] omnibus enim Tridentina Synodus opportuna remedia adhibuit. Si quos autem errores, defectus ve reperiet, illos emendabit, ac corriget, iuxta iuris communis, ac Synodalium illius Episcopatus Constitutionum methodum, ac Sacri Concilij Tridentini [f] decreta, quæ omnino inuiolabiliter sibi, ac omnibus nouerit seruanda.

Interrogabit etiã, an huiusmodi beneficia possidentes rem sacram faciant, ac Diuinis officijs vacent ac obligationibus, impositionibusq; beneficijs illis annexis, iuxta illorũ institutiones, satisfaciãt, Archipresbytero, vel Præposito, Priori ve, siue alteri, cui defectus notãdi cura cõmissa fuerit, iuramentũ deferendo, quod fideliter omniũ defectus notauerit. Si quos autem defecisse, ac iniuncto sibi muneri non satisfecisse depre-

a Tot. tit. de cleric. non resid. & cõcord. trid. sess. 23: c. 1. de refor.

b cap. relatũ cum reliquis de cle. non residen.

c c. 2. de ref. sess. 23. ptæal le.

d c 4. de ref. sess. 22. & c. 12. & 15. sess. 24.

e c. 4. 5. 6. de refor. sess. 21.

à c. 47. de ref. sess. 24. & alibi.

f Vt supra.

deprehenderit; si huiusmodi defectus circa Missarum celebrationem contingeret euenisse, eas intra certum tempus celebrari ab ijs, qui defuere, imposita arbitraria pœna, imperabit. Reliquos verò defectus corriget ad normam Synodalium illius Episcopatus constitutionum, beneficiorum etiam fructus (si ita necessarium videbitur) sequestrando, habita ratione illius summæ, quam pro huiusmodi defectu persoluere tenentur.

Quòd si fortè Priorem, aliumve, cui defectus huiusmodi notandi cura demandata est, negligentiorem fuisse deprehenderit, præteritam quidem negligentiam debita pœna mulctabit. In posterum verò, ne huiusmodi errores committantur, librum faciendum, ac apud eundem custodiendum mandabit, in quo huiusmodi defectus diligentissime adnotentur.

Pari ratione, vineas, territoria, oliuarum fundos, ac reliqua prædia ad prædicta beneficia spectantia inuiset, illorum indices libellos, siue inuentaria inspiciendo, si facta offenderit; sin minus, facienda curabit, iuxta ea, quæ in superioribus à nobis dicta fuerunt.


Circa prædia ad fabricam Ecclesiæ spectantia inquiret, an congruè reparata, ac resarcita fuerit, an statutis temporibus ea colant, an ab aliquo aliqua in parte, vel omnino occupentur, omnesque tàm beneficia obtinentes, quàm eorundem procuratorum, ac institorum defectus emendando, ac corrigendo. Quod ad fructus attinet, si à quopiam malè, ac indebitè preceptos, ac occupatos intellexerit, vindicandos intra certum tempus, & recuperandos curabit, mandabitque, iuxta Sacrorum Canonum decreta, ac Synodales constitutiones. quo termino elapso, ni paruerint, fructus beneficiorum eorum, qui contumaces fuerint, ac parere recusauerint, sequestrari imperabit, mandabitque, vt, quæ per Visitatorem constituuntur, nouerint omnes executioni esse demandanda [a], appellatione non obstante.

[a] ...onc. Trid. ... 13. c. 1. de ... sess. 22. c. ... e ref. sess. ... c. 10. de



Visitatio

Visitatio Cappellarum, quibus census in Ecclesia est constitutus, in alia breuiori forma. Cap. VIII.



VONIAM Episcopus secundum iuris communis dispositionem, patronus, & tutor est animarum defunctorum; propterea æquum erit, vt Ecclesiarum in sua Diœcesi existentium cappellas visitet. quod si celerius, & compendiosè perficere volet, poterit id hoc modo præstare; nisi maluerit fortè eam methodum, ac praxim sequi, quam superius tradidimus [b], cum de Cathedralis Ecclesiæ visitatione tractaremus. Cum igitur huiusce-modi visitationis initium faciet, in primis perquirat oportet, quot in Ecclesia, cuius visitationi insistit, sint cappellæ: tum, quę, quantaque sit cuiusque dos, & à quibus data, & relicta fuerit, quoties in illis rem sacram facere teneantur. An statutis diebus hebdomadæ, & quibus. An in alicuius Sancti honorem. An vero pro defunctis huiusmodi sacra sint peragenda. Qui nam illas in titulum possideant. An huiusmodi rectores cappellarum, & qui illas in titulum obtinent, per se, an verò per substitutos, idque de Prælati sui licentia, illis inseruiant. Tum vero, singularum fundationes, siue constitutiones diligenter considerabit, examinabitque, & an onera, & condiciones annexas seruent, iuxta Sacrorum Canonum decreta [c], ac Doctorum [d], pręsertim verò Gabrielis [e] super Canonem Missæ. Priorem verò, siuè alium, cui onus incumbit eos notandi, qui huiusmodi Missas celebrare tenentur, iurare compellet, an fideliter hos, aliosque defectus adnotauerint. Quod si fortè eos, qui statutis diebus rem Sacram facere tenebantur, id per negligentiam, ac secordiam prætermisisse comperiet, tunc huiusmodi Missas, negligenter prætermissas, intra certum tempus omnes denuò celebrari, ac integrè illius Ecclesiæ seruitio satisfieri mandabit; defectusque, ac negligentiam salutari aliqua inflicta pœna corriget, ac emendabit, seruatis constitutionibus Synodali-

a c.3.& c.tua nobis,& c.Ioānes de rest.

b part.prima c.4. cum sequens.

Potest etiam Visitator seruare formam vt supra tradi tam in visitatione cappellarum, parte prima.


c c.vltima vc luntas xiij.q. ij.

d in c.tua nodetestam.

d lectio. 28.

bus locorum; contumacesque, ac rebelles, vt munus suum impleie cogantur, etiam fructuum sequestratione compescet. De cetero autem; ne huiusmodi errores committantur, librum conficiendum curabit, in quo omnium defectus in Missis celebrandis diligenter adnotentur; eique, cui huiusmodi officium adnotandi, curave demandata fuerit, certam aliquam mercedem assignabit, nisi prius assignatum fuisse comperiet. Quòd verò ad dictarum Cappellarum institutiones, siuè fundationes, & dotium assignationem, exquiret Visitator, quo iure potissimum illarum census consistat, ac totius census, siue introitus indicem libellum conficiendum curabit, prædia illis in censum assignata visitando: pro quorum quidem reparatione, si indigere videbuntur, expensas ex eorundem fructibus subministrari curabit. Singulis verò Cappellanis iniunget, vt exemplar, siue transumptum authenticum fundationis, redditaum, ac omnium rerum mobilium, ad cappellas suas spectantium, apud se habere teneantur. Alterum verò verbo tenus descriptum per Priorem illius Ecclesię in publicum Archiuium scripturarum ad Ecclesiam illam spectantium custodiendum tradet. Atque eodem ordine, eademq; methodo, in visitandis Ecclesiarum anniuersarijs vti poterit.

Visitatio generalis, & particularis, siue personalis Clericorum. Cap. IX.


OSTQVAM autem Visitator Ecclesiam, fabricam, beneficia, cappellas, anniuersaria, ac prædia singulis annexa, eo ordine, ac methodo, visitauerit, quibus supra docuimus; Cleri visitationem aggredietur: quem si vniuersaliter visitare volet, (vel quòd particulari, siue personali visitatione non indigeat, vel quia alias personaliter, ac particulariter visitatus fuisset, (vt supra docuimus) tunc omnes conuocabit, ac simul ad se conuenire imperabit, vel in aliquam Ecclesię cappellam remotiorem, vel, si magis libuerit, in domum, in qua residebit; ibique delecto loco remotiori ad id apto, & commodo, pręsentibus ibidem nonnullis laicis Deum timentibus, breuem ad eos sermonẽ habebit,

[In prima ...c.74. cũ ...ũé in qui... descripta ...t particu... ...a interro... ...ria.]

habebit, Latina, siue materna lingua confectum, prout magis expedire videbitur; seque ad illorum, quos visitabit, captum Presbyterorum accommodabit, in quo eos ad sui ipsius munditiam hortabitur: ac pro huiusmodi rationis themate illud Neemiæ sumere poterit: Mundati sunt [a] Sacerdotes, mundauerunt populum; vel illud Prophetæ [b], Ambulans in via immaculata hic mihi ministrabit; siue, si magis libuerit, illud eiusdem Prophetæ assumet, [c] Sacerdotes tui induantur iustitiam, & Sancti tui exultent. Poterit etiam pro sui sermonis argumento illud Isaiæ sibi proponere, [d] Mundamini, qui fertis vasa Domini; siue illud ex Leuitico, [e] Sancti estote, quoniam ego sanctus sum. vel, si magis libuerit eos hortari, vt sedulò munus suum impleant, ac suo officio diligenter fungantur, poterit vnum ex sequentibus Scripturæ Sacræ locis pro sui sermonis argumento, ac themate sumere [f]: Vos Sacerdotes vocamini ministri Domini Dei nostri; vel, Vos [g] enim elegit Dominus, vt stetis coram eo, vt ministretis; siuè illud, Erudimini [h], qui iudicatis terram. Denique poterit Visitator eos erudire, ac docere causas, cur tot labores in visitando suscipiat, & cur ad eos inuisendos se contulerit. In quo pro themate erit illius Genesеos, Pro [i] salute. n. vestra me misit Dominus ante vos; vel aliquid aliud simile, prout magis ei expedire videbitur, habita ratione loci, temporis, & eorum, ad quos huiusmodi oratio est habenda; ad quorum captum omnino se accommodare debebit Visitator; vt infantibus quidem lac, adultis verò, ac robustioribus solidum cibum ministret.

[a] c.12.
[b] Psal.100.
[c] Psal.131.
[d] c.52.
[e] c.19.
[f] 2. Paralip. c.7. & 61.
[g] 2. Paralip. c.29.
[h] Psal.2.
[i] c.45.

Qua quidem oratione, siue exhortatione habita, si particularis, siue personalis visitatio, ei necessaria videbitur, nisi velit eam eo ordine, ac methodo habere, quibus supra docuimus [k], poterit eam hoc modo perficere. Residens Visitator in eodem met conclaui, vbi orationem habuit, omnes inde exire imperabit; ac singulis postmodum vocatis, à seniori, siue ab eo, qui in maioris dignitate constitutus est, incipiendo, ipsemet per se, vel per alium virum bonum doctum ad id potissimum ab eo electum, præsente ibidem Notario, ac nonnullis alijs, siue Notario solo, prout magis ei opportunum videbitur, eum hoc pacto interrogabit: An sit beneficiatus, vel Cappellanus, siue Vicarius, vel locum tenens alicuius. Si beneficiatus fuerit, de titulo eum interrogabit, nisi fortè alias in alia visitatione viderit. Si verò Cappellanus, siue alterius locum tenens fuerit, perquiret, an sit oriundus ex ea Diœcesi, an extraneus. Si sit extraneus, litteras dimissoriales Prælati sui exhibeat, prout Sacri [l] Canones, & Tridentina Synodus [m] disponunt: exquiret etiam, an ab Episcopo illius Diœcesis, in qua cappellis, siuè beneficijs pro rectoribus inseruit, licentiam obtineat; & alia eius generis; prout

[k] in pri. par. c.74. cum sequen.
[l] dist. 22. & 23.
[m] c.16. de ref. sess.23.

magis opportunum ei videbitur. Deinde, nulla interposita mora, eo, qui sequitur, modo, eum interrogabit: An congruè saltem legere, & scribere sciat. An Diuinum Officium construere, ac ordinare sciat. An in musicis ita saltem sit versatus, vt, quæ in Breuiario, ac Missali canenda notantur, congruè canere sciat. An regulas pro inueniendis, ac populo nunciandis Festis mobilibus teneat. An Confessionem generalem Italica lingua, siue materna expressam pro communicandis idiotis, & rudibus sciat. Quin etiam expediret singulos coràm Visitatore rem sacram facere, vt videret, an cærimonias necessarias quisque sciret. Quod si minus id Visitator per se prçstare poterit, hoc munus Prçfecto cçrimoniarum, siue alteri ex peritioribus mandabit. Qua in re primo considerandum erit, an ea pietate, ac religione, q ua decet, vnusquisque rem sacram peragat. Deinde, an, postquam sacrum Canonem incepit, aliquid interponat, & aliqua verba, quçin eo non contineantur, addat; an Christianam pietatem, ac religionem redoleant illa verba, iuxta doctorum placita, ac prçcipuè Gabrielis super Canone: ne Canon interrumpatur, quod ab initio, vsque ad finem, cùm Sacerdos, ad populum conuersus, Ite missa est, pronunciat, ita connexum est, vt abrumpi non possit. Videat etiam Visitator, ne Sacerdos, cùm hostiam manibus capit, pronunciaturus illa sacri Canonis verba, Qui pridie quàm pateretur, eam ita eleuet, vt ab astantibus videatur, an ante consecrationem adoretur, & præcipuè ab ijs, qui propius, & quemadmodum Sacerdoti adhærentes, rem sacram audiunt: quod non multum laudabile est; sed eam ita manibus extensam teneat, vt a quopiam ante peractam consecrationem conspici nequeat; vt idemmet Gabriel adnotauit [a]. Nec vllo modo prætermittat Visitator Plebanos, siue Parochos pro ministrandis Ecclesiæ Sacramentis pecunias, escas, gallinas, vel quod vis aliud huiusmodi accipere. Nam, præterquam quòd in iure [b] hoc prohibitum est, corruptelam etiam, & abusum esse, ac omnino tollendum omnes norunt. Atque hac in re curabit Visitator, vt Tridentini [c] Concilij decretum de euitandis, & obseruandis in celebratione Missæ inuiolabiliter obseruetur.

[a] super can. lect. 57.

[b] c. placuit. 1. q. 1.

[c] Sess. 22. decr. 2.

Diligenti etiã examine de doctrina Christiana, cuius magistri debent esse Clerici, eum interrogabit, an sciat Articulos fidei, & Dei, ac Ecclesiç prçcepta, quç, & quot numero sint. An capitalia, siue mortalia peccata nouerit, quç, & quot numero sint: quç differentia inter mortale, ac veniale peccatũ: quç eorundem circunstantiç necessario in confessione sint exprimẽdç. An Misericordiç opera, tàm corporalia, quàm spiritualia teneat. An sensuũ corporis numerum, ac nomina, virtutes Theologicas, ac Cardinales, quç, & quot numero sint, sciat.

Insu-

Insuper, si Parochus prępsertim, & Confessor erit is, quem visitabit, interrogabit, an Canones pænitētiales sciat, sine quibus Sacerdos [a] appellari nemo meretur. sunt etiam regulæ generales sanctorum Patrū, ad iniungendas pænitentias necessarias. Et, quamuis nostris temporibus rigor ille mitior factus sit, & pænitentiæ arbitrariæ sint, [b] vt D. Thomas adnotauit; Diuino tamen instituto, in iniungendis pęnitentijs, debet Sacerdos regi, ac gubernari, &, cum in clauium potestate, ac opera, instrumentum & minister Dei sit, non debet sine Diuino ordine proprio tantum arbitrio moueri.

a c. quæ ipsis 33. 6.

b c. Deus qui Ecclesiam de pæn. & rem.

Perquiret insuper, an Ecclesiæ Sacramenta nouerit, quæ, & quot numero sint: quot ex ipsis iterari possint; quot vero sine sacrilegio nō iterātur; quæ ex ipsis necessaria sint, & quæ non necessaria. Quis singulorū etiam sit minister Sacramentorum; quæ vniuscuiusque materia; quæ forma; quæ ad illorum integritatem, ac perfectionem requirantur; quæ ministri debet esse intentio, cum ea ministrat: quomodo vtendum sit in vnctionibus, catechesibus, & exorcismis faciendis, ac quibus in locis; quo ordine vtatur in ministrando sacro Baptismi Sacramento; qua methodo in audiendis pænitentium confessionibus vtatur, idest an sciat ipse met pænitentem ad pedes ipsius genuflexū, ac prostratum, postquam signo Sanctæ Crucis se munierit, ac Orationem Dominicam, & Symbolum Apostolorum pronunciauerit, primo interrogandum esse, an eam diligentiam, ac tantum temporis spatium pro meditandis peccatis suis adhibuerit, vt ea iuxta status, ac condicionis suæ rationem ad memoriam reuocare potuerit. Deinde, perquirendum erit, an sit subditus, vt eum audire, & absoluere possit. Tertio, examinandus erit, an sit excommunicatus; an anno proxime præterito fuerit confessus, an iniunctam sibi pænitentiam re ipsa impleuerit, & an postremo communicauerit, vt tenebatur. Debet insuper Visitator confessorem examinare circa modum, quo vtitur, vt pænitentem ad contritionem, & ad veram peccatorum suorum confessionem inducat. id quod facili negotio confessor præstabit, si pænitenti sexdecim confessionis condiciones ad moralem sensum redactas insinuabit, ac de tribus eius partibus verba fecerit, & insigne aliquod beneficium, quò a Deo donatus fuerit, ad memoriam ei reuocauerit. Illud etiam a Sacerdote Confessore perquiret Visitator, quo ordine, qua ve methodo vtatur in interrogandis pænitentibus. Quòd si forte in aliquo Sacerdote minorem scientiam deprehenderit, quàm ad huiusmodi munus obeundum requiratur; videbit Visitator, an saltē ita sit eruditus, vt, cū in res difficiles inciderit, de singulis dubitare sciat, ac nouerit. Postremo, interrogabit confessor em Visitator, de modo, quo in absoluendo ab excommunicatione, & apeccatis vtatur.

vtatur. Insuper, an sciat quatuor anni tempora, an Ecclesiæ præcepto obseruanda, quo tempore sint ieiunia obseruanda ex præcepto; qui sint dies festi ex Ecclesiæ præcepto obseruandi. Denique, an nouerit, quibus potissimum temporibus nuptiæ sint prohibitæ, ac alia, quæ iuxta officij gradus, & ordinis sui conditionem scire quisque tenetur, ac plenius intelligere. Quòd si forte Presbyter, ac Clericus, quem visitat, non ea scire à Visitatore deprehendetur, quæ iuxta ordinis, ac gradus sui, quem exercet, statum nosse tenetur, Visitator ad ea perdiscenda præfixo congruo temporis spatio compellat, oportet, inflicta interim illi aliqua pœna, si negligens fuerit in ijs perdiscendis, ad quæ tenetur. Et, quò facilius omnia confici possint, imponet ei Visitator, vt nonnullos libros, tam Latinos; quam materna lingua conscriptos, apud se habere, ac tenere debeat: vt Tractatum Sacramentorum, Rationale Diuinorum Officiorum, Defecerunt, Summam Hostiensem, siue Angelicam, Sacrum Concilium Tridentinum, Constitutiones Synodales, ac Prouinciales, vel alios similes, prout magis expedire videbitur. Scrutabitur etiam Visitator, an is presbyter, quem examinabit, in habitu clericali incedat: vt sacri [a] Canones, & decreta [b] statuerunt. An tonsuram apertam gestet, & capillos ita accommodet, vt aures appareant: vt tenetur.

[a] De Vit. & ...n. cler. [b] ...Dist. 41. ...nō liceat.

Quo examine hoc ordine perfecto, interrogabit, an aliquis sciat, quod ad vitia, & publica crimina, tam clericorum, quam sæcularium pertineat, vel aliquod aliud, quod in litteris in principio Visitationis lectis, ac publicatis contineatur, idque absque alicuius iuramenti obligatione, iuxta Sacrorum constitutionem. Quòd si quis eorum aliquod denūciaret, nō inimicitiæ vindictę ve causa, seu aliquo odio permotus, sed zelo religionis, tum Visitator eius delationem vna cum alijs in libro scribi mandabit: vt infra.



Visitatio

Visitatio particularis sæcularium personarum. *Cap. X.*



ONFECTA Visitatione personarum Ecclesiasticarum, ordine, quo supra diximus, poterit Visitator sæcularium visitationem subnectere, iuxta formam Canonum. [a] Statuta igitur die Visitator nonnullos ex senioribus, ac fide dignioribus, eius populi, siue parochię ad se in Ecclesia siue domi conuenire curabit, ac in conclaui seorsum ductos, nullo adhibito iuramento, sed eorum conscientia fisus, singulos interrogabit de clericis, ac presbyteris: primo, quam diligentes, ac seduli sint in ministrandis Sacramentis, ac celebrandis Diuinis Officijs: item, an vitæ honestæ, & exéplares sint, ac in vestitu profusiores, ac sumptuosiores. Perquirat etiam, quid de viris, ac feminis illius populi, siue parochię sentiant: an aliquid nouerint, quod emendatione dignum esse censeant. Pręsertim vero interrogabit, an aliquis hæreticus siue de hæresi suspectus, sacrilegus, excommunicatus ve ibi reperiatur. An publici aliqui concubinarij sint; an male de vxoribus suis in dedecus, & contemptum Sacramenti Matrim. merentur. An seorsum ab illis viuant. Et omnia ad Sacri Concilij Tridentini [b] normam emendet, ac corrigat.

Perquiret etiam, an publici inter eos sint feneratores, siue usurarij: & sic de singulis, quæ in litteris superius positis continentur, [c] & quicquid emendatione dignum reperiet, in libro denunciationum per Notarium suum notandum curabit: vt postea suis loco, & tempore singulis opportuna remedia aptare possit. Verum animaduertendum interim est diligentissime tum circa denunciantis qualitatem, tum circa denunciationis modum: An scilicet, qui defert, sit cognatus, affinis vè, amicus, vel inimicus illius, quem defert, an aliquid ei debeat, an sit pauper, an in publico munere constitutus, & reliqua huius generis similia, quæ considerari possint. Videat etiam oportet, An is, qui defertur, publice, an vero secrete peccet: item, an in huiusmodi errantes, peccantes ve animaduertere ad iudicem Ecclesiasticum spe-

ctet,

a c. Rom. de cons. in 6.

b c. 6. & 8. per totũ sess. 24.

c Sup. eodem 2. par. c. 4.

ctet, an vero ad sæcularem iurisdictionem pertineat: eo enim casu delationem admittere non debet, sed errantem ei puniendum relinquere, cui competit: prout per Sacros Canonens statum [a] est.

[a] c. nouit de iudic.

Quomodo delationes, denunciationes ve audiendæ, describendæ que sint. *Cap. XI.*

[b] Sup. ead. 2. par. c. 4.

QVONIAM in superioribus [b] Edicti publice proponendi circa vitia notoria, ac publica peccata formam tradidimus, possetque accidere, vt, dum prædictæ visitationes fiunt, vir aliquis, siue fæmina, ne in pœnas, ac censuras incurreret, aliquid ex ijs, quæ in eiusdem Edicti, siue monitorij serie continentur, denunciare, ac ad Visitatorem deferre vellet, Visitator, modo adhibito, ac secreto eo, qui defert, vocato, adhibitoq. Notario, viro probo, discreto, ac confidenti, (qui, si fieri poterit, clericus sit, nó autẽ laicus, ne laicis pateſiãt, ac innotescãt secreta Clericorũ [c], nã, vt ex Sacris Constitutionibus colligitur, cohærere, & coniũgi non possunt, quibus studia sunt diuersa: [d] & oppido infesti sunt laici clericis, vt sacri Canones [e] docent. nec psalterium cum cithara bene concordat, vt ijdem Canones [f] tradunt,) tum, considerata delatoris qualitate, altius considerabit, an zelo Diuini honoris, & suæ conscientiæ tranquillitate, an vero odio, inimicitia ve, siue vindictæ spe denunciet. quòd si delationem iustam, & admitti dignã compererit, tum hoc modo in libro notandam, & in Actis deferendam curabit.

[c] c. ut luxta de offi. ord.

[d] 16. q. 7. in noua.

[e] 2. q. 2. c laicos & c. clericis de immu. eler. l. 6.

[f] c. diuersis de cleric. cõiugat.

Diem primo, mensem, & annum adnotabit. Deinde, immediate subsequetur: In hac ciuitate, oppido, siue loco comparuit ante Reuerendissimum Episcopum N. siue Visitatorem N. & præsente me N. Notario Apostolico, ac in sancto hoc Visitationis officio particulariter deputato, dixit, se eo venisse, vt Saluatoris nostri præcepto pareret, qui apud S. Matth. [g] iussit nos fratres nostros corripere primo secreto, deinde adhibitis duobus, vel tribus testibus, postremo vero ad Ecclesiã deferre,

[g] c. 18.

de ferre, ideſt proprio Prælato notum facere. Vt igitur proximi ſaluti conſuleret, & eius animam lucraretur, ad quod faciendum Dei præcepto obligatur, præcepit [a], vt proximum noſtrum, vt noſmet ipſos, diligeremus: &, quoniam alibi dicitur, [b] mandaſſe Deum vnicuique de proximo ſuo. Denique, ne in pœnas, ac cenſuras propoſitas incurreret, eo ſe contulit, vt Viſitatori ſignificaret, N. clericum illius ciuitatis, oppidi, vel loci, beneficiatum, ſiue cappellanum, inhoneſtam vitā ducere, non ſine magno illius populi ſcandalo. nam publice teſſeris, aleis, ac tabulis ludentem, viſum fuiſſe. quinimmo à ſe præſertim ſæpius perſpectum ludis publicè vacantem in tali loco publico, præſentibus N. N. & magnam pecuniarum ſummam, & alia plurimum in huiuſmodis vſus erogare, ac conſumere, palam etiam choreas ducere, & ſaltare ſolitum vna cum laicis, & profanis hominibus. quinimmo idemmet ſubiunxit, vulgo eo in loco teneri illum clericum eſſe concubinarium, ac rem habere cum N. muliere vidua, ſiue coniugata, vel innupta quam domi apud ſe retinet, vel cui alimenta, & alia ad victum neceſſaria in alia tali domo ſubminiſtrat, vt ſibi ſoli ad venereos vſus vacare poſſit; ſeque id ſcire, quòd eos ſimul commorantes ſæpius viderit in locis ſuſpectis: quinimmo ex quadam muliere, cui nomen N. ſe intellexiſſe, viſos ab ea, ſimul iungi, ac concumbere, & in eodem tecto iacere in ea domo. De quibus omnibus, ac alijs peccatis, & ſceleribus ab eodem clerico commiſſis dicit Reuerendiſſimum D. Viſitatorem per N. & N. poſſe plenius certiorem fieri. Quòd ſi is, qui detulerit, ſcribendi ſit peritus, ſe ſubſcribet, ac delationem a ſe factam veram eſſe affirmabit. ſin minus, ſatis erit per Notarium coram Epiſcopo, ſiue Viſitatore, eo, quo dicimus, modo delationem deſcribi.

a Matth. c. 2.
b Eccleſiaſ. c. 17.

Conſequenter adibit fortaſſe aliquis alius Viſitatorem, & deponet, N. eſſe hæreticum, & pro hæretico, & à fide Chriſtiana alieno, paſſim ab omnibus in ea ciuitate, oppido, ſiue loco haberi, quin etiam verbis palam eum fidei Chriſtianę detrahere.

Accedet alius, & nunciabit Viſitatori, aliquē ſeorſum ab vxore ſua vitam agere tot ab hinc annis, vel menſibus, & vtroſque cum aliis mercari; atque id qua ratione ſciat, deponet.

Deferet alius aliquam in illa ciuitate, oppido, vel loco, incantationibus, ac faſcinationibus operam dare, & palam ab omnibus pro venefica, & faſcinatrice haberi: quinimmo ex N. ſe audiuiſſe, quod eam vidiſſet circulum a ſe in terram deſcriptum ingred, ac ibi characteres ac alia ad artem magicam pertinentia, ac ſuperſtitionem redolentia deſignaſſe.

Nunciabit pariter aliquis alius Viſitatori N. eſſe publicum feneratorē, ſiue vſurarium, ac proximo ſuo mutuatis bobus, vel aliis armētis

vel illa ratione fænerari,res ante statutum tempus ab alijs emere, vt viliori pretio veneāt,seuero cōtra in vendēdo credere alijs res,suas vt pluris vendere possit. quinimmo sibi mutuo dedisse centum,expressa condicione,vt quinque supra centum restitueret: idemque ac multa alia per eum se ex N.& N. audiuisse.

Pari ratione per alium Visitator certior fiet, N.esse bigamum.nam, cum vxorem haberet quandam nomine N. ea adhuc viuente aliam duxit, cui nomen N. cum qua nunc viuit, ex qua etiam, & filios, filias ve suscepit.

Quinimmo aliquo denūciante ad Visitatoris notitiam perueniet,N. & N.fide sibi inuicem data de futuro matrimonio, ac eo publicato, ita iuratos simul in eadem domo cohabitare, &, non habita benedi- ctione,vt ex Ecclesiæ præcepto tenentur,matrimonium consummasse, ac filios suscepisse.

Tandem accedet aliquis alius,& se ipsum accusabit,quòd multis annis confiteri peccata sua neglexerit, & annorum numerum exprimet. Alius vero, quòd multorum annorum spatio in Paschate, iuxta Ecclesiæ præceptum, non communicarit, eo quòd nonnullis litibus, ac dissensionibus mordicus vacaret, nec eas res prætermittere vellet. Alius deferet, se per annū, & eo amplius excommunicationis vinculo fuisse irretitum, quòd aliquam pecuniarum summam debito tempore non soluerit;quod clandestinum matrimonium cum aliqua in gradu affinitatis,vel cognitionis prohibito [a] contraxherit, non petita prius dispensatione; à qua quidem excommunicatione se per totum illud temporis spatium absolui,ac liberari neglexisse.

m. vni nsa. &

Deferet alius, se carminibus,ac medicatis potionibus infirmis mederi;alius vero referat,se verbis superstitiosis [b] amissum pecus cōmendare,& tantam eis fidem habere, vt sibi persuadeat fore,vt,si sit commendatum, cito, ac indubitante reperiat. Alius nunciabit, se medicatam potionem,vel aliquam aliam fascinationem N.& N.sponsis nouis ministrasse, ne simul coire, ac matrimonium consummare possent. Alius denique, quòd, multis annis elapsis, patris sui, vel alterius cuius vis vltimam voluntatem non adimpleuerit, cuius bona possidet & sic de singulis, quæ quidem multa,& varia possunt accidere.

.q.5.per n.

Quibus omnibus,cum ea Visitator intellexerit,opportunum est adhibendum remedium,ne,si forte negligentius in ijs eradicandis egerit, vires assumant,ac ita conualescant, vt vel difficulter postea remoueri possint; vel,quod peius est, reliquos suo veneno inficiant. Nam Morbida facta pecus totum corrumpit ouile: ac plerunque Pastorum negligentia accidere videmus, vt, dum negligentius in inuisendo, ac perlustrando grege suo agunt, nec morbosas oues curant, vel à grege remo-

emouent; reliquæ eodem morbo inficiantur, ac recta ad æternam damnationem tendant via.

Quomodo inquirere debeat Visitator, ac procedere circa denunciationes criminum, ac vitiorum publicorum sibi factas. *Cap. XII.*

VISITATOR, auditis delationibus sibi factis, tam sæcularium, quam Ecclesiasticarum personarum, in ijs, quæ publica crimina, & enormia peccata concernunt, vt supra adnotauimus, [a] omnia maturius, ac quam diligentissime examinabit, ac secum considerabit, & velūti doctus, ac peritus medicus, singulis quibusque infirmitatibus opportuna remedia adhibebit, eo, qui sequitur, modo.

[a] ca. præcedent.

Delinquentes singulos sigillatim ad se in Ecclesiam, siue alium locum ad id potissimum accommodatum vocari curabit, ac eorum criminibus iuxta delationis seriem patefactis, eos grauiter accusabit, & reprehendet, & ad salutarem pœnitentiam peragendam, & Diuinam iram cauendam cohortabitur. Quòd si delinquens, suum errorem fassus, se ad pænitentiam sibi impositam peragendam paratum ostendat, eo animo, vt post impetratam gratiam, & remissionem grauis illius peccati à Deo, nunquam in posterum illud rursus committere velit, vt verum, ac bonum Christi fidelem decet: tunc Visitator scribæ suo, siue Notario imponet, vt illius confessionem notet, ac delinquenti iuxta criminis qualitatem salutarem pænitentiam publicam, vel priuatam, maiorem, minorem ve imponet, prout magis saluti suæ expedire videbitur, Sacrorum Canonum rigorem, ac seueritatem, quod eius fieri poterit, moderando, & ad mitiorem pœnam redigendo; atque eo magis, quòd arbitriarias esse pœnas, & pænitentias iniungendas confitentibus, eorundem Sacrorum Canonum auctoritate sancitum est. [b] Monebitque interim, immo & expresse imperabit, ne in posterum in huiusmodi errores, ac peccata labatur, proposita aliqua pœna Sacrorum Canonum, vel Constitutionum Synoda-

[b] c. Deus qui de pænit. & remiss & 26. q. 7. c. tempora & c. alligant. c. dest. c. non decet in fine.

Synodalium, (si in Constitutionibus Synodalibus de publicis delictis eius generis fiat mentio) quam se incursurum nouerit; ac minitetur Visitator, si amplius eo modo peccarit. Qua absolutionis sententia sic per Visitatorem lata, eam scriba, siue Notarius in Actis rediget, seruata forma, ac regulis Sacrarum Constitutionum, ac rei assensum ascribet, & reliqua requisita addet, prout requiritur, ac moris est in huiusmodi casibus fieri. Verum, si delatus hæreticus esse deprehendetur, non eodem modo secum erit agendum: sed tunc Visitator delationem, ac nomina testium notabit, quos etiam secrete, omni adhibita diligentia, examinabit, præsentibus ibidem duobus alijs in Ecclesiastica dignitate constitutis: vt Sacri Canones [a] disponunt. Qua in re poterit ea methodo vti, quæ à Directorio inquisitorum traditur: &, constito sibi de hæresi, eum in carcerem caute duci curabit, ac, missa actorum copia Romam, de omnibus, prout gesta sunt, Illustrissimos Sacræ Inquisitionis Præsidentes Cardinales quam primum certiores faciet: quorum etiam præcepto, ac auctoritate omnia administrabit.

[a] ...t off. §. de hær.

Immo, in sancto Visitationis munere obeundo, Episcopi illud in primis sibi præ oculis ponere debent, præcipuusque hic illorum debet esse scopus, vt commissum sibi gregem ab huiusmodi diabolicis fraudibus emundent. cui rei potissimum eos diligentissime inuigilare debere, Sacri [b] Canones præcipiunt.

[b] commu... ...us el. I ...iicimus ...ret.

Quomodo cum delinquentibus, si contumaces, & rebelles fuerint, circa peccata publica sit agendum. *Cap. .XIII*



QVOD si reus, cum vocatus fuerit, citatusque comparere noluerit, vel, si comparuerit, pertinacius in sua sententia permanendo commissum à se facinus confiteri noluerit, poterit Visitator contra eum agere, ac inquirere, habita ratione cum rei, tum delicti. nam, si reus clericus fuerit, cum absolutam in eo, ac meram iurisdictionem habeat, in vincula eum cõijciere poterit, ac aliis pœnis à iure statutis multare, præsertimque si sæpius in eadem crimina

lapsus

lapsus fuerit, seque incorrigibilē prębuerit. id enim faciendum Sacri[a] Canones docent. Sin autem reus laicus fuerit, tum delicti ratio habenda erit, cum, quoad rei ipsius personam attinet, Ecclesiasticum forum non sit ei proprium. Sunt autem multi casus, quibus laici Ecclesiasticam iurisdictionem declinare non possunt; cùm illorum cognitio delictorum ad Ecclesiasticum iudicem pertineat. Poterit igitur Visitator laicos in vincula conijcere, ac alijs pœnis, à iure statutis, afficere[b], si hęretici esse deprehensi fuerint. quo casu ea obseruabit Visitator, quæ superius adnotauimus[c]. Vel, si superstitionibus, ac magicis[d] artibus operam dederint, vel sacrilegium aliquod commiserint. id enim & Sacri[e] Canones docent, & præcipue Dominicus de Soto, multæ auctoritatis Doctor, tenet[f]. Vel, si per annum, & vltra excommunicati permanserint, vel Sanctæ Ecclesiæ vnioni restitui per absolutionem non curauerint: viderentur enim Ecclesię auctoritatem, ac Clauium potestatem negare, & de fide malè sentire. Idemque censendum erit, si de hęresi fuerint suspecti; vt ex Sacrosancto Conc.[g] Trid. ac alijs locis colligere licet; & Doctores[h] insignes, ac in Pontificio iure explicando illustres tradiderunt. His enim omnibus casibus, quos enumerauimus, ordinarius iudex esse censetur, etiam laicorum, vt Sacri Canones docent, & grauissimorum doctorum auctoritas confirmauit: potestq. cōtra eos procedere, vsque ad capturā & carcerationis pœnam inclusiuè. Sed, quoniam non est nostri instituti hoc loco disputare, sed solum modum, ac praxim demonstrare, qua Episcopus vti debet in perlustranda sua Diœcesi singulis annis, vt ex iuris[i] dispositione tenetur, iccirco plura de his dicere supersedebimus; contenti hęc pauca adnotasse, quæ fortasse Visitatoribus non inutilia erunt.

a c. Episcopu de off. ordin in 6. & c. tua disertionis de pęn. & c. ut famæ & c. si cler. de sen. excomm.
b c. vt commissi, & hær. lib. 7.
c In cap. præceden.
d cōtra idolorum & gloss. ibi 26. q. 5.
e ad ostendēdū 17. q. 4.
e c. cum Episc. de offic. ord. lib 6.
f Sess. 25. c. 3. in fin.
g Cap contumacia de hęr. lib. 6 c. graue de pæn. & ibidem gloss. & c. bene de ætat. & qualit. ordin.
h Hostien. in summa sub tit. de hæret. Panor in c. postulasti & hō. & c. graue de pæn. & multis aliis in locis cum aliis &c.
i c. conuertenti de offic. ord. & c. Episcopū & c. placuit 10. q. 1. & multis aliis in locis.

Quo modo in ijs, quæ publica crimina concernunt, contra laicos sit agendum, si citati non comparuerint. Cap. XIIII.



CVM autem is, qui publicum aliquod crimen commisit, merè laicus fuerit, licet delicti species ab eo commissi ad forum Ecclesiasticum pertineat, vt sunt ea, quæ superius adnotauimus, & præterea adulteriū, incestus, concubinatus, & similia, & quę ad vtrūq; forum indifferenter pertinent, quę casus mixti appellari solent; vt sunt

fœneratio,

fœneratio, blaſphemiæ, & cętera eius generis; ſi citatus fuerit, nec comparuerit, eius contumaciam per Coadiutorem ſuum, vel alium, cui id onus incumbet, accuſandam curabit Viſitator in termino citationis, Iudexque contra huiuſmodi rebellem, ac contumacem aliam decernet monitionem ad comparendum, videndumque declarari, ſe in cenſuras, ac pœnas primi mandati, ſiue monitionis incurriſſe, eo quòd non paruerit, & ad dicendam cauſam, quare non debeat declarari excõmunicatus, per affixionem cedularum in locis publicis. Quòd ſi, ſecundo monitus, comparere neglexerit, in prædictas cenſuras incurriſſe declarabitur, ac publicè excommunicatus pronunciabitur per affixionem cedularum in locis publicis, ac frequentioribus illius ciuitatis. &, quo magis eius contumacia, & pertinacia creuerit, eò Viſitator cenſuras, ac pœnas augebit, vſque ad brachij ſæcularis inuocationem: id enim Summorum Pontificum Conſtitutiones, ac decreta admonent eſſe faciendum, cenſuras Eccleſiaſticas, ſeruatis debitis, ac Canonicis terminis, aggrauando, ac reaggrauando; prout magis ei expedire videbitur.

icio- oniã rdin. 3.Ma s cũ

Quo caſu Viſitator contra reum delatum ordine iudicario vti debeat.
Cap, X V.

POSTQVAM Viſitator, vt ſuperius adnotauimus, maturiori adhibito conſilio, diligentius, altiuſque rei delati, ac criminis enormitatem, nec non delatorum qualitates ſecum conſiderauerit; ſi reus citatus, vel non comparuerit, vel in vincula coniectus fuerit, ſi præuia Viſitatoris admonitione, ac cohortatione errorem ſuum fateri noluerit, ac veniam humiliter poſtulare, ſed pertinacius contradicere perſtiterit; cum ſatis conſtiterit, pleniuſque probatum fuerit, publicum eſſe, ac notorium illius crimen; tunc per accuſationem, ac fiſci operam contra eum agendum erit; qui quidem Fiſcus reum de omnibus criminibus, ac delictis, de quibus denunciatus fuerit coram Prælato, accuſabit in forma, petetque ab eo tamquam Iudice, vt iuris eum pœnis multet, ac caſtiget; Iúdexque tunc audita, ac admiſſa accuſatione contra reum, iuxta Canonum [a] ſanctiones procedat,

liter, do de b. ſe-

cedat, decernatque illius accusationis copiam, siue transumptum ipsi reo dari, vt se defendere, ac tutari possit: atque hac in re Diuinę Scripturæ vestigijs insistet, quæ in Actibus Apostolorum [a] hanc consuetudinem comprobat, cuius verba sunt: Non est consuetum Romanis, quempiam damnare, priusquam is, qui accusatur, præsentes habeat accusatores, locumque defendendi accipiat, vel abluendi crimina, quę ipsi obijciuntur. Ac pari ratione, si reus se defenderit, defensionis illius copiam, siue transumptum Fisco tradendum curabit, assignato interim vtrosque competenti termino ad probandum. Cumque articuli per vtrisque exhibiti fuerint, & à iudice admissi, saluo iure, & postquam, quod probare intendunt, deduxerint, ac probauerint, concessa processus publicatione, ac termino ad opponēdum assignato, exceptionibusque, ac defensionibus legitimis, ac bonis admissis, factaque conclusione, Visitator, postquam diligentius, maturiusque processum, examina, & omnia considerauerit, seruatis Canonicis terminis, tandemque citatis partibus ad audiendam sententiam in Dei nomine proferendam, prout iuris esse videbitur, ac magis iustitiæ consonum, eam proferet. A qua quidem sententia si iustè appellatum fuerit per reum, & per iudicem, à quo lata fuerit sententia, appellatio admissa, (quia alioquin in causis appellationis, & morum correctionis non admittitur appellatio [c], ad effectum retardandæ executionis) tunc appellanti mandabit, vt intra certum tempus iudicem, ad quem appellauit, cum Apostolicis, siue litteris reuerentialibus adeat, & coram eo appellationis huiusmodi causam prosequatur.

Illud tamen interim animaduertendum est, in Visitationibus, quæ in Monasterijs, ac personis regularibus fiunt, licet huiusmodi methodus, ac ordo iudicarius obseruari debeat, non tamen necesse esse, omnino, ac inuiolabiliter eum ita obseruari, vt ne latum quidem vnguem ab eo recedamus, sed habita ratione personarum, quibus cum agendum erit; vt ex Pontificij [d] iuris decretis facilè colligi potest. Verum enim verò, cum huiusmodi denunciationes Sanctæ Visitationis vigore fieri contin get, in agendo contra reos huiusmodi debet modus adhiberi, vt luce clarius innotescat, nullam aliam esse Visitationis intentionem, nisi, vt erroribus, quibus Deus Opt. max. offenditur, ac ad iracundiam prouocatur, remedia adhibeantur: ac peccatorum conuersioni, Cleriq; ac populi reformationi sedula opera detur: idque benignè, ac humaniter, semoto iuris nimio rigore, fiat, Quòd si quando ad iuris rigidiora remedia deueniendum erit, id præseferat semper, se, præter voluntatis suæ intentionem, ac vi, coactos fuisse id facere, vel quia nullū aliud esset opportunum remedium, vel quia peccatores pertinaces essent, vel quia magnum inde venturum erat scandalum.

a c.25.

b Cōc. Trid sess. 13. de refor c. 4. & sess. 22. de refor. c. 1, & sess 24. de refor c. 10.

c c. Qualiter & quādo & c olim de accus.

Quòd si temporis aliquid peracta Visitatione supersit, laudauerim, vt ad errorum, quos in Visitatione repererit, emendationem, ac processuum, quos fabricauerit, executionem procederet, ab omnibus, qui inemendabiles essent, debitas pœnas, Canonicè, ac iuris ordine seruato, exigendo.

Quo modo sit procedendum, in quibusdam casibus, qui frequentius in Visitatione solent occurere. Cap. XVI.



VAMVIS multa sint, & innumera, quæ Prælato suam Diœcesim visitanti passim se se offerre solent, quibus nisi opportunum adhibeatur remedium, magnum inde, & insigne Christifidelibus malum plerumque oriri soleat: sunt tamen aliqua, quæ frequentius committi solent, & quę quodammodo populis familiaria facta fuere peccata: quibus eo diligentius Visitator debet prouidere, quo omnes norunt perfidiorem esse hostem, qui dissimulat, & febrim periculosiorem, quæ non dignoscitur, sed paulatim homines consumendo interimit. Nos igitur nonnulla huius generis peccata hic enumerauimus, (nam singula percurrere difficile esset, & longum) ac remedia opportuna singulis accommodauimus, quorum exemplo reliqua dignosci, ac caueri facilè poterunt, & à Visitatore corrigi.

Esto igitur, vt ad Visitatorem aliquis detulerit, N. & N. legitimè iuratos, & fide data simul vitam agere, ac matrimonium sine consuetis Ecclesię benedictionibus, ac sollemnitatibus consummasse, & quòd mulier nec vidua, nec aliquo tempore velata fuerit; tunc Visitator ijs pœnis eos multabit, primò, in quas per Synodales Constitutiones illius Ecclesię incidisse deprehendentur. Deinde imperabit, vt quamprimum Ecclesiæ benedictionem accipiant, &, quoad re ipsa id non præstiterint, separatim, iuxta Sacrorum [a] Canonum regulas, viuant, sub pœna excommunicationis. Nam (vt Diuus [b] Augustinus testatur) institutum est, vt spōsæ iam pactæ non statim tradantur, ne vilem habeat maritus datam, quam suspiraui sponsus dilatam. Quod autem ante matri-

ro de m. & edici tit. cõfes.

matrimonij consummationẽ teneantur Ecclesiæ benedictionem suscipere, & ex iure Pontificio, & ex Sacræ Tridentinæ Synodi decretis desumitur.

Quòd si fortè Visitator certior factus fuerit, N. & N. legitimè inter se matrimonium per verba de præsenti in facie Ecclesiæ contraxisse, & separatim viuere, non autem simul, vt humani, ac diuini iuris decreto tenentur, idque nulla alia ratione ab ijs fieri, nisi, vt propriæ libidini, & ingenio satisfaciant, mandabit eis, ac imperabit, vt intra dierum trium spatium simul conueniant sub eodem tecto, ac ibidem simul vitam ducant, ac ita viuere perseuerent, vt virum, ex vxorem decet, sub pœna excommunicationis maioris. quod si minus id re ipsa præstiterint, coram Visitatore comparere teneantur, ac causas, rationesque afferre, quibus id facere non teneantur. quòd si, maturius consideratis huiusmodi causis per eos adductis, nullum tale impedimentum apparebit, per quod diuortij faciendi sententia ferenda sit; grauioribus pœnis, ac censuris Ecclesiasticis adhibitis, eos ad viuendum simul compellat, inuocato etiam (si opus fuerit) auxilio brachij sęcularis.

a 27. q. 2. | 30. q. 5. pe totum & 4 sess.
b c. primo d refor. matr. sess. 24.

Quòd si Visitatori constiterit, N. & N. esse publicos concubinarios, vel quòd ex eorum met confessione in iudicio publicè facta, vel ex sententia contra eos lata, vel denique ob facti perspicuitatem [d], eo quòd omnibus innotuerit, coniũcti fuerint, mãdabit eis, Notario pręsente, sub eisdem pœnis, ne in posterum simul cohabitent, nec simul versentur in locis, ac temporibus suspectis. quòd si parere contempserint, contra eos ad excommunicationis senten tiam procedet, inuocato etiam tandem (si opus fuerit) auxilio brachij sæcularis; vel, si magis libuerit, ad illorum reformationem procedet, iuxta Concilij [e] Tridentini decreta; nec antea absoluendi erunt, quàm promiserint, se in posterum id non commissuros. quod videtur sensisse Panormitanus [f], licet in clericis [g] hoc non habeat locum. Illud tamen interim diligeuter notandum est, Visitatorem semper in huiusmodi erroris specie perquirenda curiosius de adulterorum, ac concũbentium condicionibus inuestigare debere: an scilicet sint coniugati, nec ne. nam cum mulieribus coniugatis debet Visitator cautius agere, & moderatius, ob imminens periculum, & ob scandalum, quod accidere posset, si ad eiusdem viri cognitionem eam adulteratam fuisse peruenerit. Nisi fortè, eiusdem viro id postulante, & consentiente, contra eam ageretur: vt nobis in Andria contigit.

d c. tua nc de habit. cle & mulier.
e c. 8. sess. 24 de refor. matrim.
f in c. intell ximus de adult.
g c. cler. d cohab. cl. & mul.

Pari ratione, si comperit Visitator, quemquam in ea ciuitate, oppido, locove, quem visitat, reperiri bigamum, præmissa diligenti facti inquisitione, si constiterit id factum esse ex certa scientia, nec ignorantię locum esse, commissum crimen debita pœna multa-

Dd bit,

bit, ao matrimonium secundo loco contractum, vt Diuinum ius postulat [a], dissoluet. Verùm, si reperiet, mulierem secundas nuptias celebrasse, habita aliqua persuasibili opinione mortis primi sui viri, matrimonium secundò contractum nòn prius dissoluet, quàm constiterit primum illius virum, inter viuos agere: id quod Sacri [b] Canones multis in locis docent esse faciendum.

Quòd si certius factus fuerit Visitator, quospiam in eo, quem visitat, loco, licet scirent se in quarto, vel alio consanguinitatis, affinitatisve gradu coniunctos esse, tamen contra Canonicas [c] prohibitiones matrimonium inter se, absque summi Pontificis dispensatione, contraxisse, separatim eos viuere imperabit, excōmunicatos interim publicè declarabit, nec prius absoluet, quàm tanto errore dignam pænitentiam egerint, vt Clementis Summi Pontificis Decreto præcipitur. Quòd si constiterit, quospiam alios clandestinum inter se matrimonium contra Sacrorum Canonum [e] decreta cōtraxisse, Sacerdotem, qui huiusmodi matrimonio sic contracto interfuerit, iuxta Canonicas [f] regulas, ac Sacri Concilij Tridentini decreta, ac Synodales illius Ecclesiæ Constitutiones puniet, reliquosque omnes qui quouis modo delicti illius participes fuisse deprehēdentur, pari ratione corriget, ac castigabit.

Quin etiam, si quospiam repererit, qui eo anno in Paschate peccata sua Deo non fuerint confessi, nec sanctum Eucharistiæ Sacramentū sumpserint, (vt ex antiqua Sanctorum Patrum [g] institutione tenentur) ex Ecclesia eos expelli, ac illius ad tu illos prohiberi imperabit, statimque ac eos facti panituerit, ac se Ecclesię præcepto obedire paratos polliciti fuerint, absoluet, ac, salutari pænitentia iniuncta, mandabit, vt intra certum temporis spatium confiteantur, ac reliqua, vti tenentur, exequantur.

Sin autem quospiam ibi offenderit excommunicationis vinculo irretitos esse, vel quòd debitam aliquam pecunię summam nō soluerint, licet sint soluendo, vel quòd aliquo enormi delicto, peccatove detinerētur, nec se absolui, ac Ecclesię sanctæ vnitati, restitui curauerint, cōtra huiusmodi inobedientes Sathanæ filios, ad alias Ecclesiasticas censuras procedet, ordine Canonico seruato, auxiliumque brachij sæcularis (si opus fuerit) contra eos inuocabit, ac in vincula conijci, eorumque bona publicari curabit, vt, quos timor Dei à malo non reuocat, pœnæ saltem corporalis castiget.

Insuper nouerit Visitator, se testamenta omnia debere inuisere, ac perscutari, an re ipsa vltimæ defunctorum voluntates impletæ fuerint per hęredes, siue testamentum executores. nam ex Sacri Concilij Tridētini auctoritate Episcopi, tāquam Sedis Apostolicæ delegati, in casibus à iure concessis, omnium piarum dispositionum, tàm in vltima volūtate,

quàm

quam inter viuos, sunt executores. Quòd si quos anni præterito tempore vltimas defunctorum voluntates debitæ executioni non demandasse cô-periet, executorum negligētiam corripiet, debita inflicta pœna, vt iuris erit, hæredesq; congruo assignato termino coget, compelletq;, vt defuncti voluntatem impleant, sub pœnis à iure [b], & Synodalibus Constitutionibus illius Ecclesiæ impositis.

a c. tua nobis de testam.

b c. si hæredes de test.

Quo modo obstetrices, ac ij, qui verbis, ac carminibus medentur, sint visitandi. *Cap. XVII.*



MVLTA sunt, quæ parturientibus mulieribus imminere solent, & ea quidem grauissima pericula, dum fætus è materno vtero in lucem eduntur: quibus quoniam passim adesse consueuerunt obstetrices, quibus etiam id muneris demandatum est, vt omnibus incommodis, ac fortunæ casibus prouideant, ac opportunis remedijs occurrant, non alienum esse duximus à Pastorali nostra sollicitudine, nec ab instituto nostro dissonum, & eas quoque salutaribus imbuere præceptis. Nam, quæ tunc temporis fętibus imminent pericula, dum in lucem eduntur, non solum infantium illorum corpora vexant, sed, quod magis est, animæ quoq; salutem plerũque in discrimen adducunt; satisq; compertum est, misellos illos infantes sine sancti Baptismi Charactere ex hac vita migrare; idque earũ culpa, negligentiaque fieri, quibus id muneris demandatum est, vt parturientibus pręstò sint, ac opitulentur: quæ si viderint infantem in vicinæ mortis periculo constitutum, statim baptizare debent, nec illud temporis spatium expectare, quod in illis, qui incolumes è materno vtero prodeunt, expectari consueuerit. Quapropter, quamcunque ciuitatem, oppidum, siue locum visitabit Prælatus, & omnes, quæ ibidem sunt, obstetrices, ad se accersiri curabit, mandabitque, ac singulas interrogabit, an domi nascentes pueros absque insigni aliqua, & euidenti necessitate, periculoque baptizare consueuerint, easque, ne id faciant, commonebit. nam, sicut errare diximus, si nascentes fætus in propinquæ mortis periculo constitutos statim non baptizent, ita quoque errare eas dicimus, quoties infantes nullo imminente mor-

tis periculo domi baptizant, prætermissis interim, earum curiositate, consuetis Sanctæ Ecclesiæ cęrimonijs, ac sollemnitatibus. Monebit quoque, ac instruet, cum, insigni imminente periculo, ac magna id necessitate postulante, huiusmodi infantes baptizant, quo ordine, qua ue methodo vti debeant in ministrando Baptismi Sacramento, quam in partem, siue membrum aquam infundere debeant. nam, si fieri potest, caput est abluendum; sed, si commode id fieri non poterit, satis erit quodcunque aliud membrum, quod è materno vtero prius exierit, abluere. quod tamen eo casu solum faciendum esse nouerint, si de nascentis pueruli vita desperent; alioquin ne faciant. Docebit etiam eas, quibus verbis vti debeant. quod si forte nescierint, imponet eis, vt sub excõmunicationis pœna discant; &, quoad didicerint, obstetriciam artem ne exerceant; mandabitque Parocho, vt eas verba illa, ac reliqua necessaria doceat. Perquirat etiam, an, dum aquam infundunt, verba proferant; nec prius, posteriusve: nam eo casu nihil efficerent. Parochos etiam moneat Visitator oportet, infantes illos, qui, mortis periculo imminente, domi baptizati fuerunt, si peculiari Dei beneficio, ac gratia, periculum illud euaserint, ad Ecclesiam deferendos esse; vt prætermissæ cærimonię, sollemnitatesque, quibus in ministrando Baptismi Sacramento sancta vti consueuerit Ecclesia, suppleantur.

... mulier. ... necess. sequen. ... tot. de ... dist.4.

Postremò, commonefaciat obstetrices, si vir ibi periclitante fætu adsit, fæminis non esse baptizandi munus permittendum; si verò adfuerit Clericus, ei hoc onus incumbet; qui si fuerit simplex Clericus, Subdiacono pręsente cedet, Subdiaconus Diacono, Diaconus Presbytero, & sic de singulis. semper enim huiusmodi Sacramenti ministratio digniori demandanda est.

Curabit etiam Visitator, omnes ad se frequentes conuenire, siue ij viri fuerint, siue mulieres, qui oculis, lumbisve, siue alijs morbis, particularibus verbis, carminibusque se mederi profitentur, quiq; orationibus, ac veneficijs, in curandis huiusmodi morbis, vtuntur; prout multi nostris temporibus reperiuntur, qui linteis, aquisve medicatis, vulneribus, vlceribusque, ac diuersis doloribus se mederi posse pollicentur.

In his autem omnibus casibus duò potissimũ scrutabitur Visitator, ne in his peccatum aliquod committatur, neve Deus opt. max. offendatur, vt Angelicus Doctor D. Thomas adnotauit. Primò, quibus verbis vtantur in huiusmodi medicaminibus: deinde, cum illa verba proferant, quid faciant: tum, quid prius, quidvè posterius. &, quæ licere, ac Christianæ pietati, & religioni non esse contraria comperiet, permittet; quæ vero impia, profana, ac nefaria, & Christianæ religioni contraria inueniet, prohibeat omnino, ac tollat, oportet. quin etiam omnes

...nda se... ...z.q 96.

superſti-

superstitiones, obseruationes, fascinationes, ac magicas [a] artes, ac cautiones tollendas, ac è Christi fidelium mentibus, pectoribusque eradicandas penitus, & eijciendas curabit: &, si quos ijs deditos reperiet, castiget inflicta pœna, quæ à Canonicis [b] sanctionibus contra huiusmodi delinquentes constituta est.

a 26.q.5. per tot.qu.7.
b c 1.de sortil.leg.cum seq. per totam.

Quomodo sint Quæstorum abusus visitandi & tollendi. Cap. XVIII.



VONIAM autem inter cætera, quæ à Visitatore præstanda sunt, abusus tollere haud minimum est censendum, & eos præsertim, qui tanquam Ecclesiæ Dei perniciosi iam sublati sunt: propterea Visitator Quæstores eleemosynarios, siuæ quæstuarios diligentes examinabit, ac interrogabit, quas facultates, priuilegia ue habeant, quæ etiam ab ijs exhibenda curabit, perquiretque, an illa excedant, ac magis, quam concessum eis sit, extendant: ac reliquos abusus, qui ab huius generis hominibus committi solent, diligentius considerabit. si quos autem abusus, si quos ve errores deprehenderit, eos iuxta Canonicas [c] sanctiones, ac sacri Concilij Tridentini [d] decreta, debita inflicta pœna, coercebit, ac puniendos curabit. Sed fortasse de his longius differere superfluum censeri poterit, cum huiusmodi quæstuariorum nomen, ne dum officium, ac vsus, iam sublatum fuerit à Sancta Tridentina [e] Synodo, a qua etiam methodus præscribitur, quæ in publicandis indulgentijs, ac aliis spiritualibus gratijs locorum Ordinarij uti debeant. Huiusmodi ergo methodus, an diligenter, fideliterq. obseruetur, videat Visitator oportet: ut omnes noscant, cælestes Ecclesię Thesauros non ad quęstum, sed ad pietatem exerceri debere.

c c. tua nos & os priuil. & elemen.abusionibus de pæn. & remiss.
d c.2. de ref. Sess.5.con.sess. 21.c.9.
e Sess. 21.ca. 9.de refor.

Quibus

Quibus rebus potissimum, quibus ve exercitationibus Visitator vacare possit, ac debeat, dum Ecclesiam, ac diœcesim suam visitat. Cap. XIX.

PASTORALIS officij, ac dignitatis sollicitudo postulare videtur, vt nihil vllo vnquam tempore prætermittãt Pastores, quod ad ouium sibi commissarum salutem spectare videatur. Et quoniam non vnico oues inficiuntur morbo, plura etiam sunt
a Ezech.c.33 adhibenda medicamina, vt, quod deuium est in caulam Domini reducatur; quod frigidum est, foueatur; dissolutum consolidetur, ac missum, perditumque recuperetur.

Hinc est, quòd Visitator, dum suam Diœcesim inuisit, non vnico debet esse contentus munere obeundo, sed, præter ea, quę superius ad notauimus, reliqua etiam salutaria studia Pastorali officio, ac visitationis perfectioni annexa, id quod Doctores, [b] & ij quidem grauissimi testati sunt, exequi debet, ac tenetur. In quorum numero sacri Chrismatis, siue Confirmationis collatio est, cuius minister est solus Episcopus, [c] propterea in quamcunque ciuitatem, oppidum, siue locum Episcopus visitaturus se confert, ibi ministrando sancto Confirmationis Sacramento vacare [d] debet. Quòd si commode fieri poterit; semper ante prandium ieiuniis omnibus, idest tam ipso, quàm vngendis, & confirmandis, Sacramentum hoc ministrare satagет: omnesque vngendos hortabitur, vt prius peccata sua Deo humiliter, ac pie confiteantur. Statuet etiam, vt singulos confirmandos singuli suscipiant, ac alias omnes sollemnes cærimonias, ac ritus obseruabit, quæ in Pontificali habentur, & de quibus Theologi distinct. p.l.4. latius disserunt. Curabit etiam per Parochum in libello ad id potissimum confecto, tam eorum, qui sacro Confirmationis charactere insigniti fuerint, quàm illorum, qui eos susceperunt, nomina, & cognomina diligenter adnotari, eodem ordine, quo de baptizatis, & eos suscipientibus supra diximus; vt, si quando inter eos matrimonium contrahi

b Glos.& Ios. Andr.in cap. Romana de cens.& in ca. inter cæt. de off.c.ord.
c c.presbyteri de cõs.dist. 4.
d cap. manus & sequen. de cons.dist.5 & cap. vnico de sanct vnct.
e c.vt ieiuni. c.vt Episcopi de cons. dist. 5.

trahi contingeret, impedimentum illud cognationis spiritualis sciri possit. Debet præterea Episcopus visitans ecclesias, altaria, ac reliqua pia loca Deo dicata consecrare, ac (si opus fuerit) Deo se per sanctum Confessionis Sacramentũ reconciliare, vt sacri Canones [a] docent. Debet etiam calices, corporalia, Ecclesiæ paramenta, ac reliqua Diuino cultui necessaria benedicere. Quin etiam ordines conferre poterit, primam quidem Tonsuram singulis diebus; Minores vero Ordines diebus Dominicis, ac festis; sed reliquos sacros ordines temporibus tantum ab Ecclesia statutis: ita tamen sacrarum Sanctionum [b] decreto sancitum est.

Insuper debet subditis suis ius dicere, varias querelas, delationesque, ac alias causas, tam ciuiles, quam criminales, inter eos decidendo; vt Sacrorum [c] Canonum auctoritate confirmatum est. Præterea, in quamcunque ciuitatem, oppidum, siue locum peruenerit, sciscitari debet diligenter, an ibi inter ciues inimicitiæ, rixæ, dissensiones ve, siue factiones vigeant; omnesque, quantum in se erit, ad pacem, concordiamque perducere conabitur: ad quod præstandum Canonicis [d] sanctionibus tenetur. Postremo, perquiret, qui nam in ea ciuitate, populo ve sint pauperes alienæ opis indigentes; vt exempli gratia, viduæ, orphani, & his similes: quibus omnibus qua ratione suis necessitatibus subueniatur, prouidebit, & eleemosynas distribuet; prout ei per suas facultates licebit; ne per inopiam aliquid cogantur committere, quod vel Deum Opt. Max. offendat, vel proximum lædat. Quod etiam eo libentius facere debet Visitator, vt sacris Summorum Pontificum [e] Constitutionibus pareat, quorum virtute id præstare tenetur, ac bene de pauperibus, tanquam communis omnium parens, mereri.


a De consec. ecclesiæ & alt. per totum, & c.1. de relig. domibus.

b Dist. 75. per totum & de tempor. ord. per totum.

c c. inter cætera, & cap. frequenter de offic. ord. c. cũ Episc. eod. tit. lib. 6.

d c. studendũ & c. placuit, & c. præcepimus. 11. dist. & c. 1. de treuga & pace in fine.

d c. fratrem nostrum, & c. non satis, & c. est probãda 86. dist. & c. Apostolicis viris, & & quicquid. 16. q. 1.



Quos

Quos ordines, quas ve Constitutiones Visitator relinquere debet, vt, quæ de defectuum correctionibus statuerit, debitæ executioni demandentur. Cap. XX.

SOLENT medici, cum infirmum aliquem inuisunt, non solum id sibi proponere, vt morbi illius causas tollant, ac ægrotantem liberent, sed etiam nonnulla remedia adhibere consueuerunt, quibus eum ab omnibus in posterum morbis præseruent. Hos igitur Episcopus, siue Visitator imitatus, postquam totam Diœcesis visitationem eo ordine, quo docuimus, confecerit, ac omnes errores, defectusque in actis Visitationis adnotauerit, ne huiusmodi errores in posterum quo vis modo committantur, prouideat, oportet. Postquam igitur rationes omnes, ac computa percurrerit, ac diligenter examinauerit, ac reliqua omnia diligentius considerauerit, quæ reformatione, ac emendatione indigere videbuntur, edicta contra delinquentes omnes, facta prius ijs Canonica monitione, publicanda curabit. qua in re poterit ea methodo vti, quam supra tradidimus, cum de edictis proponendis, tam in visitatione Ecclesiæ, & cappellarum, quàm personali tractaremus. possunt enim ea omnia, & diœcesis visitationi accommodari. nisi malit eo ordine ea proponere, quo hic infra sunt digesta. Nos enim nullum alium finem nobis proposuimus, non alium scopum spectauimus in toto hoc nostro opere, quam Visitatori, ac ijs, qui visitari debent, prodesse. Poterit ergo Visitator vel hunc ordinem sequi, quem hic præscribimus, vel alium, quem in priori parte tradimus, pro vt magis ei expedire videbitur, ac Ecclesiæ, bonorumque eius vtilitati magis conducere: vt, quæ statuet, post discessum suum inuiolabiliter obseruentur, ac debitæ executioni, terminis præfixis, demandentur.

Primo igitur mandatum generale decernet, ac publice proponet contra debitores Ecclesiæ, ijsque omnibus, & singulis mandabit, vt intra nouem dierum spatium, quicquid Ecclesiæ tenentur, cum effectu persoluisse debeant œconomis, siue priori, exactori ve illius Ecclesię

quod

quòd si, eo termino elapso, contumaces fuerint, & parere recusauerint, statuet, vt Diuinis officijs interesse eousque prohibeantur, donec edicto paruerint, ac plenè satisfecerint.

Postea mandabit Priori, siue œconomo, Thesaurariove, vel alteri, cui id onus incumbit, vt ędificium N. vel fornicem, tectumve, aut murum restauratione indigentem, vel minantem ruinam, intra certum aliquod temporis spatium reparandum, resarciendumve, aut de nouo faciendum curet, vel aliquos libros, ornamentave, vel aliquod aliud necessarium, quod desit, emere teneatur, aliqua proposita pœna, nisi paruerit, quam vel Ecclesiæ ędificio, vel Episcopali Palatio, vel alicui alteri pio operi applicabit.

Mandatum insuper contra beneficiatos, ac cappellanos perpetuos proponet, cuius virtute teneantur intra certum aliquod temporis spatium domos, & prædia, quę ad sua beneficia spectant, restaurare, si quę fuerint, quę restitutione indigere Visitatori visa fuerint. Quòd si parere recusauerint, eo termino elapso eorum fructus beneficiorum, cui domus illæ vel prędia annexa sunt, sequestrari mandabit, donec tanta ex illorum redditibus comparata fuerit pecunia, vt huiusmodi reparationi sufficere possit.

Decernet etiam multa alia his similia edicta, prout necessarium videbitur pro illorum emendatione defectuum, quos in Visitatione reppererit. Verùm omnibus, quibus, dum ibi pręsens est, potest opportuna remedia adhibere, curabit adhibenda, ac debitę executioni omnia demandanda. Nam ex ijs, quę animaduertere, ac diligenter considerare debet Visitator, illud potissimum est, vt omni suo conatu omnibus viribus suis studeat, coneturque paucissima, quoad eius fieri poterit, decreta executioni demandanda relinquere; sed omnia, si fieri poterit, per se, dum ibi pręsens est, exequatur. satis enim ipsa experientia docet, huiusmodi transgressionem, ac contemptum mandatorum, malos, ac damnosos subditorum animis laqueos inijcere, vt Ioannes Gerson testatum reliquit. 2. parte tractatus, siue sermoni, de vit. clericorum.

Deinde, cùm discedendum erit, & ad inuisenda alia loca suę Diœcesis peragendum, mandabit, vt proximo die Dominico decreta, & quęcunque alia in illa Visitatione actitata fuerint, (visitatione personali excepta) omnia publicè inter Missarum sollemnia, cùm populus frequens ad audienda sacra conuenire solet, alta voce legantur, vt ab omnibus percipi queat; ne quisquam ignorantię excusationem pręsefferre possit; imposita pœna, ni paruerint.

Et, quoniam nihil tam salutare, ac necessarium in Ecclesia Dei, cùm ad Diuinum cultum, tum ad animarum salutem, quàm, vt omnes Christianę fidei pręceptis instruãtur, pręcipuè vero pueri: nam, quo semel est

imbuta recens, seruabit odorẽ testa diu: Propterea mandabit Visitator Parochis, vt singulis diebus festis, facto prius campanæ signo, vel inter Missarum sollemnia statuto tempore, omnes, & præcipuè pueros ad Ecclesiã frequenter conuenire satagant à prãdio, ibiq; eos Christianę fidei præceptis imbuant; vt, quid faciendũ, quid vè vitandum, omnes nouerint, quo & nomine, & re ipsa Christiani esse censeantur: idque inuiolabiliter seruari mandet, ac imperet, conuenienti negligentibus, ac contumacibus proposita pœna, ni paruerint.

Animaduertendum tamen interim est in fine Visitationis, vbi omnia, quæcunque vel decreuerit, vel ordinauerit Visitator, in actis Visitationis redacta fuerint, tam ab ipsomet Visitatore, quàm à Notario subscribendum esse illis eo stylo, quo Notarij vti solent in omnibus alijs publicis scripturis.

a Idẽ supra ead p. prima c. 3. circa fin.

Placeret [a] & illud quoque, vt ad tollendas errorum causas mandaret Visitator, expensas omnes, quæ ipso Visitationi illi insistente factæ fuerunt, per Notarium separatim adnotarentur, ac illis ipsemet Visitator vnà cum eodem Notario subscriberet.

Tandemque, antequam discedat, populo illi sollemniter benedicet, ac, conuocata concione, multa illis monita salutaria, tanquam bonus parens, relinquet, hortabiturque, vt à malo declinent, & faciant bonum, operibus se Misericordiæ tàm spiritualibus, quàm corporalibus exerceant, sed præcipue pauperes omnes, viduas, pupillos, ac orphanos commendatos habeant, nec à quopiam opprimi patiantur; sed illis semper opibus auxilio, ac consilio præsto sint; memores sententiæ illius Domini Saluatoris nostri, quam in fine mundi, iudex viuorum, ac mortuorum, prolaturus est: Quod vni ex minimis meis fecistis [b]. Et, vt alacriores ad huiusmodi opera exercenda reddantur, docebit, quanta illos merces maneat, si sic agendo perseuerauerint. nam & bonis corporis, ac fortunæ, dum viuent, cumulabuntur; &, postquam vita functi fuerint, æterna fælicitate, in cælis donabuntur: quæ adeo humani intellectus captum excedit, vt merito de ea scriptum sit, Non [c] oculum vidisse, nec aurem audiuisse, nec in cor hominis ascendisse, quæ præparauerit Deus diligentibus se.


b Matth. c. 25

c Paulus Apostolus. 1. ad Corin. c. 2. Isai. c. 64.

Sed iam vela colligamus, ac immensum hoc Visitationis pelagus emensi, ac optatum iam portum tenentes, vota Deo opt. max. soluamus, quòd incolumes nos ad optatum finem perduxerit, quòd os, & sapientiam tribuerit; vt secundum tenuitatis nostræ modum cæteris prodesse possemus. Nullum enim aliud nostrum in hoc opere fuit institutum, nullus alius finis, quàm, vt quamplurimorum vtilitati consuleremus. Hos igitur nostros labores quicunque leget, siue Episcopus is erit, siue Clericus, boni, æquique vt consulat, oramus, nec detrahat,

trahat, priusquam omnia diligentiori examine scrutatus fuerit. Si quid autem boni legendo repererit, si quid inde vtilitatis perceperit, id omne Deo Opt. Max. bonorum omnium auctori, ac gratiarum vberrimo fonti tribnendum sciat. non enim sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed omnis nostra sufficientia ex Deo est. Quæcunque vero aut non concinne dispofita, aut non bene dicta compererit, ea omnia ingenij nostri tenuitati adscribat: qui tamen eò minus reprehendendi erimus, quòd, Episcoporum, qui nunquam alias Pastorali munere functi sunt, & omnium, qui visitandi erunt, vtilitati studentes, vela soluimus, ac procellosum hoc pelagus, tantis laboribus, sudoribus, ac vigilijs emensi sumus, sperantes vos gratiam potius ab ijs inituros esse, quam à quopiam reprehensum iri hanc nostram diligentiam. Nos verò, quæcunque diximus, Sanctæ Matris Ecclesiæ iudicio subijcimus: à cuius sententia, ac Sanctorum Patrum placitis, nos ne latum quidem vnguem, vllo vcquam tempore recedere voluisse, velleve, in posterum testamur. Ac de omnibus Omnipotenti Deo, qui trinus, & vnus est adorandus, ac Beatissimę Dei Genitrici, Virginique Marię, ac S. Richardo, primo nostræ Ecclesię, ciuitatisque Andriensis Episcopo, atq; Patrono, gratiæ referantur. Amen.

FINIS.





INDEX
TITVLORVM
DIRECTORII
PARS PRIMA.



Visita-

Præfe-

Delle



